BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVI
D
36
NAPOLI

XXVI
γ
36

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS BOTERI

VIRI CLARISSIM

TRACTATVS DVO:

PRIORI De Illustrium statu & politia, libris X.
POSTERIOR: De Origine vrbium, earum excell & augendi ratione, libris III. comprehensi.

Omnibus; tam ijs, qui magistratus, atque adeo quovis publico m funguntur: quam etiam subditis, siue iisdem, siue diuersis le institutis: summe vtiles ac necessarij.

Ex Italico primum in Germanicum, atque exinde in Latinum lati, & multorum memorabilium accessione, ac Indice rei & verborum locupletissimo aucti,

Auctore

M. GEORGIO DRAVDIO,
CIVE FRANCOFVRTENSI.

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE III

URSELLIS,

Apud Cornelium Sutorium, impensis Lazari Zetzn Bibliop. Argentorat.

M. D C II.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMODVM GENEROSO, STRENVO ET NOBILISSIMO Dn. IOANNI REICHARDO BROMBSERO A RVDISHEIM, REVERENDISSIMI Archiepiscopi & Electoris Moguntinensis Consiliario, eiusdemque in Comitatu Königstein Proprincipi laudatissimo, fautori ac Mœcenati suo plurimum colendo, cum submissa salutis deuotione offert

M. GEORGIVS DRAVDIVS, P. M C.

NON *eram nescius, strenue ac nobilissime Proprinceps, cũ hasce meas lucubrationes literis mandare constituissem, fore vt hic meus labor in doctorum hominum vituperationẽ grauissimam incideret. Quidam enim temeritatis & audaciæ nomine me condemnabunt, quod rem tantã sim animo complexus, quantam vix homines exquisita doctrina præstantique ingenio suscipere ausi sunt: quosdam autem offendet, quod neque rerum magnarum adiectione, quas tamen in operis frontispicio promisi, neque orationis ornatu, videbor suscepti operis*

magnitudini aliqua ex parte ſatisfacere. Alij igitur in me prudentiam, alij vero ingenij vim & dexteritatem deſiderabunt. Horum obiectiones retundere ante omnia æquum duxi. Ac primum quod attinet ad locupletationem illam meam qualemcunque, quam paſſim operi inſerui, lubens equidem ac ſponte fateor, perexiguam operi lucem ex illis ipſis acceßiſſe; ſufficit enim mihi, ſi modo cum auctoris mente conſentiunt. Quamobrem etiam lector ac iudex mihi requirendus eſt æquus ac mitis, non inuidus, non malignus, aut certe denique, quantumvis ſerius, dummodo ne nimis ſeuerus. Nec enim eſt, vt quis calumnietur, hac me adiectione neſcio quid popularis auræ captare, induſtriaq; auctoris conari detrahere. Abſit hæc calumnia, nec ſit ei locus in ingenium vel mores meos. Iniuriam mihi faciunt, ſic qui factam à me auctori intendunt. Venerari ego didici aliorum labores, eorum merita grate agnoſcere, prædicare etiam: non ſugillare, non detrectare, non inſectari. Quin ita mihi ingenium, vt de mea, ſi qua ſit mihi, laude apponere aliis malim, quam alios ſua defraudare. Quod vero ad ingenij mei tenuitatem attinet, breuiter reſpondeo, neceßitatem officij mei tenuitatem iſtam facile excuſaturam. Nunquam alioquin meipſum ita amaui, vt mihi vel ingenij aliquam laudem, vel doctrinæ alicuius præſtantiã aſſumerem. Nihil enim poſſum quicquam, iuuenis ſum, ingenij exigui, doctrinæ vix vllius, & lectionis adhuc perpaucæ. Nec applaudo igitur ineptiis meis, neque benignius de me ipſe ſentio; quod tam abeſſe volo, vt hærere ſuſpicionis eius vel tantulum nolim. De me, deq; meis vt ſum tenuis, ita nunquam quisquam adeo tenuiter ſentiet, quin infra cenſuram eius ego me lon-

longe demiſerim, & poni in aliquo ſaltem numero ſatis habeam. Hoc cum omnes mihi credere volo, tum vt credant, ita me geram, ſi quicquam aliud præter hæc a me deinceps editum fuerit, vt ſi minus de eruditione aliqua, de modeſtia certe & ingenui animi demiſſione magna vbiq; conſtet. Proinde quisquis cognoſcendi mea deſiderio tangitur, idem vt ignoſcendi ſimul animum afferat, efflagito. Quod vero præter ætatem, atque in qua poſitus ſum conditionem ſublimiora ſuſcipere auſus ſum, neque id quidem omnino vitio mihi verti debet. Bene ſiquidem veteri prouerbio admonemur, vt ad rerum faſtigia nitamur, ſi media tenere cupimus. Audebo igitur, dum audere, Fabij opinione, non dedecet, dum & veniæ ſpes eſt, & quod operi deeſt, ætate ſuppletur, & quæ iuueniliter dicta, pro indole accipiuntur, faciamque id quod huius eſt, animo eo firmiore, quia Tullij non modo non inuidetur adoleſcentiæ, verum etiam fauetur. Quodſi enim nihil animo atque ſtudio complecti fas hominibus fuiſſet, niſi quod primum virium ſuarum imbecillitati conuenire putarent; neminem exiſtimo vnquam ad vllam artium non dicam perfectionem, ſed ne mediocritatem quidem fuiſſe peruenturum. Quocirca omnibus, qui alicuius artis præclaræ laudem admirati fuerunt, ſumma contentione enitendum eſt, vt non ad ea tantum, ad quæ peruenire cupiunt, ſed ad altiora etiam cõtendant, vt ſic tandem eo, quo curſum inſtituerant, facilius prouehantur. Cum ſit igitur exploratum, neminem in aliquo numero eſſe poſſe, niſi ſumma ſtudioſiſſime ſequatur: non ij ſunt in crimen audaciæ vocandi, qui conatum adhibent ad res maximas ſuſcipiendas, atq; ſupra vires ſuas audendo,

Digitized by Google

ſeipſos ad maximorum hominum imitationem maximo ſtudio conferunt: imo potius illorum, qui id non tentant, ignauia atque deſidia eſt ſummopere reprehendenda.

Cæterum neq; illorum etiam oratio me à ſcribendo deterret, qui genus aliud dicendi uberius & ornatius quam id, quod pro ingenij mei imbecillitate in hac translatione ſecutus ſum, fortaſſe requirent. Nec vereor, ſi verbum aliquod interdum barbarũ aut peregrinum poſuero, quod tamen auctoris ſententiam explicet, quin ea res apud æquos iudices mihi fraudi ſit futura; in quibusdam enim admodum difficile fuit, tueri latini ſermonis elegantiam, proinde uſque adeo rigidas latinitatis leges haũd mihi impoſui, animique auctoris ſenſa clare, licet impolite, potius quam obſcure & eleganter expromere malui.

Sed inepte facere videbor, Nobiliß. Præſul, qui aliorum iudicium formidem in eo libro, quem ad te vnũ ſcribo. Nec enim eſt mihi dubiũ, quin hæc mea qualiacunque ſint, magis ex animo quo ſcribuntur, quam ex aliquo ſcribendi artificio ponderanda exiſtimes. Non me ſane fugit, quam id pro meo ſingulari erga te ſtudio, quo quidem ſum mirum in modum inflammatus, exiguum ſit; ſed non debent, qui magna præſtare nequeunt, parua negligere: & quod in rebus maioribus uſui eſſe non poſſunt, ob id in leuioribus muneribus apud eos, quos præcipue obſeruant, collocandis, diligentiam remittere: præſertim cum in omni genere officij plus animi voluntas, quam muneris magnitudo facienda ſit, dignaque ſint dantis, quam data, corda magis, vt Poeta ait. Id quod etiam feci audacius, ſingulari tua humanitate atque inſolita comitate fretus,

imo

Digitized by Google

imo pronocatus etiam, quæ vel prius, quam te viderem, tibi me plane fecit obnoxiũ. Ex eo enim tempore, quo primum huic functioni, (qua etiamnum fruor) ſoceri tui ſtrenui ac nobiliſſimi Dn. Joannis Eberhardi à Cronberg, imperialis caſtri Fridbergenſis Burggrauij, mihi ſumma & obſeruantia & amore colendi, permiſſu præficiebar, agitur autem iam annus fere tertius, continuo te generum tanto dignum ſocero, in omnium ore eſſe ac paſſim depræedicari audiebam. Atq; ſic famæ equidem credebam antea, cui fidem nunquã abrogo de magnis viris. Sed hanc ſuperaſti tu profecto apud me, qui præſens & agnoui, quæ prædicaſſet illa, & quæ prædicari ego ne quidem audiueram cognoui: quapropter nunc magis ipſum te veneror, poſtquam noſſe magis cœpi. Quoties enim temporis iſtius recordor, quo in tui notitiam primum perueni, recordor autem quam ſæpiſſime, toties noui mihi adduntur ſtimuli, qui vrgent, vt beneuolentiam illam tuam, quã me tum complecti cœpiſti, non mihi tantum priuatim notam, ſed publice etiam de ea omnibus conſtare oportere exiſtimem. Factum id eſt primum ante annum fere, cum apud ſocerum tuum tui amantiſſimum, Generoſum noſtrum, hic eſſes, cum etiam ſimul adeſſet ſtrenuus itidem ac nobiliſſimus Ioannes Gothofridus Schutz ab Holtzhauſen, in quo an grauitatem, an inſignem omnium rerum cognitionem atque de rebus quibusuis diſſerendi promtitudinem venereris, addubites; cuius etiam in me quamplurima extant beneuolentiæ argumenta, quam, vt ſpero, non modo continuabit, ſed & augebit quotidiana non amoris tantum, ſed officiorum etiam & beneficiorum acceſſione. Habebantur tunc inter vos inuicem de rebus

granißimis diſſertationes atq; colloquia. Soccr tuus, in quo innata quadã corporis totius dignitas & elegantia, vultus maieſtas ac generoſum plane ſuperciliũ reſplendent, omnibus ſuis dictis innata illa vultus ac ſermonis grauitate incredibilem addebat auctoritatẽ; & quãvis alioquin raris cõceßum eſt, vt qui ingenij acumine excellunt, ijdem fœcunditate memoria, nec nõ dicendi arte & ſuauitate, adeoq; triplici illo diuinæ gratiæ nexu, facultate ſcilicet perceptiua ſeu apprehẽſiua, retẽtiua & exhibitiua ſimul, ſemelq; gaudeant & lætẽtur; in eo tamen hæc tria adeo cumulate cõcurrunt, & ad'artis effigiem expreſſa ſunt, vt in vtro pẽſtet, alacriori ingenio, an tenaciori memoria, an vero diſerta ſuadela poileat, haud ſit promtum iudicare; quantumlibet enim iam ſexagenarius, imo ſexgenario maior ſit, admodum tamen magno omniumq; doctrinarum capaci ingenio & memoria felicißima atq; promtißimo ſermonis elegantißimi flumine quodã pditus eſt, celerrimeq; arripit & fortißime retinet atq; eloqui callet, quacunq; vel audit vel legit; proinde de rebus longe pteritis atq; de præſentibus æque diſſerit. Quo magis id mirãdum in eo eſt, q maximus ſemper eſt implicitus negotijs, quibus tamen, (quod quartũ eſt in expeditiua facultate ſitum) promtißime vbiq; defungitur. Caterum in rebus grauiorib. aliorum conſulta ac placita, & audit libenter, & requirit etiã ac magnifacit, ipſe quoq; interim grauiter animo ſecum deliberans, ſaluis aliorum votis atq; ſententijs ſæpenumero præter omnium opinionem alia via negotiũ aggreditur & mira dexteritate perficit. Bene ſiquidem meminit eius, quod Ben Syra, Ieremiæ ſummi illius Prophetæ nepos, prudenter admodũ monuit: Sexaginta tibi ſi fuerint conſiliarij, tamen animæ tuæ conſilium ne deſpicito.

Digitized by Google

Porro quod præter ætatem atq; corporis valetudinẽ tot ac tantis quotidie negotijs defungi patremq; velut patriæ, qui de ſalute ac fortunis ſubditorũ ſummopere eſt ſolicitus, ſeſe præſtare non ceſſat, in eo Turbonem Adriani Cæſaris præfectum ſcite admodum imitatur, is enim à Cæſare admonitus, vt curã haberet ſuæ valetudinis, ſibiq; daret vacationẽ a negotijs, grauiter reſpondit: non decere Cæſaris præfectos niſi ſtantes mori. O quam egregium Reip. egregium familiæ, egregium nobilitatis ornamentum, canum hoc caput! Eſt nempe is è ſenum illorum numero, ad quos Euripides Poeta adoleſcentes, vt ſapientiam ab ijs diſcant, eleganti carmine, in Bellerophonte oblique ablegat:

Ω παῖ, νέων σοὶ δρᾶν μὲν εὔλογοι χέρες,
Γνώμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων.
Ὁ γὰρ χρόνος & διδάγμα ποικιλώτατον, *id eſt:*

O fili, manus quidem iuueniles ad agendũ robuſtæ ſunt,
Seniorum autem ſententiæ ſapientia præſtant:
Tempus enim multam & variam doctrinam parit.

Sed nolo hic in laudes amplius diffundi. Illud proſequar, q̃ dicere inſtituerã. Cũ ego ſoceri tui iuſſu adſciſcerer, vt veſtrarũ diſſertationũ & colloquiorum forem particeps atq; auditor, primo equidẽ aſpectu politicã quãdam prudentiã (qua ſane quam maxime etiam polles) in te ſuſpiciebam. Cum vero de rebus variis varij miſcerentur ſermones, aliquid amplius animo cõcepi, demum inſolitã adeo, in tanto p̃ſertim fortunæ & honorũ culmine conſtituto, omniũ artiũ & linguarũ peritiã, & quaſi κυκλοπαιδείαν quandã atq; de re quauis diſſerẽdi promtitudinẽ animaduerti, vt plane obſtupeſcerem. Tu verò, neſcio q̃d in me literarũ ſuſpiciebas, ac p̃ſens p̃ſenti beneuolẽtiã in me tuã omni genere comitatis cumulatã ita p̃ horarũ aliquot eruditiſſimũ ſermonẽ explicabas, vt iſtũ in hominẽ ignotũ antea tibi plixiſſimũ

affectum, deque immerente merendi benignißimam voluntatem aut verius cupiditatem & mirarer vehementer, & cum mirari non poſſem ſatis, etiam venerarer. Itaque digreſſus à te, cogitare cœpi mecum, ecquid in paupertino literario meo cenſu, quod iſto titulo digne exhiberi poſſet. Euolutaui deinde, perrepſi & excuſſi copiolas omnes chartaceas, neq; tamen quicquam inueni, quod cum tua amplitudine, tum autem faſtigio illo principali dignum videretur. Cum vero diu anceps hæſitarem, quanam re animi mei in te promtiſſimum ſtudium ſignificarem, haud longe poſt accidit, vt ſocerum tuum, Generoſum noſtrum, Fridbergam comitarer, vbi in ipſo itinere, dum vehimur, ego ex Ioannis Boteri libello quodam, quem de amplitudine præcipuorum orbis regnorum inſcripſit, isque tum primum ex Italico latine prodierat, vt tempus fallerem, lectitabam, quo quidem cum mirifice affici atq; delectari ſocerum tuum animaduerterem, quamprimum cogitare atque optare cœpi, eiusmodi aut forte non abſimilis materiæ libellus ſi ad manus meas transferendus veniret (non quidem è lingua Italica, quippe quam non calleo) anſam me ſufficientem ſatis habiturum tibi gratificandi, minime dubius, quin futurus tibi ſiet acceptiſſimus. Commodum itaque ſuperioribus nundinis autumnalibus in hunc eiusdem auctoris, de Illuſtrium ſtatu & politia, deque Vrbium origine magnitudine ac ſplendore, *tractatum incidi, quem Germanice prius ex Italico translatum, ego latinitate qui donaretur, cum dignum iudicarem, translationis huius in me negotium ſuſcepi. Etſi autem, cum nec ætate, nec iudicio fortaſſe ſatis ſim confirmato, anxius ac metuens iudiciorum publi-*

corũ, manũ ſubinde retraherem, ac leuiora etiã magis magisq; viderentur, quã quibus obreperem; amici tamen trepidãtem confirmarunt ſubinde & labantẽ erexerunt. Animũ etiam mirifice mihi auxit; cum nuper intellexi, te leuidenſi illo plurimũ delectatum (tametſi nulla elegantia neque artificio politum erat, proinde me tum temporis editionis pigebat) illudq; animi mei in te ardens ſtudium tibi non ingratum cecidiſſe, per honorifico ſermone ſocer tuus (id quod ego maximi facio) declarauit. Nec enim poſſum diſſimulare, me quamvis minime laudis auidus ſim, maximo tamen gaudio tum cumulatum fuiſſe, cum non dubitarem, quin tanti viri, tamque diuinis virtutibus ornati teſtimonium omnibus dignitatis ornamentis ad gloriam antecelleret. His aliisque animoſior factus, atque iamdudum deſiderio captus, vt quamprimum tibi teſtarer animum meum qualicunq; monumento, quam illius expectarem maxima cum moleſtia mea maturitatem, anxie deproperaui. Graue enim mihi in diem debere, quod cuperem citiſſime repræſentare. Et ſperabam omnino gratius futurum, quod morã quam minimum tardaſſet. Quod igitur ad manus vnum erat, id feſtinaui, ac tumultuaria prope ſcriptione deproperaui, vt ad præſentem Circumciſionis Dominicæ diem à typographis abſolui poſſet, & perueniret in veſtrum, ac ſecundum veſtrum in aliorum quoque conſpectum.

Cæterum altius hic exordiri, tuiq; conciliationem captare, quem iam ante puto conciliatum, ſupernaculeum duco. Vereor enim, ſi in laudes tuas excurram longius, idipſum pro modeſtia tua moleſte feras, & ego virtutum, atque cum corporis, tum animi dotium,

tium, quas natura in te quasi effudisse, & pro idea bonis quibusq; semper ob oculos habẽda efformasse videtur, multitudine ita obruar, vt neq; vnde initium sumendum, neq; quid quoq; loco præ cæteris dicendum, neque quomodo finis faciendus, facile reperire possem. Siue enim dicere instituerem de nobilissima & antiquissima illa prosapia, in qua maior semper atq; illustrior nobilitas illuxit, ex qua oriundus es: siue de eximia sapientia, singulari prudentia & deuota pietate (quarum trium virtutum ambitu cæteræ omnes continentur) quas plerique ne senes quidem assequuntur, tua vero adolescens ætas mature exhibuit, vt ad quasvis res præclare gerendas nõ factus sed natus videaris; ex quo etiam factum est, vt ad summas illas illustris præsulatus dignitates optimus scil. νομοφύλαξ electus, nec arcibus solum & oppidis Electoralibus, sed toti isti prouinciæ in antiquo Comitatu Konigsteinensi gubernandæ ac regendæ, veluti supremus moderator & præses κατ' ἐξοχὴν constitutus, multisq; alijs etiam grãdauis prælatus fueris. Animus quidẽ esset, modo vires suppeterent, explicandi omnia hic & velut profitendi: sed neq; tu commemorationem tuleris, grauem pudori tuo: qui nec bene ideo facis quicquam, vt audias bene, sed vt feceris, & in ipsa sola conscientia mercedem vnã tibi statuis, aliorum securus præmiorum, quæ vltro tamen ambiunt non affectantem, & nec respicientẽ consequuntur. Cũ itaq; tenuius hac minusq; splendide dicturus fuissem, quã dici debuisset, reiq; dignitas postularet, putaui satius esse silere, illasq; dotes & animi & corporis in te admirari & suspicere, quã de istis dicere, vt ne dicendo nihil dixisse iure cupiam videri possim.

At te vero, amplissime atque benignissime Præsul,

con-

contendere non desistam, vt qualem hoc tempore cunq; animi significationem festinato depromsi, quam benigne accipias, affectumq; potius meum, quam effectum spectare digneris, & accipere quod nunc offero exiguum donarium cui inscribo, quod antiquitus solebant, qui pusilla pro facultate quisq; sua Diis consecrabant: ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω. *(Cum & Ioui victima, grata manu oblata placeat; & Persicus ille Monarcha non dedignaretur aquæ haustum cava manu a paupercu-lo sibi oblatum, instar magni muneris placida serenaq; acceptare fronte.) Atq; otium modo tibi sit à grauissimis amplissimi tui muneris negotiis: à quibus cum respirare dabitur, ad hæc leuiora diuertas tui reficiendi causa. Facies autem hoc, vt tibi commodum erit, aut nostri etiam diiudicandi. Qua sane in re ego vel tui vnius iudicio stabo, cui merito tribuo plurimum: & scio, reliquos facile refutabis ac me defendes, si videbor alicubi aberrasse. Et posse te vnice hoc, quicquid huius generis dedicani, tueri, multa mihi suggerunt; in his auctoritas præcipua tua, & ipsa doctrina in ista quidem fortuna tam admiranda, quam rara: velle autem in omnes doctos, quorum audis & es præsidium singulare, amor & ac fauor, aliis eiusdem tecum conditionis ferme insolitus, aut non admodum certe frequens; id quod etiam huic dedicationi maximum protelum fuit & validissimum incentiuum.*

Ad extremum, in patrocinium tuum recipies vna cum ipso libro me quoque tibi deditum & vltro & meritis iam nunc tuis, qua in me, qua in alios harum Musarum viros: quos vt amas & foues, ita me inter eos minimum, non in minima tamen apud te gratia parte perpetuo hærere patieris. Etsi forte eruditio &

scripta

ſcripta mea acerrimũ illud tuum iudicium ſuſtinere non potuerunt, mores quidem & vita ſuſtinebunt egregie, quibus & malo probari probis omnibus, tibiq; inprimis, vir nobiliſſime, quem non doctrina magis admirabilem, quam virtus venerabilem, vtraque certe facit ita & omnibus charum & vbique clarum, vt per te familiæ veſtræ, vtriusque laude iam pridem celeberrimæ & dignitas nunc magis exſplendeſcat, & gloria ad famam perpetuæ poſteritatis efflореſcat. Viut autem placere iſtuc poterit, animũ hunc tui obſeruantiſſimum, & addictiſſimam tibi voluntatem placituram omnino confido, quam lubens amplecteris & valebis, ô meum, ô Regioſaxi, imo regionis, imo Europæ totius illuſtre ſidus & præclarum ornamentum. MegaCarbæ, Kal. auſpicibus anni M. DCII.

SVMMA.

SVMMA CAPITVM, QVÆ IN HOC PRIMO Tractatu continentur.

CAPITA LIBRI PRIMI.

CAP. I. Doctrina de Illustribus & eorum politia, quid in se complectatur. fol. 1.

II. De varijs imperiorum differentijs. 2.

III. De subditis. 7.

IV. Quid causæ sit, cur aliquando imperia occidant & pessundentur. 10.

V. Vtrum imperij fines amplificare, an tueri maius sit. 23.

VI. Quænam Rerumpubl. formæ sint durabiles, an summæ, an infimæ, an mediæ. 29.

VII. Vtrum imperium contiguum disiuncto sit durabilius necne. 48.

VIII. Qua ratione imperijs suus status conseruetur. 54.

IX. Princeps virtute præstans esto. 59.

X. De duplici virtutis præstantia in principe. 64.

XI. Quibus virtutibus viri illustres, quo in celebritate & auctoritate viuant, animum adijcere debeant. 66.

XII. De iustitia, quam sit principi necessaria. 67.

XIII. De duplici regum iustitia: & primum quidem de iustitia inter regem & subditum. 71.

XIV. De iustitia subditorum inter sese. 85.

XV. De officialibus & præfectis, maxime autem de eorum electione. 108.

XVI. De medijs, quibus iudices & magistratus, vt in officio suo fidelitatem præstent, retinentur. 127.

XVII. Singulares quædam de iustitia & iure commonefactiones. 133.

XVIII. De liberalitate, & primum de eleemosynis. 139.

XIX. Quo

XIX. Quomodo virtutis studium liberalitate excitetur & propagetur. 142.
XX. Peculiares quædam cohortationes de iustitia & iure. 144.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CAP. I. DE prudentia & medijs ad eam necessarijs. fol. 164.
II. Quod Principi conueniat tam veteres, quam recentes historias memoria tenere, & quomodo eas edisca. 169.
III. Quot modis principes subditorum ingenia & naturam, præsertim ex habitu regionis explorata habere queant. 172.
IV. Peculiares quędam commonefactiones ad prudentiam maxime necessariæ. 176.
V. De arcanis & taciturnitate. 219.
VI. De principum & illustrium consilijs, qualia esse debeant. 222
VII. Quod princeps res nouas moliri non debeat. 253.
VIII. De fortitudine eiusq; requisitis. 255.
IX. Media, quibus auctoritatem suam princeps tueri potest. 257.
X. De principibus, qui propter auctoritatem & famā magni & sapientes sunt cognominati. 264.
XI. De principibus, qui sapientes siue prudentes dicti fuere. 271.
XII. De alijs quibusdam virtutibus, quæ ad prædictarum conseruationem requiruntur. 272.
XIII. De religione, cultuque diuino. ibid.
XIV. Rationes propagandi religionem. 284.
XV. De temperantia. 289.

CAPITA LIBRI TERTII.

CAP. I. QVomodo tractandi sint subditi, ne fiant rebelles. fol. 295.

II. De

CAPITVM.

II. De honestis & arduis rebus, quibus princeps ad oblectandum populum intentus esse debet. 299.

III. De bello suscipiendo. 301.

IV. An expediat principem ipsum bellis interesse. 302.

CAPITA LIBRI QVARTI.

CAP. I. QVA ratione seditionum nervi sint incidendi, & primum de tribus hominum generibus, ex quibus quælibet civitas constat. folio 307

II. De tribus generibus potentum, qui principibus suspecti esse possunt: & primum de ijs, qui principibus sanguine iuncti sunt. 317.

III. De vasallis. 325.

IV. De ijs, qui virtute & fortitudine sua maximam sibi conciliarunt auctoritatem. 327.

V. De pauperibus. 333.

CAPITA LIBRI QVINTI.

CAP. I. DE subditis nuper acquisitis, quomodo erga illos se princeps gerere debeat. 343.

II. De infidelibus sive incredulis, quomodo tractandi, vt convertantur. 349.

III. De infidelibus, qui veram fidem admittere nolunt, quomodo tractandi. 352.

IV. Qua ratione rebellium animus frangendus, & quasi in desperationem sit adigendus. 354.

V. An artes liberales ad bellicarum rerum administrationem aliquid conferant. 363.

VI. Quomodo rebellium vires frangi & discuti debeant. 367.

VII. Quomodo rebellium conventicula impediantur. 370.

VIII. Quomodo præcaveri possit, ne subditi cum exteris contrahant & colludant. 376.

Digitized by Google

SVMMA

CAPITA LIBRI SEXTI.

CAP. I. QVA ratione princeps ab externis hostibus tutus esse queat. 378.

II. De munitionibus, vtrum necessariæ principi & vtiles sint. 379

III. Quales debeant esse munitiones. 380.

IV. De colonijs deducendis. 384.

V. De militibus præsidiarijs. 385.

VI. De finitimarum regionum deuastatione ad arcendos hostes. 387.

VII. Quomodo hostis præueniendus & quomodo id commode fiat. ibid.

VIII. Alia via, hostium incursiones à nostris finibus arcendi. 390.

IX. De fœderibus cum vicinis factis. 391.

X. De eloquentia. ibid.

XI. Quid faciendum, cum hostis in nostrum agrũ irrupit. 392.

XII. Quomodo commeatu hostes prohibendi. 393

XIII. De propulsatione hostis. ibid.

XIV. Nonnunquam cum hoste transigendum. 394.

XV. An principi conueniat alterius principis clientelæ se submittere. 404.

XVI. Vicinis dissidentibus princeps sibi caueat. 405.

CAPITA LIBRI SEPTIMI.

CAP. I. DE principis potentia. 409.

II. An cum principis dignitate conueniat colligere thesauros. 411.

III. Necessarium principi est habere thesaurum. 418

IV. De reditibus principis. 421.

V. De pecunia mutuo sumenda. 424.

VI. De auxilio bonorum Ecclesiasticorum. 425.

VII. De reditibus extraordinarijs. 426.

VIII. Impensis inutilibus abstinendum. Vbi & quædam de magnanimitate dicuntur. 427.

IX. Quomodo pecunia reposita sit asseruanda. 493.

X. De populo. 494.

XI. De populi multitudine. ibid.

CAPI-

Digitized by Google

CAPITVM.

CAPITA LIBRI OCTAVI.

CAP. I. POtentia duobus modis crescere potest. 499
II. De agricultura. ibid.
III. De varijs hominū artibus & cōmercijs. 503
IV. De coniugio & liberorum educatione. 523.
V. De colonijs Romanorum. 536.
VI. Legitimæ rationes aliorum ditiones & imperia acquirendi, & qualiter Romani se in hoc negotio gesserint. 538.
VII. Quomodo aliorum ditiones emtione acquirantur? 546.
VIII. Nonnullis stipendia dentur. ibid.
IX. De pecunia ad vrbes & ditiones credenda. 548.
X. De amicitijs, quæ ex nuptijs contrahuntur. ib.
XI. De adoptione. 549.
XII. De consuetudine amplificandi regni Polonis vsitata. 550.
XIII. De fœderibus. 552.
XIV. De commercijs siue negociationibus; & vtrum principem ijs incumbere conueniat? 557.
XV. Quomodo Sultani Ægyptij & Portugalenses hac in parte sese gesserint? 558.
XVI. Quæ Chinensium in hac parte consuetudo. 561.
XVII. Quæ Turcarum consuetudo. ibid.

CAPITA LIBRI NONI.

CAP. I. RAtiones populum & potentiam iamdudum collectam porro amplificandi. 564.
II. An principi tempore belli, subditorum an exterorum opera vti conueniat. ibid.
III. Omnis multitudo promiscue recipienda, sed fortissimi quiq; eligendi. 573.
IV. De armis. 610.
V. De ornatu armorum. 615.
VI. De acie. 617.

VII. De bona causa. 620.
VIII. Quod omnis spes & fiducia in solo Deo sit collocanda. 621.
IX. Miles à patria longius abductus, euadit animosior. 624.
X. De disciplina militari. 626.
XI. De stipendijs & præmijs militum. 642.
XII. De pœna & correctione. 658.
XIII. De æmulatione. 662.
XIV. De priuilegijs Genizarorum. 664.
XV. De laboribus bellicis. 668.
XVI. Princeps certo constitutum habeat, quid sit facturus. 669.
XVII. De necessitate: cum exercitus ita ducitur, vt cum hoste confligere necesse habeat. 670.
XVIII. Aliquando duces cum militibus mutuo iuramẽto in defensionem mutuam se obstringunt. 674.
XIX. Tentandas siue perielitandas hostis vires. 681.
XX. Nullas commoditates esse dimittendas. 684.
XXI. Quod hostis sit anteuertendus. 691.
XXII. De strategematis. 692.
XXIII. De peculiari quadam ratione Iulij Cæsaris, qua animosum redderet militem. 703.

CAPITA LIBRI DECIMI.

CAP. I. DE exercitus imperatore, 704.
II. Rationes, quibus milites animosos dux efficere potest, & primum de ducis felicitate. 707.
III. De alacritate & ferocia ducum, quod bono exemplo militibus prælucere debeant. 710.
IV. Duces sint læta & exporrecta fronte. 711.
V. Quibus indicijs duces animum suum de victoria obtinenda iam certum prodant. 714.
VI. Ducem prudentem esse decet, solertem, industrium, & in agendo celerem, vt quamvis tem-

tempestatem præsenti consilio restingue-
sciat. 716.
VII. De eloquentia alijsque virtutibus, quibus ducem ornatum esse decet. 719.
VIII. Vtrum potentia mari præstantior sit ea, quæ terra habetur. 736.
IX. Vtrum præstet equitatus an peditatus. 739.

SVMMA CAPITVM, QVÆ IN SECVNDO TRACTATV CONTINENTVR.

CAPITA LIBRI PRIMI.

CAP. I. QVID ciuitas, & quæ magna dicatur; & quibus rebus moti homines primum cohabitare cœperint. 743.
II. De ijs, qui ad viros diuina mentis acie atque excelso animo præditos confluxerunt, & ciuitates atque oppida extruxerunt. folio 748.
III. De ijs, qui ad facilius propulsandas iniurias, lares in eundem locum contulerunt. folio 753.
IV. Quomodo Romani vrbem Romam deuastatione finitimarum vrbium auxerint. fol. 758.
V. Nonnullos fuisse, qui alienarum vrbium incolas suis adsciuerint, narratur. 759.
VI. De his, qui voluptatis gratia societatem habitandi contrahunt. 760.
VII. De vtilitate, propter quam aliquando homines in vnum locum coeunt. 824.
VIII. De locorum situs aptitudine. 826.
IX. De fœcunditate soli. 828.
X. De apta aduehendi deportandique oppottunitate. 830.

SVMMA CAPITVM.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CAP. I. QVarum rerum adminiculis effectum sit, locum aliquem inhabitari frequentius: & qualiter hac in re sese gesserint Romani. 843.

II. De colonijs Romanorum. 847.

III. De religione fideiq; negotio. 849.

IV. De studijs & scholis. 854.

V. De loco Tribunalis. 860.

VI. De eruditione. 862.

VII. De priuilegijs. ibid.

VIII. Certa commercia sunt tractanda, neq; temere abijcienda. 863.

IX. De iurisdictionis loco. 868.

X. De nobilium sede & habitationibus. 869.

XI. De sede principis. 871.

CAPITA LIBRI TERTII.

CAP. I. VTrum expediat ciuitati, paucos an vero multos habere ciues. 920.

II. Quid causæ sit, quod vrbes, floris sui maturitem assecutæ, raro maius sumant augmẽtum, imo sæpius decrescant. 625.

III. Quibus adminiculis parta dignitas & magnitudo conseruetur. 932.

FINIS CAPITVM
vtriusq; Tractatus,

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA.

PAg. 3. lin. 26. plano. 6. 10. pugnare. 11. 21. maxima. 31. 12. vllos. 37. 28. anguſtiores. 39. 15. debent. 44. 14. vana. 57. 8. fauor. 60. 16. Ac. 72. 25. conſeruandum. 81. 28. expers. 105. 16. De quibus dubium eſſe. 119. 22. certe. 129. 6. conducit. ibid. 10. præſidi. 145. 3. anteceſſore. 159. 5. illud erat. 174. 17. Pretteloannem. 192. 25. erit? 224. 2. deleatur, ne. 261. 20. auertant. 275. 17. reges. 277. 9. ſacris. 284. 13. tabeſcant. 290. 7. cupiunt. 371. 9. perniciem. 386. 30. Turca qui. 387. 3. ſuas. 388. 17. ſatius. 390. 20. præuiſa. 414. 32. canis. 449. 18. triremes. 497. 3. gnauiter. 506. 23. pretij. 528. 32. cauſa? 566. 15. aſſumti. 569. 21. ſibilabunt. 611. 1. phaleris. 669. 26. vero. 710. 10. moror. 711. 2. iterum. 758. 16. vrbem. 827. 2. quamvis. ibid. 14. Sueciæ. ibid. 17. idoneo. 828. 24. ſoli. 829. 27. eorumque. 834. 8. aſſimilantur. 846. 24. alijque. 930. 15. telluris.

Cætera æquus lector facile animaduertet.

IOANNIS BOTERI.

DE ILLVSTRIVM STATV ET POLITIA,

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Doctrina de Illustribus & eorum Politia, quid in se complectatur?

PRÆCEPTIONES de Illustrium virorum statu atque dominatione, cognitionem & scientiam mediorum, quibus imperium exurgere, conseruari & dilatari queat, coërcent atq; continent. Quamuis autem omnis de vniuerso hoc negotio doctrina in tribus illis partibus, quas modo præmisimus, versetur, ad easque referenda sit; planum tamen euadit, præ cæteris Conseruationem magis quam reliquas, & ex his iterũ, Dilatationem, quam incunabula & primordia, doctrina hac contineri subintelligendasque venire. Argumentum quod est, ad manus est. Nam

inſtituti noſtri ratio principem aut eius generis illuſtrem perſonam iam antè preſupponit. Propagatio verò & dilatatio politiæ alicuius aut imperij, non vſque adeo neceſſario; primæua autem conſtitutio principem aut illuſtrem perſonam requirit nequaquam. Id quod res ipſa ſatis loquitur. Illud tamen interim ſciendum, in primæua alicuius imperij acquiſitione eiuſdemque dilatatione maximum eſſe momentum, ſiquidem qui acquiſitæ rei, induſtria & ratione acceſſionem quærit, næ ille opus habet, ſuper re amplificanda fideliter iacere fundamentum, iactoque firmiter & inconcuſſe ædificare. Sic enim iactis radicibus conſita, contra ventorum conſpirantium vim, contra hoſtiles impetus, ac demum contra morbos, qui in intimis viſceribus latent, intra ſe confirmatur, ac temporis diuturnitate robur acquirit, quouſq; ad ſummum (quē ſtatū florentē appellare ſolemus) peruenerit.

CAPVT II.

De varijs imperiorum differentijs.

DISSIMILITER omnino comparata ſunt imperia, multumque diſcriminis euidenter ſeſe in ijs offert. Hoc enim vetus, illud recens: hoc debile, illud firmum: hoc cōtra quam illud ſe habet, prout quodlibet aut ex diuerſis familijs, aut ex cohabitantium multitudine coaleſcit, quorum alij diuites, alij pauperes, alij medij & quaſi vtriuſque participes dicuntur: iterum horum alij armis, alij pacis ſtudio & ornamento ſunt dediti. Sunt etiā ex plebe alij, quorū illi agriculturę, hi mercaturę, aliisve artib. mancipā-

tur

tur. Nobilium quoq; ſunt differẽtię, nam inter illos alij genere, alij virtute, alij diuitiarũ magnitudine excellũt. Atq; hę ſunt cõmunes imperiorum differentię, ex quib. analogice tot oriũtur imperiorum ſiue Rerumpublicarũ conſtitutiones, quot ciuium cõditiones & diſcrimina habẽtur. Exẽpli gratia, ſi populus ſit bellicoſus, milites; ſi quæſtui deditus, mercatores; ſi honori ſtudeat, nobiles; ſi virtuti ſe accõmodet, ſtudioſi & excellentes viri principatũ tenent: hinc politicus ſapiens diligenter de morib. populi meditatus accuratius Remp. cõſtituet, aptiuſq; legibus conformabit. Communes ergo hę differentię non ſunt negligendæ, cum ex eiſdem non ſolum diſtinctio populi, ſed etiam forma adminiſtrationis quodammodo cognoſcatur.

Cęterum quo proprius ad propoſiti ſcopũ accedamus, tenendũ eſt, imperia ſecundum differentias proprias ita diſtingui, vt quoddam imperium aliud ſuperius ſe recognoſcat, quoddã vero nullo modo: itidemq;, aliud eſſe naturale, aliud non naturale, id eſt, alijs medijs quęſitum. Naturale voco, in quo vir bonus, fortis ac prudens, non vi factus & intruſus, ſed communibus ſuffragijs conſtitutus princeps, maximam in imperio auctoritatẽ habet, cui reſiſtere nefas & flagitioſum eſt. Isq; aut electione & conſenſu expreſſo ac plane, vt imperator Romanus, rex Poloniæ; aut ſucceſſione adeoq; conſenſu tacito, vt aliarum gentiũ princ pes deſignatus. Atq; hęc poſterior quandoq; eſt iuris aperti, quãdoq; dubij, proindeq; in cõtrouerſiã haud raro trahitur. Nõ naturale, ſiue alijs medijs quęſitũ imperiũ dico id, qꝑ ęs aut emtionis titulo poſſidet, aut ꝑ vim acqſiuit.

Porrò vi acquiſita adiudicantur conquiruntur que aut vi armata, aut certis conuentionibus, eæque conuentiones panguntur aut ad nutū & placitū victoris, aut certis quibuſdam cōditionibus & pactis.

Adde huc, quod quædam imperia dicuntur tenuia & infima, quædam ampla & ſumma, quædam verò media. Quæ tamen differentia imperijs non per ſe ineſt, ſed comparatè demum & reſpectu finitimorum intelligitur. Imperia infima ac tenuia dicuntur illa, quæ cum defenſandis hoſtiumque incurſiones propulſandis ſibi non ſufficiant, in ſui ſecuritatem aſciſcere ſibi defenſores & tutelares opus habent. Ac quo anguſtiores ſunt imperij fines, eo magis ipſis metuendum, vt ſunt Lucenſium, Geneuatum, Rhaguſiorum, quorum imperia vnius vrbis ambitu & anguſtiſſimis regionibus cōtinentur, vt qui vrbe potiatur, ſtatum ciuitatis euertere poſſit. At vbi longe lateq; imperia patent, vbi plurimæ arces, vrbes, prouinciæ, regiones mutuis auxilijs cōſociantur, vnius vrbis euerſionem aut prouinciæ direptionem non continuò ſequitur reip. occaſus. An autem vnius Reip. ciues, ſi cum alterius Reip. ciuibus ſupradicto modo in vnum quaſi corpus coniungantur, ſubditi ſint eorum quibus cum copulantur; hanc quæſtionē Cuneus Ictus, & Bartolus *in l. ſi conuenerit, de pign. act.* prolixè tractant, apud quos requiratur. Illud tamē obiter hic tenendum, clientelam illam ſiue protectionem, de qua ſupra, in fœderibus & pacis actionibus, quę inter principes aut populos ſocietate & amicitia coniunctiſſimos ſanciuntur, eam vim habere, vt nec alter alteri pareat, nec imperet; ſed vt alter alterius

maie-

maiestatem obseruare sine vlla maiestatis imminutione teneatur. Quod quidem ius clientelare seu protectionis omnium maximum ac pulcerrimum inter principes censetur. Principes enim populive, qui alios in clientelam accipiunt, nihil præter dignitatis ac veræ laudis iucundissimos fructus sperare; sed clientes opibus & auxilijs aduersus hostium copias sine mercede tueri debẽt; cùm ex omnibus humanitatis officijs nullum maius sit, quam vti quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari, nec officij mercedem vllam præter gratiam sperare, quod si quid amplius quisquam paciscatur, patroni seu protectoris nomen amittit, perinde vt ex mutuo vel commodato lucri si quid fiat, & mutui & commodati nomen perit, vt mercenaria & quæstuaria locatio dicatur. Nam quidquid alteri se facturum gratuito suis promisit, idipsum sine mercede præstare legibus tenetur; quia promisit: sin ex officio id fiat, etiamsi non promiserit, officio tamen merces non debetur. Porro, vt & hoc obiter dicamus, diligenter attẽdendum est, ne patrocinium vel ius clientelare, cum fiduciario *seu feudali* temere confundatur. Nam ius fiduciarium seu feudale sanctius est patrocinij iure, quod etiam à magistris *ius patronatus* appellatur. Et, cliens patronum in fœdere superiorẽ eatenus agnoscit, quatenus personæ ac loci dignitas postulat: at vasallus nõ modo superiorem confiteri dominum, sed etiam fidem & obsequium ei supplex exhibere cogitur, aut feudo cedere. Sed & hoc obiter tenẽdum est, periculosum admodum esse, alterius principis clientelam suscipere; periculosius etiam, sine

iuſtiſſima cauſa ſubire; cũ præcipua ſit bellorũ ferè omnium materia, ex qua ciuitatum & imperiorum cõuerſiones & ſæpiſſimè euerſiones ſequũtur: cum ſubditi â ſuorum principũ fide ac obedientia, vt alienis imperijs pareãt, diſtrahũtur. qui etiamſi nullius imperio teneantur, ſeipſos tamen ſuaq; omnia potentiorũ arbitrio ſubiungere videntur, vt eoſdẽ, quos illi, hoſtes habeant, & amicos; proq; eorũ dignitate & exiſtimatione neceſſe habeant æquè ac pro ſeipſis propugnare, & eadẽ quę illi, pericula ac detrimenta ſubire; victoriarũ tamen vtilitates nullas adipiſci. Quo fit, vt qui melius ſibi cauẽt, huiusmodi clientelam, niſi armis coacti, aut potentium iniurijs oppreſſi nõ facile adire ſoleãt. Imperia media dicuntur illa, quę ſat viribus ac robore ita conſtant, vt ſe ſuaque fortiter queant tueri, nec ad ſui munitionẽ auxilijs aliũde cõtractis indigeãt. Quales inprimis ſunt: Respublica Veneta, regnũ Bohemię, ducatus Mediolanẽſis, & comitatus Flandrię.

Ampla deniq; & ſumma imperia dicũtur illa, quæ robore & potẽtia, continẽtia & finitima lõge antecellũt, prout eſt regnũ Turciũ, regnũ Hiſpanicũ, &c.

Porro, hiſce omnib. alia eaq; non contemnenda imperiorum accedit differẽtia. Sunt enim illorum quędam adinuicem contigua & cohærentia, quędã vero ſeiuncta. Contigua voco, quę ita cohærent, vt terminis ac finib. ſe mutuo attingant. Seiuncta autem intelligo, quorũ termini ac fines non ita cohærẽt, vnum & ſolidum vt efficiant ſyſtema. Tale fuit imperium Genuenſium, cum Famaguſtę, Ptolemaidis, Caphæ, Peræ, aliorumq; tutelares eſſent patroni. Eadem eſt ratio Portugalenſium: nam & horum

imperio

imperio quædam Æthiopię, Arabię, Indię & Braſilię ciuitates, quantũvis longius ab ipſis diſſitę, ſubſunt. Idem etiam de regno Hiſpanico conſtat.

CAPVT III.

De ſubditis.

SVBDITORVM ſine quibus Reſpublica nulla eſt, (qualis enim foret dominatus, ſi nulli ſubeſſent ſubditi,) diuerſimoda eſt ratio. Quidã n. ſunt naturales, quidam aſſumpti; naturales itẽ liberi ſunt aut ſerui; atq; hi quidẽ manumiſſi, momento ciues fiunt; peregrini ſerui non item: Ex pluribus ergo ciuibus, ſiue nati ſiue creati ſint, vel adoptione peregrinorum, vel ſeruorũ manumiſſione, cõflatur Reſpublica, quando ciues omnes vna continet, & eadem eſt imperii maieſtas: tametſi moribus, legibus, inſtitutis, ac infinita gentiũ varietate inter ſe differãt. Si vero ciues omnes iiſdem legib⁹ vtãtur, nõ ſolum eadem Reſpublica, ſed etia eadẽ ciuitas eſt, tametſi ciues huc illuc per vicos, vrbes, ac municipia diſperſi à ſeipſis ſedib. ſeiungantur. Ac quemadmodũ familia locorũ ac regionũ varietate diuiſa familię nomen retinet, cũ omnes ſerui ac liberi eiuſdẽ patrisfamilias imperio cõtineantur: ita quoq; ciuitas pluriũ vicorũ ac vrbiũ ciues ijſdẽ legib. ac morib. cõplexa moderatur.

Porro cum varia ſint ſubditorũ ingenia, alij enim ſunt cõſtantes adeoq; fideles, alij inconſtantes, adeoq; infideles; alij obedientes, alij contumaces; alij negotiatores, alij mercatores; alij orthodoxi, alij ſecus. Hinc ſępe fit, vt etiam de leuiſſimis cauſis diſſenſiones inter ipſos cõcitentur: Hę autem cõten-

Digitized by Google

tiones ſic quãplurimas ciuitates imperio atq; gloria florentes afflixerunt, vt ſępenumero totius reip. ſtatũ im̃utare coëgerint: qua quidẽ re nulla pernicioſior com̃uni ſaluti excogitari poteſt. Ac ſane ſi ea, quę ſunt mãdata literis, memoria repetamus, vix vllã ciuitatẽ tam bene fundatam reperiemus, quæ non fuerit diſcordijs ciuilibus nimis ſæpe conuulſa & in diuerſas partes diſſipata. Quæ quidem mutationes plerumq; neque ſine ferro & cæde multorum, neq; ſine ſumma morum pernicie fiunt. Nemo enim qui paulo eſt audacior, dubitat, dum ſibi eam reip. conuerſionẽ fructuoſam fore putat, imminuere legum grauitatem, inſtituta maiorum violare, omniaque tandem perturbare, atq; commiſcere; nullumq; eſt adeo peſtiferum facinus ac inhumanum, quod non in rempub. ſuſcipiatur: animisq; ſemel hoſtili animo imbutis ita dimicant, vt etiam publicam ſalutem & propriam libertatem hoſtibus ſuis interdum prodere minimè recuſent. Quæ cum ita ſint, princeps reip. naſcentem populi cupiditatem virtutis exemplo & legum ſeueritate mature frangere & refrenare conabitur. Vbi enim plebis animi flagitijs atq; nefarijs cupiditatibus ſemel infecti ſunt, nullis tũc legibus, nullius auctoritate, nullo ſupplicij metu, à furore & audacia contineri, nec vlla ratione prohiberi poſſunt, ne erumpant aliquando in totius Reip. perniciem. Idque facto maximopere opus eſt. Cum enim princeps imperium & gloriam appetat; populus vero, dummodo vitæ commodis abundet, non ita magnum fructum in decore & dignitate ponendum arbitretur, neutraq; pars poſſit ad ea, quæ omnibus modis intue-

intuetur, peruenire, nisi cum alterius auxilio; (Neque enim vulgus vitam securè traduxerit, si nõ fuerit in tutela optimatum: neque optimates poterũt vllis ornamentis gloriæ illustrari & amplificari, nisi sit vulgus & multitudo, cuius patrocinium suscipiant. Ita vt præsidium multitudinis in clarorum hominum virtute cõstitutum esse videatur: & ipsi rursum homines clari, non solum ad opes suas muniendas, verumetiam ad gloriam atq; dignitatẽ comparandam, auxilio multitudinis indigeant,) Proinde princeps, in cuius virtute atque prudentia communis reip. salus continetur, summa ope eo niti debet, vt commoda legum moderatione, ac rigore etiam, subditorum ingenia conciliet, ne intestinis dissidijs in totius reip. perniciem se mutuò conficiant. Constat vrbium quarundam beneficia peculiaria esse, quæ cum suburbijs non communicantur. Constat suburbia ipsa alicubi prærogatiuas quasdam habere, quæ vicorum non sint communes; quorum tamen incolæ & subditi sunt reipublicæ, & ciues sunt vrbani. Sic optimo iure est, non qui creatur, sed qui nascitur ciuis, quique singulari quodam vrbanorum ciuium priuilegio vtitur, fruitur. Argumento sit, quod præfectus mercatorum Lutetiæ nemo fit, nisi qui in ipsa vrbe natus est; nec apud Geneuates syndicus aut secretioris consilij senator, nisi Geneuæ domicilium originis habuerit: id quod etiam apud Heluetios & Germanos vt plurimum vsu receptum est. Consimilem rationẽ princeps quilibet habere debet in suis subditis. Si enim, verbi gratia, indoctus cũ docto, Iudæus cũ Christiano ijsdem omnino priuilegijs &

immunitatib.fruerentur, mirum certe non foret, si æmulationes & simultates inter ipsos pullularẽt, acerbissimumq; ciuiũ inter ciues odiũ nasceretur.

CAPVT IIII.

Quid causæ sit, cur aliquando imperia occidant & pessundentur.

CAVSAS inclinationum atque occasuum rerumpublicarum indicaturi, rem admodum difficilem inire videbimur. Neque id sane absre. Etsi enim omnium imperiorum, quotquot vnquam fuerunt & sunt, ea est cõditio, vt quoniam ortus sui principium habuerunt, fluxam quoque habeant ac dissolubilem naturam, neque vllum est imperium, quod temporis diuturnitate non conuertatur, ac tandem aliquando euertatur. Intereuntque aliquando Respublicæ nõ tantum confectæ & absolutæ, sed etiam quæ in eo sunt, vt absoluantur, & quæ inchoantur adhuc & informantur, primisque lineis ac rudimentis designantur. Planè quemadmodum plerique in ipso ætatis flore, nonnulli in pueritia, quidam in infantia, multi antequam nasci licuerit, abortiuntur: ita quoque imperia videmus ac ciuitates prius exscindi, quam armis aut legibus florere potuerint; quasdam abortiuo similes prius extingui quam oriantur: Non raro etiam maxima quæque imperia suapte grauitate ac pondere, subuerti, aut vetustate caduca fatiscere, suaque senectute tabescere. Quibus etiam argumentis euidentissimis Plato, philosophorum facile princeps, conuictus, tametsi Reipublicæ formam præclara mentis agitatione talem sibi finxisset, vt sempiterna fore videretur, si à legibus

gibus & inſtitutis non aberraret: nihilominus tamen, cum tot ac tantas omnium rerum & præſertim Rerumpublicarum viciſſitudines altius animo intueretur, à priori ſua ſententia defecit, affirmareq; non erubuit, nulla tam preclara inſtituta, nullas, tam ſanctas eſſe leges, quæ ab obitu certiſſimo Reſpubl. vindicare poſſent. Proſpexit nẽpe ſapiẽtiſſimus vir in clariſſima luce, rerũ omniũ ludibria; q̃ vt oriuntur, ſic etiã aboriri neceſſe eſt; nec quidquã firmũ aut ſtabile eſſe, p̃ter rerũ omniũ parentẽ.

Hæc inquam tametſi ſint notiſſima; & vero omnium theologorum ac philoſophorum decretis conſtet, res humanas nec præcipiti caſu nec fortunæ temeritate ferri, conſequensque ſit, Rerumpublicarum interitus & conuerſiones à Deo, vel à natura, vel ab hominum arbitrio ac voluntate pẽdere; Voluntas autem humana tam varia ſit, tamq; ſui diſſimilis, vt nihil ex ea cõſtituere poſſis, quod ad Rerumpublicarum euerſiones aut conuerſiones accommodari queat; Quæ autem diuinis conſilijs geruntur, maxime parte abdita ſint humanis cogitationibus, & hominũ ſenſib. omnino retruſa. Proinde cauſas cõuerſionis aut interitus Rerumpublicarũ perueſtigare videtur difficilimũ.

Verum enimuero ſi inſtituti noſtri rationem accuratius quispiam perpenderit, aſſecuturos nos id, quod intendimus, facilè perſpiciet. Quemadmodum enim hominem aliter pictor, aliter medicus; & animum aliter phyſicus, aliter theologus contemplatur: ſic quoque rerumpublicarum conuerſiones, aliter politicus, aliter aſtrologus, aliter theologus diiudicat. Politicus in ciuitatis

euer-

Digitized by Google

euerſione, principis iniurias, magiſtratuum ſordes, legum iniquitatem, quod nulla benefactis prȩmia, nulla peccatis ſupplicia proponantur, accuſat. Aſtrologus cœleſtium ſiderum vim & efficientiam contemplatur, vnde varios animorum motus hominibus ad res nouandas ingenerari putat. Theologus vero peſtes omnes, bella, frugum ſterilitatem, ciuitatum denique ac populorum interitus, à diuini numinis & religionum contemtu manare conſtanter affirmat, ob idque Deum iraſci, ſapientiſſimos quosque magiſtratus in ſtuporem agere, ac ſua ſidera in principes armare. Sic quiſque ſuas habet cauſas, quarum ope & concurſu ciuitatis interitum fore auguratur. Proinde nos omiſſis duobus poſterioribus diuinandi modis; iuxta priorem duntaxat, politicum nempe, Rerumpublicarum obitus ipſorumque cauſas ſcrutabimur ac definiemus.

Principio igitur, quemadmodum omnium rerum naturalium corruptio eſt duplex: vna interna, altera externa; quarum illa aut in rei corrumpendæ defectu, aut in perittomate, id eſt, abundantia, vna cum deſtructione primarum qualitatum proprietatumque; hȩc autem in vi extrinſecus corrumpente ſita eſt; ſiue id ferro, ſiue igni, ſiue aliis quibuscumque modis conficiatur. Eadem prorſus ratione internæ ſimul & externæ imperiorum peculiares quædam peſtes ac faces ſunt.

Porro internarum cauſarum potiſſima, in gubernandi impotentia conſiſtit, cum nempe princeps rerum gerendarum imperitus, ſegnis, oſcitans, ſuiq; muneris parum memor & fatuus eſt, nimiaq;

inſu-

insuper cum plebe consociatione decus & dignitatem omnem amittit. Quo etiam referuntur inclementia, superba tyrannis in subditos, illicitæ vagæque cupidinis flammæ erga subditorum vxores filiasve; quibus sanè vitijs omnium in se odia facile concitat. Cum enim ipsi principes aliorum libidines vel solo continentiæ exemplo frangere debebant, vita hac dissoluta nō tantum non frangunt, sed etiam vitæ turpitudine insuper augent atque vehementer incendunt. Et certe nunquam alij tantis flagitijs sese forent inquinaturi, nisi ad immensam luxuriam & infinitam cupiditatem, optimatum exemplo fuissent incitati. Quo fit vt & ornamenta dignitatis & præsidia stabilitatis amittant rebusque desperatis aut exulent, aut coniuratione subditorum crudelissime tandem trucidentur.

Hæc illicita & immoderata libido in causa fuit, vt primum reges, deinde decemuiri vrbe Roma pulsi in exilio solum vertere cogerentur. Hæc in causa fuit, vt Hispaniam occuparent Mauri, Siciliæque possessione defraudarentur Galli. Dionysius senior, posteaquam filio cum honesti cuiusdam ciuis vxore rem fuisse inaudiuisset, acerbius in eum inuectus grauiter increpat, addita interrogatione, Num vnquam de se siue fando siue visu tale quippiam percepisset. Huic filius: Quod à te, inquit, idem non est factitatum, id vnum, quod non esses regis filius, obstitit. Hisce regerit parens: Imo nisi à profligata eiusmodi vita manus abstinueris, nunquam regis parens eris. Verissime sane hac voce, eius imperium non futurum diuturnū, augu-

Digitized by Google

auguratus eſt. A Dione enim auunculo, poſt Dionyſij ſenioris obitum, imperio ſpoliatus & in exilium miſſus fuit.

Ex his autem oritur quęſtio, qui fiat, quod principum libidines vehemẽtius & citius, quam inclementia & tyrannis, ad interitum trahant imperia & euertant? Nodus hic ſolutu facilior eſt quam prima fronte apparet. Iracundia enim & inclemẽtia odium duntaxat metumque excitant apud eos, in quos adhibentur. At vero libido tyranni non modo ſubditos ad odium; verum etiam ad contemtum excitat: cum intelligunt hominem voluptatibus deditum impotentis animi eſſe: nec imperio dignum videri, qui imperare ſibi non poſſit. Sic maiorum ætate duæ Africanę vrbes potentiſſimæ a rege Feſſarum defecerunt, propterea quod præfectus ſponſam alienam regis exemplo rapuiſſet: quo ſtatim occiſo, rex ipſe Feſſarum Abuſabita cum ſex liberis cęſus eſt à domeſtico ſeruo, quod eius vxori ſtuprum intuliſſet. Sic innumerabiles pene tyrannos voluptas perdidit, vtpote: Sardanapalum, Canadem, Dionyſium iuniorem, Heliogabalum, Amyntam, Periandrum, Piſiſtratum, Tarquinium, Ariſtocratem, Timocratem, Childericũ, Andronicum, Rhodericum, Appium Claudium, Galeacium Sfortiam, Alexandrum Medicen, Pericium Senenſem, Lugtacum & Megalum, Scotiæ reges; qui omnes ab imperio exciderunt, cum impurę libidini quam virtuti ſeruire maluiſſent. Crudelitas vero per ſeſe imperij conuerſionem nõ affert, niſi tanta fuerit tyranni feritas, vt hominem ex homine penitus exuiſſe videatur; qualem fuiſſe

acce-

accepimus Phalarim, Neronem, Vitellium, Commodum, Caracallam, Ecclinum Patauinum: quorum tamen ſæuitia in plebem nõ tanta fuit, vt propterea cęſi fuerint; ſed in principes & gratioſos homines, qui tyranno ſemper metuendi ſunt; quibus etiam contumelia quam crudelitas ipſa ſæpe grauior eſt. Præter hæc non raro contingit, vt iracunda illa inclemẽtia eũ, in quem recidit, omni facultate, viribus, ipſa etiam nonnunquam vita exuat, adeoque vindictæ conſilia præuertat. At gliſcentibus ſuperiorum libidinibus, omnibus auxilij præſidijq; neruis inciſis, imperium ſuapte ſponte corruit.

Internis imperiorum corruptionibus aſcribenda etiam ſunt: inuidia, lites, diſſidia, ſimultates, diſcordiæ, ambitio primatum, leuitas, inconſtantia, inſanus furor populi, inclinatio ſubditorum ad magiſtratus peregrinos. Ac quemadmodum humanis corporibus variæ accidunt mutationes, tum ab elementis, tum â corporis animique habitu, tum ab humorum temperatione, tum ab educatione alimentorumque varietate; ita quoque Rerumpublicarum conuerſiones ſiue in hanc ſiue in illam partem diuerſimode contingunt. Eſt enim vt plurimum plebis temeritas & inconſtantia tanta, vt rerum nouandarum perpetua cupiditate feratur; eoque ſępius accidit nationibus illis, quæ cęteris ingenio præſtant, vt de Athenienſibus, Megarenſibus, Syracuſanis, Florentinis, Genuenſibus proditum eſt: tunc enim ſe quisq; imperio dignum iudicat, ac ſibi ſapere plus ſatis quisq; videtur; nec niſi difficilime recta præcipientibus cedit. Et quẽ-

adma-

admodum arrogãtius ob victoriam insolescit, nec hostem habet capitaliorem, quam nimis prospe-ros rerum gestarum euentus: sic offensione acce-pta facile quoq; frangitur, nec magistros pruden-tiæ meliores quam casus aduersos; quibus fracta & abiecta, sapientum consilijs insistit, eisque guber-nacula moderanda relinquit, proindeque nihil ad plebem in officio continendam vtilius est, quam externis bellis implicari. Quæ potissima etiam ra-tio fuit, cur Scipio Africanus iunior Carthaginem deleri nollet, ne si bellum aduersus hostes nullum esset, cum ciuibus esse inciperet.

Verum enim vero vt ea, quæ iam dicta sunt, apertius inspiciamus, par est, rem aliquanto altius repetere, inque exempla ciuitatum earum intue-ri, quæ omnium ferme opinione præstantissimæ sunt existimatæ. Athenæ post Codri regis mortẽ, fuerunt optimis legibus ac moribus à Solone con-stitutæ: qui tamen in hoc à multis excellentibus ingenio atque doctrina viris reprehenditur, quod popularem rẽpublicæ statum instituerit, & liber-tatem plus nimio patem effecerit. Itaque status ille propriam imbecillitatem indicauit: cum intra fi-nem anni quadragesimi plebis temeritate conu-ulsus, Pisistrati tyrannidem perpessus est. Post-quam vero sublatis tyrannis, ciuitas in pristinam libertatem redijt, aliquot annos in Græcia & ma-gna Asiæ parte, rerum potita est. Quod tamen im-perium non ita diu tueri potuit, ambitione quo-rundam, qui se populares esse & haberi cupiebant: Inter quos enumeratur Pericles: Qui quidem licet fuerit in dicendo admirabilis, & imperatorijs ar-

tibus

tibus instructissimus: non vidit tamen, quantum mali patriæ moliretur, cum plebem principibus æquaret: & hoc modo miscendo infima summis, auctoritatem Areopagi imminueret. Nec enim est aliud, vulgus & multitudinem principib. libertate pares efficere, quam effrenatæ cupiditati ad perniciem arma largiri. Vide autē qui casus sint illam ciuitatem consecuti, posteaquam ad arbitriū libidinemq; plebis omnia administrari cœpere. Primo quidem omnib. spectatis hominibus, qui rempub. conseruarant & auxerant, pestis & exitium per obscuros & flagitiosos homines afferebatur. Nec. n. fuit vnquam Athenis, post illam Reip. formam, vir aliquis ad laudem insignis, qui non inuidia tandē ingratæ patriæ conflagraret. Multi bonis omnibus euersi sunt: multi in exiliū electi: multi etiā morte mulctati: quorū virtute fuerat Atheniensi populo salus & gloria quęsita. Hoc iam certe nō mediocre malum est existimandum, nudari videlicet vrbem optimorū præsidijs: & nobilium industriam, qui suorū exemplo ad patriam iuuandam inflammati fortasse erant, infringere. Ergo cum bonorū auctoritas concidisset: & populi vis nunq̄ consilio & ratione, sed impetu semper & dementissima temeritate duceretur, nullum tantum malum excogitari potuit, quod non fuerit in illius Reip. calamitate. Nam cū Athenæ maximo periculosissimoq; bello fuissent implicatæ, omnisq; Græcia in ciuitatis illius perniciem conspirasset: populi cupiditate atq; furore factum est, vt eodem tempore aliud bellū nō minus graue contra Siciliam susciperet, Nicia cōtradicente, & omnibus bonis reclamantibus. Me-

rito igitur in illa luctuosissima Syracusarum oppugnatione, non modo imperij, sed etiam fortunarũ omnium naufragiũ fecerunt, atq; in grauissimos & acerbissimos luctus inciderunt: atque tandem domesticis seditionib. agitatæ, & innumeris cladibus afflictæ, libertatem misere perdiderunt. Postquam vero triginta tyranni Reipub. dominatione semoti sunt: quid aliud collectas Reip. reliquias dissipauit, nisi plebis cupiditas & licentia? quæ nullis iam legibus poterat ad cõmunium rerũ curam & studiũ impelli. Imo cum vnicuiq; ciuium licuisset de publico sumere, quod in priuatos vsus conuerteret: omnes ab industria ad desidiã vocati, & ad theatra atq; fabulas conuersi, & reliquas voluptates, quæ virtutis neruos incidunt, omnem Attici decoris & antiquæ dignitatis memoriam deposuerunt. Itaq; nõ multis post annis, gens illa, quæ innumerabiles Persarũ exercitus fuderat: quæ tantas res gesserat: quę Græciæ impio potita fuerat: armis Macedonũ, quorũ nomẽ sane obscurũ ad id tempus extiterat, oppressa est, omnesq; imperij opes de manibus elapsæ sunt. Huius autem calamitatis principium non aliunde natũ est, quam ab illa plebis petulantia & improbitate. Sic Ephori, qui quidẽ magistrat⁹ erat ex plebe, dum omnia priuata vtilitate metiuntur, mala quãplurima ciuib. suis inuexerunt, & teterrimã patrię pernicię machinati sunt. Nec est. n. aliud, leges, quibus publica certe salus continetur, labefactare & infringere, quã vniuersam Remp. iugulare. Ac tametsi Lycurgus vniuersos ciues ad industriam, virtutẽ & morum seueritatem sanctissimis legibus instruxerat, Ephori tamẽ multis post annis,

quę-

quęstus & voluptatis gratia, quæ duæ sunt maxime Rerump. omniũ pestes, inclytas illas leges sustulerũt. Quo facto Spartana illa virtus subito extincta est. Cum vero reges aliqui voluissent Lycurgi leges cõstituere ciuiumq; mores in antiquã disciplinam reuocare, fuerunt ab Ephoris indignissime trucidati. Ita factum est, vt ciuitas illa, quæ Heraclidarũ ductu & auspicio, optimatũq; sapiẽtia, tam multos annos imperiũ habuerat, & incredibili virtute atq; fide Græcorũ libertatem defenderat, insanæ plebis opera, crudeli tyrannorũ dominatu premeretur.

Quid autẽ hic Romanos cõmemorem? cũ illud inter oẽs constet, non ob aliud fuisse Romanam Remp. funditus euersam, quã propter temeritatẽ multitudinis in superiores concitæ? Itaq; imperiũ illud, quod per reges primo, deinde per optimates & principes partũ & amplificatum erat, breui fuit vulgi furore & amentia dissipatum. Cum.n. plebis cupiditas ita creuisset, vt nulla ratione aut metu coerceri posset, & turbulentis hominũ populariũ orationib. ad spem ingentis prędæ fuisset vehemẽter excitata: non dubitabat, dum auaritiã expleret suam, omnia iura diuina humanaq; violare. Inde illæ tribunitiæ seditiones & Agrariæ legis actiones non sine magno Reip. malo à tribunis agitatæ, donec ad Gracchos ventum est: à quibus est natum principiũ omniũ calamitatum, quæ postea Remp. consecutæ sunt. Eiusmodi enim seditiones consequentia quædam exceperunt Mariana tempora: quæ cũ per se satis grauia & luctuosa Reip. fuissent: tum etiam ad ærumnas sexcentas: atq; tandem ad Cæsaris dominationẽ viam munierunt. Nec vero

Digitized by Google

id ijs duntaxat ciuitatibus,quas modo diximus,accidiſſe comperies, ſed in omnibus ferme alijs. Vt enim quisq; ſtatus maxime à plebis arbitrio ſeiunctus eſt,ita videbis eum maxime ſtabilem atq; diuturnum. Inde fit vt popularis ſtatus facilime conuellatur,& vix hominis ætatem duret:optimatum vero poteſtas diutiſſime permaneat; regnum autẽ immutabile propemodum atq; perenne ſit.

Nec eſt quod hic quis obijciat Alcibiadem & Critiam,qui exitium aut vaſtitatem patriæ intulerunt:aut Pauſaniam, qui nefaria cõſilia prodendæ totius Græciæ ſuſcepit:aut Syllã,& Cæſarẽ,& alios præterea innumerabiles, genere quidem illos & induſtria excellentes, ita tamen cupiditate principatus incenſos, vt ſuorũ ciuium libertatem armis opprimere minime dubitarẽt.Fateor equidẽ,mala quamplurima fuiſſe per viros egregios Rebuspub. importata.Nec enim ſemper illa animi elatio,quæ in claritate generis elucet,eſt cum virtutibus æquitatis & continentiæ cõſociata. Id tamen defendo, nullam vnquã ciuitatem fuiſſe ab humili plebe rite cõſtitutam. Animus enim generoſus & excelſus habet arma,quibus poſſit & violare & tueri Rempublicam,nempe ingeniũ,induſtriam& fortitudinem. Contra plebs vtplurimũ eſt temeraria & improuida,animiq; nimis abiecti atq; demiſſi.Poteſt igitur temeritate & furoreRemp.labefactare,non tamen vnquã incolumem conſeruare, neq; collapſam in priſtinam dignitatẽ reſtituere poteſt. Vnde perſpicuum eſt, quam male ſit ijs ciuitatibus conſultum,in quibus claris hominibus infimi præferuntur.

Atta-

Attamen grauiſſimum, inquies, eſt ſeruire? Equidem is ſum, qui ſeruitutem extremum omniũ malorũ eſſe arbitrer. Sed, aliud eſt ſeruire: aliud parere. Quemadmodũ enim inter dominum & rectorem plurimum intereſt: Rector enim in ſalutem eorũ, quos regit, intuetur: dominus autem omnia ad ſuam vtilitatem refert: ſic etiam liberi hominis obedientia & obſequiũ plurimũ à ſeruitute diſtat. Seruitus enim ea eſt, qua mancipia ſuo arbitrio prorſus carentia heri nutũ ſequuntur: neq; ſuam, ſed vnius domini voluntatem inuiti reſpiciunt. Liberi autem hominis officiũ eſt, ijs velle parere, qui valent ingenio & induſtria, & quibus intelligit eſſe curam ſalutis communis antiquiſſimam. Vt igitur ægrotus medico minime ſeruit, ſed ſua ſponte obtemperat, quia id ſibi ſalutare iudicat: vt vector gubernatori; vt miles imperatori: ſic etiam munus incorruptæ multitudinis debet eſſe: ad optimatum imperiũ voluntatẽ ſuã applicare. Plebs enim, neq; quid in cõmune ſtatuat, neq; quid ſibi conueniat, ingenij tarditate poteſt explicare: contra vero excelſus animus non tantũ præſentia comprehendit, ſed etiam impendentia multo ante proſpicit, & ad omnia mala præcauẽda ſummam adhibet diligentiam. Deinde cum plebs nõ ſentiat vllã gloriæ ſuauitatem: & niſi legibus & imperio refrenetur, omni ſtudio lucri ſordes atq; flagitia cõſectatur, & ad pericula pro patria ſubeunda mollis & languida eſt. Contra optimates ſola cupiditate gloriæ & laudis incenſi, turpitudinem ipſam omnibus malis peius oderũt, & libẽtiſſime ꝓ Rep. res magnas ſuſcipiũt. Quod ſapienter Homerus multis in locis oſtendit.

Sic enim inducit regem vario ſermone Græcos adhortantẽ, vt heroas & principes, laudis & dignitatis cõmemoratione ad certamẽ acuat: multitudini vero, ſi metu mortis abſcedat à pugna, vitæ cruciatum, atq; necẽ denunciet. Vt igitur equi virtus tũ maxime elucet, cũ prudẽtis equitis arbitrio gubernatur: vt animũ tum rectiſſime conſtitutũ arbitramur, cũ voluntas rationis dicto obediens eſt: vt familiam tum demũ ſaluam & incolumẽ fore putamus, cum diligẽtis patrisfamiliæ imperiũ ſequitur: ſic plebis ſalutẽ tum conſtitui atq; cõfirmari exiſtimandum eſt, cũ ſui regendi arbitrium atq; tanquã habenas optimatibus tradiderit.

Hæc autem aliquanto prolixius à me dicuntur, vt appareat, quanto in diſcrimine Reſp. verſetur, cum ſalus eius libidini plebis expoſita eſt, cũ leuis & imperitæ multitudinis temeritatẽ pro legib. habere, cũ in extremis Reip. periculis ab inſana plebe conſiliũm petere neceſſe eſt, proindeq; optimates omni ſtudio eo adniti decet, vt naſcentem populi cupiditatẽ & virtutis exemplo & legum ſeueritate ita refrenent, ne ipſorũ auctoritas tandẽ perditiſſimo cuiq; ſit ludibrio. Atq; hæc de internis imperiorũ peſtibus, ac plebis in imperij maieſtate tuenda, impotentia. Sequitur de externis.

Ad externas itaq; imperiorũ peſtes atq; cauſas obitus Rerump. ſtrategemata & inſidias, apertam vim & alias huiuſmodi externas Rerump. faces referimus. Hoc modo à Romanis Macedones domiti, & viciſſim à Barbaris immenſa illa Romanorum potẽtia fracta eſt atq; imminuta. Cum vero exempla in hiſtorijs paſſim ſint obuia & quotidie etiam occur-

occurrant, plura hic inſerere puto ſuperuacaneum.

Cæterum, ecquę, inquies, cauſarum, quas modo recenſuimus, Rerump. euerſiones potiſſimũ promouent? Interioribus maxime id aſſignari affirmatur. Nec enim compertum eſt, Remp. vllam ſuis viribus ac concordia conſtantem paruo negocio fuiſſe euerſam. Cum econtra haud paucæ inter ſe luctantes, mutuisque odijs ac cædibus exhauſtæ leui negocio ſæpiſſime oppreſſæ ſint.

Porro ex prædictis & quidem ſimpliciorib. cauſis alia enaſcitur, ex vtraque commixta & conflata. Eſt autem, cum priuati factioſa conſpiratione cum hoſte colludunt, ſeq; ac libertatem omnem hoſtibus produnt.

CAPVT V.

Vtrum imperij fines amplificare, an tueri, maius ſit?

QVOD conſeruandi imperia, quam eadẽ dilatandi ratio, maioris ſit molis & laboris, non eſt quod quis dubitet. Res enim naturales natura ita habẽt, vt plane ſecũdum lunę, cui ſubiacent, incrementa & decremẽta, nunc creſcant, nunc decreſcant. Vere itaq; affirmare licet, ꝙ imperium conſtituere, & conſtituti cancellos, ne minores deterioresve fiant, rite tueri, præclara virtus, præclarumq; admodum opus ſit, imo humanas vires excedere videatur.

Occaſiones, quæ quandoq; ſe offerunt, vt ſunt imprudẽtia, inſolentiaq; hoſtiũ & fida auxilia, haud raro ad acquirenda imperia maximũ habent momentum. Aſt parta atque hoc modo acquiſita ſarta tecta tueri, ac defendere, id vero ſingularis &

eximiæ est virtutis. Armis & vi quæsita, vt conseruentur, singularem requirunt industriam. Constat enim, multos sane potentia, robore ac viribus ad defensandum requisitis, esse instructos, veruntamen industriam ac mentis perspicacitatem in quam multis admodum desiderari.

Neque hic omittendum est, quod, qui alterius politiæ sceptrum ad se transtulit, eiq; accessionem adiungere studet, in eo tantum desudat, omnemque eo operam & studium ponit, qui ab iniuria causarũ extrinsecus corrumpentium suam Remp. vindicet & tutetur: Qui vero regnum iam partum defensare & conseruare cupit, sat oneris sibi incumbere iudicat, prouidere, quomodo impetus & externe & interne corrumpentiũ sit retundendus.

Lacedæmonij, vt testatum facerent plus momenti in re custodienda, quam comparanda positum esse, animaduerterunt in eum, non qui in acie gladium amisisset, sed qui clypeum abiecisset. Fabius Magnus apud Romanos clypeus, at Marcus Marcellus gladius Reip. audiebat. Vnde certo & indubie consequitur, eos Fabij quam Marcelli fuisse obseruantiores.

Hanc sententiam Aristoteles quoque comprobat in libris de Repub. Præcipuus, inquit, scopus legislatoris est, non vt ciuitatem constituat: sed vt bene illi de diuturnitate & incolumitate consulat. Cum Theopompus, Spartanorum rex senatores, quos vocabant Ephoros, potestati regiæ adsciuisset, atque ob id ab vxore incusaretur, quod nimirum potestatem regiam dignitatemque prostitueret hoc facinore atque imminueret. Respondit:

Imo

Imo vero acceſſio hæc tantum abeſt vt auctoritatem regiam imminuat, vt potius ſit futura ſummo ornamento atq; decori. Franciſcus Guicciardinus, hiſtoricus inter recentiores exquiſitiſſimus, eos imprudentiæ tacite coarguit, qui armis imperia facile propagarent, ea tamen retinere non poſſent, nec viderent, partum imperium ijs, qui domeſtica diſciplina vti neſcirent, non modo non vtile, ſed etiam graue ac pernitioſum ſemper fuiſſe. Id non ignorauit Auguſtus Cæſar, cum enim Alexandri Magni res in Oriente geſtas legeret, admiratum ferunt, non induxiſſe Alexandrum in animum ſuum, qua ratione & via quæſita conſeruaret ac regeret, ſed tantum quomodo quæſitis alia adijceret. Simili ingenio fuit Pyrrhus Epiri rex, cuius, vt Iuſtinus hiſtoricus dicit, nemo qua tuliſſet, impetum ſuſtinere valuit. Verum, ſicut ad deuincenda regna inuictus habebatur, ita deuictis acquiſitisq; celeriter carebat. Tanto melius ſtudebat acquirere imperia quam retinere. Vnde Antigonus rex, aleatori ſimilem eum eſſe dicebat, qui ſpe futuri lucri proprias opes prodigit, nec vnquam contentus eſt eo, quod in alea vicerit, ſed quæcunq; colluſoribus ſuperſunt, magna auiditate cupit, inq; ea relictis omnibus ſolum inhians, quæcunque ante quæſierat, profundit. Scipio quoq; cum cenſor eſſet, noluit in ſolenni carmine, ſicut erat moris, precari: Dij augete Rempublicam; ſed, conſeruate. Satis inquit, habemus auctam, ſi modo conſeruetur. Hoc etiam Totilas rex Gottorum, occupata Roma cõſiderauit. ita enim orationem ad milites ſuos concludit: Tueri quæſita difficilius eſt quam ac-

quirere: quoniam in acquirẽdo ignauia possidentis sępe plus confert quam propria virtus. Tueri autẽ quæsita sine propria virtute nemo potest. Hinc videmus, Turcam Christiani nominis hostem infensissimum, vt Busbequij in sua exclamatione de acie contra Turcas instruenda verbis vtar, ea esse vigilantia, eam seruare disciplinam, ea vti in conseruandis ijs, quæ sibi adiunxit, ratione, ita regnare ac dominari, vt vbi semel vestigium fixerit, inde se moueri nequaquam patiatur: nunquam se attollat seges, quam semel calamitas illa depresserit. Sane prudenter Maximilianus I. Imperator optimus sæpe in ore habuit, longe facilius esse vincere & ornare gentem, quam in officio retinere. Quod etiam Nicias apud Thucydidem monere voluit, vbi dicit, stultum esse eos inuadere, quos victor non possit in officio retinere. Recte itaque sentit Franciscus Patricius, quod quib. modis acquiratur imperium, ijsdem etiam augeatur. Quoniam, inquit, non est aliud incrementum quam adiectio eius, quod augetur. Sed vbi iam acquisitũ est, auctumq; imperium, superest vt conseruetur, subditorum animos continẽdo, vt libenter aut etiam inuiti maneant; quorum istud vi perficitur; illud, si optime eos tractaris, aut melius quam alij, aut saltẽ si melius quam alij tractare videberis. Quibus si accedat grauitas quędam magistratus, quę in subditis timorem quendam cum admiratione & reuerentia efficiat, nihil erit quod subditorum animos æque deuinctos, ceu catena quędam continere possit. Nam nihil est quod hominum animos ita terreat atque fascinet, vt admiratio.

Doctis-

Doctiſſimus Lipſius prudenter ita ſuadet Regibus & Regulis: Quies vobis tutior, nec de obtinendo laborate, ſed tenendo; ſcitote (inquit ex Liuio) teſtudinem, vbi collecta in ſuum tegmen eſt, tutam ad omnes ictus; vbi exſerit partes aliquas, quodcunque nudauit, obnoxium atque infirmum habet. Nam, vt inquit Demoſthenes, qui cupiditate acquirendi plura aggrediuntur, atque tentant ea, quæ fas non eſt, maximis difficultatibus implicantur, conatusque irritos & ſpes vanas fortuna deridet & fruſtratur. Dum enim maiora concupiſcunt, ea, quæ iam obtinebant, amittunt. Non igitur prudentum nec generoſorum hominum eſt, vt Dionyſ. Halicarnaſſæus prudenter ratiocinatur, res alienas fortitudine quærere, & pati ſuas per ignauiam amitti. Idipſum Tartarorũ princeps, licet alioquin barbarus, notare voluit, cum non ita pridem poculo e capti Moſci caluaria, vt fertur, inſcribi curauit: *Hic aliena appetendo propria amiſit.*

Porro ad conſeruationem partorum omnino requiritur grauitas & auctoritas magiſtratus, qua ſubditis ſui timorem & reuerentiam incutiant, quod etiam Plutarchus inculcat; vbi dicit: hominẽ homini obſequentẽ vltro cicuremq; nihil aliud facere, quã fidẽ beneuolentię integritatisq; & iuſtitię opinionẽ. Obediẽtia enim quę regib. debetur, res eſt fragilis, niſi adſit timor quidam & reuerẽtia.

Cæterum non eſt rarum, quod tam ſæpe in toga res præclare gerantur, quam victorijs bello partis, illæque his non ſolum æquantur, ſed etiam preferuntur, id quod etiã Cicero alicubi cõfirmat.

Quo

Quo inprimis etiam reſpexit in Catone maiore, vbi inquit: Dux ille Græciæ nunquam optat, vt Aiacis ſimiles decem habeat, ſed vt Neſtoris: quod ſi acciderit, non dubitat, quin Troia ſit breui peritura. Vnde non dubitauit idem pronunciare: *Cedant arma togæ* &c.

At pulchra hic oritur dubitatio, qui nimirum fiat, quod qui nouum Reipub. corpus inſtaurant, in maiori vulgo auctoritate ſint, quam qui inſtauratam iam pridem, conſeruare laborant? Reſolui hoc facile poteſt. Etenim qui clauſtra imperij ſui adaugent & amplificant, eorum facinora & res geſtæ magis in vulgus notæ ſunt, pluris etiam æſtimãtur, & in omnium incurrunt admirationem. Solet enim vulgus ſemper nouarum rerum plus ęquo eſſe ſtudioſius.

Hinc fit vt vehementius admiremur res militares, magisque ſuſpiciamus, quam pacis artem in imperijs tranquillè conſeruandam. Quæ ſi minus agitatur, manifeſtiorem reddit pacifici principis ſapientiam & prouidentiam.

Tametſi perennis fluuius multo habeatur torrente prędarior &nobilior:plus tamen admirationis & terroris huius impetus,quam fluuij tranquillus fluxus adfert. Eodem modo hominum admirationem in ſe magis conuertit,qui Rerump. nouarum eſt inſtaurator,aut exteras ſuas facit,quam qui ſuam iamdudum inſtauratam & à ſe occupatam pacifice tenet & gubernat.

CAPVT

CAPVT VI.

Quænam Rerumpublicarum formæ ſint durabiliores, an ſummæ, an infimæ, an mediæ?

DICTVM eſt paulo ſupra, certas eſſe omnium ciuitatum commutationes & viciſſitudines, naturalesque ortus & interitus omnium Rerumpublicarum, neque fieri poſſe, vt aliquid infra lunam ſit immortale atque ſempiternum. Omnia enim quemadmodum naſcuntur, ita & concidant aliquando neceſſe eſt, & importunitate mortis cuncta demolientis obruantur. Quot namque ciuitates, quam multæ gentes & nationes proſtratæ atque ſepultæ iacent, quæ olim imperio & rerum geſtarum gloria erant florentiſſimæ? Quis Aſſyriorum atque Perſarum imperium deleuit? Quis Athenienſium opes euertit? Quis Macedonum potentiam excidit? Nihil aliud certe fuit in cauſa, quam natura rerum humanarum, qua nihil eſt in terris imbecillius. Etenim ſi Cyrus Aſſyriorum imperium non deleuiſſet, ſi Alexander non fregiſſet potentiam Perſarum, ſi Romanorum armis Macedones atque cuncta Græcia minime corruiſſet; tamen neceſſe erat, vt omnia iſta imperia vel aliorum viribus conciderent, vel ætate conſeneſcentia tandem interirent. Quare fit, vt nemo ſapiens admiretur mortiferos & exitiales Rerumpub. exitus, cum hæc ſit omnium ciuitatum atque Rerumpub. communis conditio.

Verum enim vero quæſtio hic mouetur de impe-

rio-

riorum ac rerumpubl. diuturnitate, vtrane rerumpublicarum forma ſit durabilior: ſumma an infima, an vero inter vtramque media. Homo enim, ciuilis prudentiæ ſtudioſus, dum hiſtorias politicas reuoluit, ac rerumpublicarum viciſſitudines obſeruat, haud abs re quærendum arbitratur, quæ ſint cauſæ harum viciſſitudinum, verbi gratia, Cur ſparta tam multis annis in ijſdem moribus & eadem Reipubl. diſciplina permanſerit? Cur Athenienſium gloria tam cito perierit? Quid opes Romanas euerterit? quod tamen eo magis in Republica Romana eſt mirabilius, quo maior fuit in illa ciuitate gloriæ & imperij magnitudo, quam in omnibus alijs, quæ vnquam fuerunt. Proinde quæſtio hæc digna omnino eſt, quæ hic copioſius explicetur, & fideliter ac congrue reſoluatur.

Dico igitur, formas Rerumpublicarum medias cæteris duabus eſſe diuturniores. Infimæ enim ac tenues multo inferiores ſunt potentiâ, quam vt ſe defendere & declinare poſſint odium & violentiam potentiorum: qui in hoc vnice intendunt, quomodo ex infirmarum, quas quaſi ſolent abſorbere, demolitione interituque pinguefcant, non ſecus ac minores auiculæ a rapacibus, piſciculi minores a maioribus deglutiuntur. Quo ſane in hominum genere nihil eſt immanius. Sic enim libidine regnandi in transuerſum acti, nec amicis, nec generi indulgent ſuo; vsque adeo, vt Robertus Ganguinus affirmare non dubitet, apud pleroſque, eos præſertim, qui inſana regnandi libidine quaſi excæcantur, nihil

aut

aut probitatis aut fidei esse. Idque apparere ait in Antonio Caracalla. Cum enim is fratrem Getam in gremio matris interfeciſſet, & quidam ei ſuaſiſſet, vt fratrem interfectum, ad mitigandam inuidiam parricidij, diuum appellaret; Sit, inquit, diuus, dum non ſit viuus. Tam neſcia eſt, vt inquit ille, veræ pietatis & iuris regnandi cupiditas. Sic videmus bruta pleraque, quæ (quod tyrannorum proprium eſt) rapto viuunt, & quibus ſolius pabuli cura impreſſit aliqua tyrannicæ naturæ veſtigia, in proprios fœtus ſæuire potius, quam vt illos venationis ſocios accipiant. Eodem modo Plinius ſcribit, Aues vncos vngues habentes, omnino non congregantur, & ſibi quæque prædantur. Ad ſummam, non fruſtra barbara illa vox tam ſæpe ab hiſtoricis repetitur, nullum regnum ſine domeſtica cæde aut parricidio eſſe ſolere.

Sic Roma, deletis & expugnatis finitimis ad ſumma potentiæ & roboris faſtigia peruenit, ſuique imperij fines in immenſum adauxit. Sic ſubiugatis Græciæ ciuitatibus haud numero paucis, caput ſuum extulit rex ille Macedonum Philippus, regnumque adeo ampliauit, vt centum quinquaginta populi in ſua ditione numerarentur.

Sed enim Reſpublicæ potentiores finitimarum odia & ſuſpicionem facile in ſe concitant; quo fit vt interdum coniunctis viribus conſpiratione & confœderatione facta bellum ipſis inferant, & quod alioquin ſingulæ præſtare non poſſunt, id coniunctim præſtant.

Citius tamen potentes Reſp. cauſis internis corrumpentib. ſuccumbunt. Creſcēte enim potentiâ, diui-

diuitiæ quoque augeſcunt: His augeſcentibus omnis generis vitia peccataque ſuppullulant. His autē ſocia appendix eſt intemperantia, laſciuia, petulantia, luxus, prauæ cupiditates, & peſſimum horum germen auaritia, omnium malorum mater. Plurima quinetiam imperia, quibus parſimonia ſummam adiunxerat acceſſionem, diuitijs de gradu ſuo rurſus deiecta tandem interierunt.

His accedit vt indiuiduus comes ſuperbia, præſidiorumque confidentia, quibus ſe ſatis munitos arbitrantur, tum omni luxu diffluunt, arroganter in omnes ſe gerunt, ſubditos pariter ac hoſtes deſpiciunt, luxuque & otio adeo diffluunt, vt de adminiſtratione Reipub. quam minimum ſint ſoliciti. Quo fit, vt ſumma huiuſmodi imperia ſuapte grauitate ac pondere diſſipentur & corruant.

Ac veriſſimum eſt, quod longo vſu hiſtoriarumque inueſtigatione prodiderunt hiſtorici: Nulla imperia maiores motus aut caſus grauiores ſentire, quam quæ ſunt florentiſſima. Et quemadmodum Demetrius is qui *vrbium obſeſſor* eſt appellatus, neminem putabat infeliciorem, quam qui diutiſſime in ſumma rerum omnium affluentia pacate vixiſſet, nec caſus aduerſos vnquam eſſet expertus; quaſi hunc ipſum fortuna abiectum & indignum iudicaret, quo cum luctaretur. Ita ciuitates, inquit, quædam aut voluptatibus aut turpi otio ignauiter diffluunt; aut ita deprauatæ ſunt, vt ad miſericordiam potius quam ad inuidiam quenquam commouere poſſint.

Vnde

Vnde pleræque tales auctoritate & dignitate, quam res ante præclare geſtæ conciliarunt, magis quam præſenti virtute ſuſtentantur. Quemadmodum enim ars Chemica aurum aliquando ſimulat in ſpeciem quidem probum, quod tamen Lydio lapide examinatum facile adulterinum deprehenditur: ita etiam eiusmodi in Rebuspublicis plus clamoris, vt habet illud vulgatum, quam lanæ ineſt. Vnde non iniuria conſpicuo & in ſpeciem lauto ędificio attamen ruinoſo conferuntur: aut etiam homini obeſiori & corpulento, imbecillis tamen conſtitutionis. Exemplis infinitis hęc poſſent commonſtrari. Vnum aut alterum duntaxat inferemus. Spartani, quandiu legibus & conſtitutionibus, quas dictauerat Lycurgus, adhæreſcebant, nihil ab ipſis deflectentes, tamdiu Respublica ipſorum & ſumma potentia et dignitate præ cæteris Græciæ ordinibus floruit. Verum cum libido ipſos ſuæ ditionis terminos ampliandi inceſſeret, eoque nomine nonnullas Græciæ vrbes bello adorti ſibi ſubiugarent, imo quædam Aſiæ regna ad ſe pertraxiſſent, paulatim in peius ruere & defloreſcere cœperunt: adeo vt cum ante regem ſuum Ageſilaum, neque in mænium conſpectu hoſtem, neque puluerem hoſtilem vnquam cominus ſenſiſſent, debellatis Athenienſibus, fuſis Aſianis, ciues ſuos à Thebanis, vulgaris ſortis, quosq; hactenus ſemper pro nihilo duxerant, hominibus, vinci, fundi fugarique videre cogerentur: imo ijdem ipſi, quos deſpicatui antea ſemper habuerant, incurſione facta, Spartanam terram, omnibus diſiectis & deuaſtatis, ad mœnia vſque

dep̃dati ſunt. Atq; ita Spartani demũ poſt occaſum̃ imperij ſui ſuam ipſorũ temeritatẽ fruſtra deplorarunt. Nec vero ſola regnãdi cupiditate pungebantur, verum etiam alię imperiorum inteſtinę peſtes tanq̃ certiſſimę ei⁹ pediſſequę inter ipſos gliſcebãt, occulta nempe odia, priuata cõmoda & cõſilia iuuenilia, ac tum demũ agnouerũt, priſtino illo & æquabili imperio, cũ adhuc ariſtocratica gubernatione fruerẽtur, quãdiu publica vtilitas charior priuata fuit, quamdiu cõiunctis viribus & cõmunicatis cõſilijs libertatẽ ſuam defenderũt, tamdiu ſe ab externis hoſtib. tutos, viribus ac opib. abundãtes, fuiſſe inuictos ac prę cæteris floruiſſe. Diſtractis aũt animis & in ſua priuatim cõmoda reſpicientibus, prædã tyrannis factos fuiſſe. Nihil n. eſt procliuius, (vt inquit quidã grauiſſim⁹ auctor in Orat. ad principes & ordines imperij) quam vt talis Reſp. nutet, langueſcat, intereat & collabatur tota, quãdo hoc illi proprium eſt, vt in ea ſuum quisq; priuatim ſpectet emolumentũ, & cogitet, quemadmodum ipſe vel tueri ſua poſſit, vel etiã amplificare. Quid Romanos memorẽ? quorũ maior fuit gloriæ & imperij magnitudo, quam in omnib, alijs, quę vnquã fuerunt; qui veluti vinci neſcij potẽtiſſima regna ſępe occuparũt, multarumq; regionũ dominos ſibi vectigales fecerunt; quorũ Resp. felici auſpicio cõſita, deinde adulta rebusq; geſtis florens, deinde corroborata legib. & inſtitutis, ad imperij maturitatem atq; ad ſummã amplitudinem peruenit. Ingentem tamen labẽ ac ruinã aliquoties paſſi ſunt. A Viriato fuſi ſunt in Hiſpania: à Sartorio expulſi Luſitania: à Spartaco cęſi in Italia: tandẽ à Piratis obſeſſi

&

&ſame enecati,innumeris ꝓterea cladibus diuerſis tẽporibus quaſſati ſunt,quarũ apud hiſtoricos creberrima fit mentio. Iam ſi cauſas harũ cladiũ ſcire deſideres;memineris artes oẽs,quib. illud imperiũ partũ fuerat&quib.retineri poterat,fuiſſe ſublatas; ſic cauſas ruinę facile ꝑſpicies.An n.cũ inRomanos mores imẽnſa luxuria & effrænata opũ cupiditas inuaſiſſet,cũ legũ atq; ſenat⁹ auctoritas cõcidiſſet: cũ plebis animi ad ſpẽ ꝑdæ turbulentis cõcionibus erecti,impetũ facerẽt in fortunas locupletũ:cũ impunitate armata crudelitas, cęde & ſanguine ciuiũ vrbẽ cruẽtaret:cũ,qui armis plurimum poterãt,nõ de patrię libertate ſed de ſua dominatione cogitarẽt:cũ eſſent omnia iſta tela inReip.corp⁹ immiſſa; exiſtimas fieri vllo modo potuiſſe, vt illa diutius pmaneret? Adde his venalia comitia,iudicia redemta, nundinationes prouinciarũ, impia extraordinaria & infinita,ſummam Reip.ad certos homines dominandi cupiditate ꝑcipites delegatã;intelliges fieri nõ potuiſſe,quin illi⁹ ciuitatis opes fundit⁹ corruerẽt.Quid aũt hic referã Syllani atq; Mariani tẽporis arma? quę cladib. innumeris Remp.vexarũt, miſere dilacerarunt,ac tandẽ cõtagione diſcordiæ ad poſteritatem continuatę,viam tyrannidi munierunt.Dubitas igitur,quin tam multis vulnerib.afflicta ciuitas,fuerit aliquãdo diro & acerbo funere a ſuis ciuib. efferẽda? Itaq;ſi a ſapientib. viris interroges,quo tẽporeRoma perierit,reſpondebũt,opinor,ia ex eo tẽpore, quo obſoleuerat vetuſta diſciplinaRomanorũ,illãRem.nulla fuiſſe.Nec n. rei euentũ expectãt,qui futura certiſſime ex antecedẽtib.cauſis aſſequũtur, ſi ab imperitis q̃ras,illã Cęſa-

Digitized by Google

ris dominationē proferent. Nec eſt enim quisquā tam ſine mente, qui putet, poſt legum interitum & perditam libertatē & totius ciuilis ſtatus conuerſionē, vllū antiquę Reip. veſtigiū permanere. Quodſi quærat aliquis, quid poſt tyrannidē conſtitutam illas opes Romanas ab vniuerſa ciuitate in vnū collatas cōminuerit, primum illa repetam, quæ antea cōmemoraui, illas artes omnes, quibus gloriam & imperiū prius quæſierant, iamdiu inclinatas, tandē pręcipites concidiſſe. Nam iam pridē pro frugalitate, infinita luxuria, p militari duricia, ſumma corporis & animi mollicies, pro metu, legū audacia, libido, cupiditas immenſa Romanorū animos oppreſſerat, hominesq; patrię amantes ad inteſtina bella concitarat. Deinde mores immanes imperatorū, & naturā importunam, cum ſumma luxuria, & inaudita libidine coniunctā, exciſionem rebus omnib. intuliſſe dicam. Nec vero eſt, cur hic tātum funeſtas Reip. peſtes enumeremus, cū illud conſtet, multos propter crudelitatem atq; flagitia fuiſſe, tū à ciuib⁹ ſuis, tum à militibus, nō raro etiam ab ęmulis imperij contrucidatos. Cum autē illa conſuetudo interficiēdi principis inueteraſſet, neq; modo improbis tyrānis, ſed moderatis etiā imperatorib. eſſent inſidiæ comparatę, illudq; imperij nomē minime ſanctum hominib. fuiſſet, in eum locū res deducta eſt, vt nihil eſſet imperatore Romano vilius. Tandem, cum S.P.Q.R. auctoritas penitus extincta eſſet, & militaris licentia ſimul cum auaritia in immenſum creuiſſet, factum eſt vt milites pecuniarum fœdere quib. libuiſſet, imperiū addicerēt. Cum igitur neq; generis neq; virtutis rationem vllam haberent, ſed

quaſi

quaſi conſtituta auctione, illi qui plura promiſiſſet, imperium venditarent, erat impuriſſimo cuiq; aditus ad ſummam Reip. poteſtatem. Talibus igitur cuſtodibus ſummæ rerum præpoſitis, neceſſe erat vt omnia Reip. ornamẽta funditus interirent, præſertim cum ſæpenumero nequaquam deeſſet occaſio, ciuilis tumultus excitandi, eodem tempore diuerſis in locis imperatores multi crearentur, ſi illi imperatores potius quam inaudita portenta atque prodigia appellandi ſunt. Opes itaque Romanæ partim ciuili diſcordia, tetrisq; ſeditionibus nullũ exitum habentibus conſumptæ ſunt: partim maximis bellis & acerbiſſimis, quę per orbẽ terrarũ cõtra Romanum imperium oriebantur, deletæ, communẽ rerũ humanarum conditionem ſubierunt.

Atq; hi ſunt inteſtini illi morbi, quibus imperia propenſis dominationũ dignitatibus flacceſcunt ac collabuntur; ac qua ratione ferrugo ferrum tingit idemq; exedit & cõſumit; qua itẽ ratione matura poma in ſe pleraq; gignunt vermiculos; eadem potẽtes dominatus ſua mole ſuisq; vitijs laborãt, quibus ſi non ſubito, tamen ſenſim ſuſpenſoq; gradu atteruntur, aut in hoſtium poteſtatem tranſeunt. Hæc de potentiorib. dominatibus dixiſſe ſufficiat.

Cum itaq; maximorum quorumq; imperiorum tam facilis propter antiſtitum vt plurimum deſidiam ac ſuperbiam, ſit ruina; infimorum vero eo quod propter auguſtiores territoriorũ fines infirmioraq; præſidia hoſtiũ vim ſuſtinere aut ꝓpulſare non poſſunt, adeoq; prædæ ac direptionibus hoſtilibus fere quibuslibet expoſiti ſunt, longe facilior. Reſtat igitur, vt dominatus medios durabiliores

Digitized by Google

dicamus. Vt n.non ſunt tam infirmi, quo minus efferorum inſultus reprimere queant; ita quoq; tantarum viriũ non ſunt,vt ideo ſe exteris ſuſpectos & inviſos reddãt.Et quidẽ ipſi affectus& perturbationes animorũ minus vehemẽtes belle reſpondent & opib.& potẽtię,quę & ipſę mediocritatis metas non tranſiliunt.Ambitioni tantus locus nõ eſt,nec cõcupiſcentijs tanta indulgentia, quanta apud potẽtiores: ſiquidẽ a finitimis, eo ipſo ꝙ aliquomodo ſuſpecti ipſis ſunt,iniectis quaſi capiſtris cõpeſcuntur.Eſto autẽ,oriatur nonnunquam aliquid diſcordiarum: facile tamẽ breuiq; conſopitur. Quam etiam ſententiã tuetur Ariſtoteles Pol.2.c.2.& 5. (vbi etiã differit,imperij laudẽ nõ latifundijs aut regionũ amplitudine,ſed virtutis finib.terminari,) ibiq; explicat quę ſit Reſp.media;Si n.inqt,ciuitas ex medijs ciuib.ſit cõpacta ac conſtituta, quę neq; abundantia rerũ nimia inſoleſcere,neq;nimia rerũ penuria cõtabeſcere videatur,quisq;ſorte ac fortuna ſua cõtentus in ea viuet, minusq; alena appetet; vnde magna vis amicitię ciuilis naſcitur, in qua viuit, viget,floret & cõſeruatur ciuitas;ac quo maiores ſunt ciuitates ex medijs ciuib.cõſtitutę;eo minꝰ ſeditionib.ſunt obnoxię,atq; ob eã cauſam magis ſunt ſtabiles ac diuturnę. Vbi n.inquit idẽ Ariſtoteles, rara eſt in multitudine cõcordia,rara morũ aç ſtudiorũ ſimilitudo,talis ciuitas,tametſi populo numeroſiſſimo referta ſit,diuturna tamen eſſe non poteſt Ex quib.apparet,ciuitatẽ ſiue Remp.mediã Ariſtoteli dici eã,in qua ciues morũ ac ſtudiorũ ſimilitudine conſentiunt.Quinetiã ſapiẽter idẽ Ariſtoteles duo in partib.cuiusq;ciuitatis cõſideranda monet;qualitatẽ nimirũ,quę libertate,opib.doctrina, virtute,

hono-

honore cõſtat;&quantitatẽ,quę in ꝓportione rerũ numeroq; ciuium conſtituitur; atq; a fundatorib. ac moderatorib.ciuitatum ꝓ quantitate&qualitate ciuiũ,ideſt,pro ipſorum morib.ac numero omnẽ Remp.temperandã,nõ quidem vt ad malos ac diſſolutos mores ciuitatis adminiſtratio fluat, ſed vt leniore adminiſtrandi via ſuſcepta,tã mores quam leges ciuitatis ad mediocrẽ ſtatũ Reip.ſenſim ac pedetẽtim ꝓtrahantur. Nã etſi politici ac boni viri ſit in conſtitutione ciuitatis animos ciuiũ ad amplexũ virtutis flectere ac cõformare: cum tamẽ aurũ non ſit ſine ſcoria,granũ non ſit ſine palea,id eſt,cũ homines rariſſime ſine infirmitate viuãt,ꝓinde qualitas &mores loci,quantitas& multitudo hominum diligenter cõſiderari debeat, nẽ ſuſceptus labor in legibus ferendis inanis fiat.Neglecta ꝛquidem hac cõſideratione,fieri nõ poteſt, vt ad mediã cõmunitergq; optimã Reip.adminiſtrationẽ ciuitas adducatur.Itaq; vt idẽ monet Ariſtoteles,legumlatores ꝓportionem mediã intueri debent, ne concentus & harmonia ciuiũ in extremã diuitũ pauperumq; odia cõmutetur,vnde velut paralyſis &cõuulſio mẽbrorum in corpore ciuili nõ ſinẽ magno diſpendio naſcitur. Roma neglecta hac cõſideratione prima fundamẽta ſanguine fraterno ſparſit, adhuc paſtoralis;folia,nõ fructꝰ tulit,tandẽ vero cõſularis effecta,ramis ſuis vniuerſũ terrarũ orbẽ obumbrauit, ꝙ certe maxime tũ demum contigit, cũ qualitatis ac quantitatis rationẽ iuſtã accepit.Nam ſicut qualitatis ac quantitatis proportio in corpore naturali venuſtatẽ:ita vtriusq; debita cõſideratio in corpore ciuili ſingularem vnitatem efficit: quippe vt illis in quandam temperiem naturæ vi redactis mul-

membra ſpecie diſtincta vnũ corpus: ita eisdem in ciuitate ad quendã cõſenſum deductis, varię Reip. partes, quæ officio diſtinctæ ſunt, vna ciuitas efficiuntur; quę ſi media ſit, habetur omniũ pſtantiſſima; quippe illa cõſtituta verendũ non eſt (vt ait Ariſt.) ciuiũ diuortiũ. Nã media ciuitas eſt quaſi habena, qua tam diuites quam pauperes, ſummi quam infimi in gyro officij continẽtur. Cauendum ergo eſt, ne in adminiſtratione ciuitatis medię plus diuitib. ſummisq; viris tribuatur quã oporteat, quippe tẽporis progreſſu fallaciter populi vires frangere atq; eneruare contendent, verumq; malũ ex falſis bonis gignent, hoc eſt, ſub ſpecie boni omnẽ vim ac tyrãnidem in populum exercebũt. Vetus enim & verũ eſt illud, q̃ vulgo dici ſolet: Cui plus licet quam par eſt, plus vult quam licet; caute venandũ eſt cum leonibus, nam aliter in diuiſione prædę beſtiolis pars nulla relicta erit. Opulẽti maxima ex parte in omni Republica ſunt veluti vnguib. armati leones, (qui vt verbis Philoſophi vtar) fallaciter populi vires frangunt atque eneruant; qui temporis progreſſu ex falſis bonis verum malum gignunt, qui inſatiabili diuitiarum ſiti, Reip. quaſi fluenta ſiccant, adminiſtrationemque ciuitatis perdunt. Audiendus eſt ergo Ariſtoteles, qui ſuadet, ne plus quam par eſt, diuitibus in Rep. tribuatur. Nam vt ſcaturigines in Oceanum fluentes tumorem: ita opes abundantes diuitem inſolentem faciunt, cui ſi plus quã par eſt, honoris mandes, ex inſolente inſanum reddes. Cauẽdum eſt ergo, ne multi Craſſi, id eſt, ſupra modũ opulẽti ac potẽtes in ciuitate viuãt; aut ſaltẽ (ſi viuãt) ne multis magnisq; honorib. cumulati in-

tu-

tumeſcant nimiũ. Rationes ſunt quia primũ corrũpent multitudinem, hinc rapient imperium, deinceps oppriment ciuitatem, poſtremo non aliter quam truculẽti tyranni, deuaſtabunt omnia. Corrumpent multitudinem, nam mira vis eſt pecuniæ, cuius pondere nunquam defatigatur manus, cuius admiratione auarus ſatiatur nunquam; ac populus auidior eſt in rem ſuam, Plutiq; ſtercora nimiũ admiratur. Si ergo opulenti potentiores fiant, facile corrumpent multitudinem. Rapiẽt imperium; nam diuites vngues acutos habent, quibus tanquã vultures plebis viſcera poſſunt diſcerpere; ſi ergo honoris ſtimulos addas, imperium ſtatim deprædabuntur. Oppriment ciuitatem; nam filia ambitionis eſt oppreſſio ciuitatis: quid tandem ſequitur ex his cunctis, niſi vt ſic opibus armati truculentius depopulẽtur omnia? Periculoſum ergo eſt, plus diuitib. in Republica quã multitudini tribuere; quippe hoc nõ eſt ariſtocratiam ſed oligarchiam, motũ ſeditionis & quaſi tempeſtatẽ excitare.

Cæterum cum, teſte eodem Ariſtotele, potiſſima rectæ adminiſtrationis vis in quinque Reipub. myſterijs & arcanis fere conſiſtat, in concione nimirum, magiſtratu, iudicijs, armis & exercitatione rei militaris. In concione enim conſilium, in magiſtratu imperium, in iudicio oraculum, in armis eorumq; exercitatione columen ac præſidium ciuitatis ineſt, ſi hæc recte iuſteque inſtituantur, diu florebit ciuitas; ſin minus, neceſſe eſt, vt Herculis furentis tragœdiam, id eſt, ſui ſuorumq; perniciem præmaturam videat. Quippe ſi iniqua conſilia, ſi iniuſta imperia, ſi iudicia praua, ſi arma facinoroſa

regnent, quæ ciuitas conſtare poteſt? quæ vmbra ciuitatis manet?

Porro horum quinq; arcanus aliquando vſus eſt in politia, in quo vſu ne diſpendium aut naufragiũ patiatur Reſpublica, ſtrategemata ſophiſmataque legitima habentur. Verbi gratia, ſi pauperes exoſi imperium optimatum, ſtudeant à ſuis ceruicibus excutere, magnates, ne ciuitas in malũ penitus declinet, iuſte & ſapienter poſſunt ſub prætextu popularis boni, ſuperbã multitudinẽ, tanquã incautã auiculam, irretire, verbi gatia: Immunitates ipſis ac priuilegia quædam præ diuitibus concedantur & donentur, vt, ſi ad concilia, magiſtratus, iudicia, arma, præſidiaque ciuitatis lege cogantur diuites, permittatur autem tenuioribus ab his omnibus ſe excuſare: Magnus tunc color eſt ſeueritatis in opulentos, ac libertatis in alios. Sic ſi lex fiat, vt nobiles ſolum, ſub pœna centum librarum ad ſenatum veniant, liber vero populus in otio ac negotio ciuitatis viuat, putabit fortaſſe multitudo, in ſui fauorem hanc legem fieri. Sed eo tendit (docẽte. Philoſopho) vt ſub hac ſpecie libertatis, optimates ſoli potiantur imperio, & ſuo coerceatur populus officio: ſic olim mulcta non leui cõſtituta apud Lacedæmonios, ad ſenatum & concionem vocabantur proceres, ſed anguſtioribus fortunis vſis licuit abeſſe, quibus etiam fuit liberum, magiſtratus eiurare, iudicandi munus non obire, arma non emere, in præſidijs ciuitatis non excubare. Hisce & ſimilibus ſophiſmatis popularis adminiſtratio ariſtocratica demum euaſit, diuq; ſub optimatum ferula imperioque permanſit. Et ſane horum

rum ſophiſmatum vſus in omni Reip. adminiſtratione poteſt emergere, tum vero maxime cum à recto digreſſa ciuitas absque prætextu boni (in illos qui ſunt emendandi) reflecti non poteſt. Blandius itaque, re ita poſcente, ciuitatis antiſtes populum alloquatur, vt videatur in legibus ferendis populo fauere (nam & plurima ſæpe mala magiſtratus, populo furore quaſi percito, ſi non approbare, tolerare tamen cogitur) interim ſub molliorib⁹ verbis ſpinoſiora teget arcana ciuitatis, quibus illuſus populus ad obſequium ſenſim ac pedetentim trahitur. Caute tamen & prudenter demulcendus eſt hic leo, ne aut laxatis habenis inſolentior, aut nimium reſtrictis furentior fiat. Neque vero eſt hæc in bonis ciuibus diſſimulatio, ſed occultatio quædam myſteriorum, qua politice vtendum eſt, donec ſanẽtur vulnera ciuitatis. Nam vt peritus medicus ſæpe leniore manu grauiores morbos corporis: ita prudens magiſtratus, ſubtiliore arte tetriores labes reip. curat. Quod vero liceat hæc ſophiſmata & aucupia hominum ad bonum aliquando exercere, requirit neceſſitas, iubet prudentia & bonum ciuitatis. Neceſſitas id ſæpe requirit, nam cum vis valere non poteſt, ars præualere debet; at vi à mala conſuetudine populum auocare periculoſum eſt: ergo arte id operis præſtari debet. Vt ergo ſtrategemata in bello ad victoriam ducis: ita ſophiſmata in repub. ad quietem ciuitatis iuſte ac legitime exerceri poſſunt. Prudentia hoc iubet, quippe in qua ſolertia ingenium, prouidentia conſilium in rebus magnis poſtulat; ſed quam improuidi ac imprudentis ſit, parti ad-

uerſan-

uersanti arcana remedia detegere, nemo est tam improuidus ac imprudens, vt opinor, qui non videat. Postremo, quis non intelligit, hoc ipsum è re & vsu ciuitatis esse, si malum percrebuerit in ciuili communione, vt ingenioso prætextu laxati Reip. nerui moresque dissoluti feliciter emendentur, totaque ciuitas sanie iam multorum veluti putrescens, oleo non gladio, arte prudentis magistratus, non manu hostis reformetur.

Neq; tamen ob id optimatibus, qui huiusmodi sophismatis insanum populi furorem cohibent, simulationis aut dissimulationis nota potest inuri, à quibus nimirum, nihil sanctum, nihil verum, nihil rectum, sed omnia ficta, vena, veteratoria, versutæ speranda sint. Politici enim non sunt vt magici, qui falsis characteribus effascinatos animos multitudinis perstringunt, sed vt philosophi, qui mysteria suæ artis cuiuis non referant & aperiunt. Si ergo in malis ciuitatis formis conseruandis hæc adhibeantur arcana, non strategemata sed clandestina consilia haberi ac nominari debent. Felix est error populi qui ad bonum, miserabilis vero qui ad malum ducit. Sed in rectis ciuitatis formis corrigendis hęc sapientum magistratuum sophismata populum feliciter deceptum ad summum bonum, in malis autem ad perniciem trahunt: ergo vt in illis laudari, ita in his repudiari ac reprehendi debent.

Atque in his administrandi formis Reipubl. arcana latent, in his fausta sidera Reipublicæ lucent. Triumphauit olim Roma, cum concio purpuram, magistratus gladium, iudicia æquitatis trutinam in ea tenuerunt: at Roma tum cecidit, cum in senatu furor,

Digitized by Google

furor, in magiſtratu timor, fauor in iudicijs triumphauit. Ac beata profecto eſt ciuitas, in qua ſapiẽs magiſtratus viuit, in qua ſenatores & cõſules iuſte ac prudenter de rebus tot ac tantis conſilium capiunt; ſi togati conſulant, florebit palma: ſi armati ſolum, verendum eſt ne laurus pacis colorem perdat. Atque vtinam in omni ſenatu dextras armati & togati iungerent, viresque ingenij cum lacertis Herculis decertarent! Atque hęc ex Ariſtotele huc inferere viſum fuit, qua nimirum ratione ſtatus Reipub. ne extra mediocritatis limites egrediatur, contineri queat, de quo etiam infra libro ſecundo prolixius agetur.

Cæterum, quanta ſibi inuexerint mala ac difficultates Respublicæ eæ, quæ non contentæ ſtatus ſui mediocritate bella in exteros temere mouerũt, hiſtoriæ paſſim teſtantur. Inter omnes documento ſit vel ſola Roma. Hæc enim, quoad Remp. habuit mediam, quicquid etiam contentionum ibi exiſteret, facile cõpoſuit, ac quæuis bella pactis fœderib. propoſitisq; pacis conditionibus ſtudioſiſſime declinauit. Poſtea autẽ, cum ſuccedente auaritia limites ſuæ ditionis protendere Romani geſtirent; cum inteſtinæ diſcordiæ ciues diſſociarent; cum exteris hoſtibus vacarent, cum Marius Numidis & Cymbris, cum Sylla Græcis & Mithridate, cum Pompeius Hiſpania & Aſia, Iulius Cæſar Gallia oppugnatis & expugnatis tantum & roboris & authoritatis, cuius nomine ſe ſuperiores alijs crederent, conciliaſſent: ridiculos illos domeſtici belli ſtrepitus, quales ſæpius in ſeditionibus auditi erant, ſubſecuta ſunt latrocinia, incendia, depopulationesq;,

nesq;,quarũ finis non ante erat,quam aduerſa pars prorſum non ſine magna Reip. clade & malo, imo etiam vt plurimum euerſione ſupprimeretur.

Ex quibus apparet dominationes medias in priſtino vigore& robore diutius,quam vel florentiſſimas perſtitiſſe. Verum hoc comprobatumq; facit Sparta, Carthago, atque imprimis Venetiæ: quæ omnes & ſingulæ in ſtatu medio diutius floruerunt

Ac ſane vere hæc dicuntur, mediocritasque pro ſtabiliore imperij conſeruatione recte affertur,ſed pauci admodum mediocritate contenti intra ſuos ſe fines continent. Etenim principes magnatesq;, quod ipſorum eſt vitium,ſuis non contenti alienis inhiant, illisque ampliandis & augendis plus nimium ſunt intenti;quo tamen vt plurimum nihilo plus agunt, quam quod extra ſecuritatis aleam ſe proijciunt, infinitisque difficultatibus ac periculis ſe ſuosque immergunt.

Senſerunt hoc Venetiani. Quid enim mediocritàtis ſemitam egreſſi, contra vrbem Piſam hoſtiliter inſurgentes, contra Ludouicum Sfortiam fœdera pangentes, confecerunt? Immenſa opum vi ſe emungebant, imo in extrema ſalutis ſuæ diſcrimina incurrebant. Quare cautiores hiſce incõmodis diuerſisque cladibus redditi, poſtmodum, vt Cõtarenus ſcribit, ſtudia belli ac militarem diſciplinam deſeruerunt, pacis diuturnæ fructu & ocio delectati, adeo vt peregrinis non modo militibus,ſed etiam ducibus aduerſus hoſtes iampridem vti cogantur, ac ſi quis ex optimatibus ſtudia belli amplectatur, aut peregrinorum principum ſtipen-

ſtipendia quærat, hunc ab inſtituto domum reuocant: vti non iampridem Cornarium opibus ac propinquitatibus florentem, cum militares animos ſpirare, ac imperandi auiditate quadam teneri videretur, à principum peregrinorum conſuetudine ſeduxerunt. Quanquam autem periculi plena res eſt, exercitum peregrinum ac ducem peregrinum conducere, tamen Veneti, quippe loci natura, oppidisque ac propugnaculis munitiſſimis tuti, id non vſq; adeo morantur, etſi enim exercitus peregrini fraude vel ignauia vinci poſſunt, de imperio tamen deturbari haud facile poſſunt. Proinde quoniam pacem tantopere colunt, ipſorum conditio hodie cenſetur omnium optima, quo nomine etiam paſſim à Politicarum rerũ ſcriptoribus Respublica ipſorum miris modis prædicatur. Bodinus inter alia ita ſcribit: Ac ſiquidem bella non niſi propulſandæ iniuriæ ac pacis fruendæ cauſa ſuſcipienda ſunt: ac beata ciuitas eſſe putetur, quæ parta pace ſuis finibus cõtenta ſit: profecto Resp. Veneta videatur, quæ non modo imperij ſedem in loco, arte & natura inexpugnabili collocarit, verum etiam continentes arces ad imperij adiumentum valde oportunas tantis præſidijs firmarit, vt nec hoſtium impetus valde metuere debeat, & ſubditos imperijs ac legibus facile tueri poſſit, propagandi vero imperij curam penitus omiſerunt. Quinetiam bellorum cauſas omnes ſtudioſiſſime declinant, & illata difficilime ſuſcipiunt: ſuſcepta vero finire, ac pacem modis omnibus, magnoque ſæpius cum detrimento inire conantur. Id ipſum confirmat Ioannes Iouianus Põ-

tanus

tanus, vbi de incremento vrbis Venetæ ita ſcribit: Tantam rerum felicitatem, concordiæ ſtudium maxime peperit, ac viuendi inter ſe æqualitas, è ſtatuendis & ſeruandis legibus nata. Hunc itaque tuendarum legum conſenſum, ſecuta eſt adminiſtrandæ Reip. concordiſſima ſecuritas. Nam ne vnquam nobilium animi per ambitionem inſolescerent, qui eam initio conſtituere, vnum & quidē ſummum ſtatuerunt magiſtratum, quem qui gereret, ducem vocauere, ſenatus quidem principem: cæterum cui iniuſſu ſenatus, nec pace agere, nec bello publicum quidquam liceat. Dux ipſe ſenatū conſulit: ſenatus auctor decernit, cuius tamen decreta ducis nomine feruntur, &c. Hoc concordiæ ſtudium & æquabilitas gubernandi effecit, vt politico more loquendo, aduerſus omnem vim & iniuriam temporis, mille iam & ducentos annos incolumis maneat: cum tamen haud ſemel ad illius interitum potentiſſimi reges incubuerint, & ſic licet aliquoties preſſa, attamen nunquam oppreſſa fuit. Hucusque Pontanus.

Quamobrem, vt hoc caput tandem finiamus, quisquis imperij ſui mediocritate acquieſcit, illiusque terminis gaudet, etiamſi interdum etiam cum ſuo detrimento paciſcere pacemque precio mercari cogitur, næ ille ſibi ſuorumq; ſaluti quam optime proſpicit.

CAPVT VII.

Vtrum imperium contiguum diſiuncto ſit durabilius necne.

IMPERIA

IMPERIA diſiuncta aut tam procul inuicem abſunt, vt non poſſint ſibi mutuo ſuppetias ferre, ob intermedios principes & dominos, qui aut hoſtes aut ſuſpecti ſunt: Aut ita diſtant ab inuicem, vt poſſint. Fit autem hoc tribus modis: aut pecunia, quanquam difficulter & periculoſe: aut inducijs cū principibus, quorum regiones tranſire neceſſe eſt: aut mari, vt armato exercitu: id quod nulla cum difficultate cōiunctum eſt, modo dominatus mari ſint continentes.

Præterea, membra diſiuncti imperij aut tam ſunt imbellia, vt finitimorum impetus neutiquam retundere poſſint: aut tanto pollent robore, vt ſi adiacentibus non ſuperiora, at certe ſint paria.

Indubitanter ſane hoc infertur, quod imperia longe ſint tutiora, minusque etiam violentiam & impreſſiones hoſtium experiantur: eo quod ſint coniunctiora & viciniora: adeoque munitiora. Viciſſim autem & hoc verum eſt, quod eiuſmodi imperia internis corrumpentibus plus ſubiaceant, quippe quod elationem e veſtigio ſubſequitur cōfidentia: hanc ſegnities: hanc contemtus dignitatisque amiſſio. Potentia parit diuitias: hæ voluptatem, quæ omnium malorum Pandora eſt.

Hæc, cur imperia, vbi ad ſumma cacumina peruenerunt, rurſus deorſum ferantur, proprijſſima cauſa eſt. Quanta enim virium potentiæque eſt acceſſio, tanta virtutis deminutio: Et quo regnorum opes ſunt accumulatiores, tanto minor virtutis cultura.

Sub Auguſto Cęſare in ſummo gradu potentiæ

Digitized by Google

& auctoritatis Romana politia ſtabat: ſed ſub Tiberio voluptates virtutem premere, idque indies magis magisque ſub Caligula alijsque cœperunt. Fortitudine ſua Veſpaſianus rem Romanam fere reſtituerat, quã Domitianus vitijs ſuis denuo protriuit. Nec minor erat virtus Traiani, qui Remp. ad priſtinum ſtatum quaſi poſtliminio reducebat: quod & alij imperatores, quamuis rari ſecuti ſunt. Sed quid fit? Retro ſtatim ſublapſa fertur, vſque dum plane ſubuerſa fuit.

Quamuis autem ſæpius deinde inſtaurata aliquandiu cõſeruaretur, peregrinæ tamen illud virtuti non domeſticæ fert acceptum. Etenim, imperator Traianus Hiſpania: Antoninus Pius Gallia: Septimius Seuerus Africa: Alexander Mammæa: Claudius Dardania: Aurelianus Myſia: Paulus Syrmia: Galerius Dacia: Conſtantius Conſtantini Magni filius Dardania: Theodoſius poſtea inſtaurator imperij vocatus Hiſpania; oriundi erant.

Idem hoc in capita & duces quosdam, quorum virtus & fortitudo non minus nota eſt, conuenit. Stilico, Vllinus, Aëtius, Vandali fuere; Caſtinus Scythia; Bonifacius Thracia; Rithimerus, qui Biurgum Alanorum regem proſtrauit, Gothia; fuerunt oriundi. Ex hiſce facile eſt videre, Romanorum fortitudinem voluptatibus primo labefactatam adeo tandem inciſam eſſe, vt abſque auxilio aliunde accerſito ſubſiſtere, nedum ex ſe vires reſumere haud potuerit.

Tametſi vero Barbarorum exterorumq; opera Romanis ſæpe prodeſſet, labaſcere tamen & connelli indies viſa fuit, ab eo tempore, quando priuatum

tantum quisque spectare emolumentum & non etiam publicum in rebus gerendis cœpit. Sed hæc in præcedenti capite prolixius.

Neque vero hoc mirum: imperium enim internis destitutum viribus, exiguum tempus inuidis & hostibus reluctari potest. Imperium Hispaniæ intestina clade attritũ intra triginta menses in Maurorum potestatem deuenit. Constantinopolitanũ eodem morbo laborans intra paucos annos crudelissimam Turcæ dominationem sensit.

Insuper, exortis irarum dissidiorumque igniculis aut inter optimates aut priuatos: vel altero imperij membro temerarie turbas ciẽte: malum hoc opinione citius longe lateque serpit, quinetiam sana membra facile inficit: siquidem vicina: non secus atque pestifera, aliave contagiosa lues. Principe autem rem negligenter tunc tractante, coniunctum huiusmodi imperium citius concipit veneni contagionem, debilitatumque hostium impetus minus sustinet quam disiunctum. Quo fit, vt audacissimus quisque oblata occasione plebem ab optimatibus seducat; eoque facilius, quo minus optimates inter se concordes sunt: quæ pestis cum omnibus imperijs ac ciuitatibus, tum vero optimatum generi maxime omnium fugienda est. Discordiæ enim ex rebus leuissimis sæpe nascuntur, quæ veluti scintillæ flammas excitant, ac postremo bellorum ciuilium incendia maxima totam ciuitatem peruadunt.

E contrario vero disiunctus dominatus contra externos hostes finitimo & continente est impotentior. Etsi enim nihil esset, quod huius vires in-

stringeret, sufficeret tamen disiunctio & distantia loci. Amplius, si disiuncta illa membra imbecilliora sunt, quam vt incursiones hostium reprimant: vel si longius dissita sunt, vt mutuo auxilio se iuuare nequeant, haud facile contingit, vt dominatus iste diu subsistat. Membra dissita, si mutuo auxilio sibi inuicem succurrere possunt, si tantum fiduciæ ipsis inest, vt ad hostiles incursiones non expauescant, pro potenti dominatu censeri debent non minus, atque coniunctus. Cum enim auxiliatrices sibi manus porrigere queant, qui dicas id disiunctum imperium?

Cæterum, libenter quidem damus, robore & potentia eiusmodi dominatum cedere coniuncto: interim tamen multis etiam prærogatiuis donatum asserentes. Primo enim in modo dictum dominatum vna vice, atque vno eodemque tempore incursiones hostiles fieri non possunt: idq; eo minus, quo remotius membra à se absunt. Vt enim affligat omnia membra simul, non cadit in principem numero vnum: nec fortassis in multos.

Inde sequitur, vni ex his membro hostiliter appetito, facile suppetias ferri posse ab altero integro adhuc, neque hostem sentiente. Ita non semel Indianas Respublicas à Portugalensibus adiutas esse accepimus.

Nulla quinetiam dissensio, nullaque factio in imperijs disiunctis, siue ea ab optimatibus, siue à ciuibus rebellib. & seditiosis, omnes partes membraque simul occupat. Etenim, qui factiosa sua rebellione conspirant, in reliquis membris neq; habent neq; facile inueniunt locum. Accedit etiam huc,

huc, quod ſanguinis coniunctio, amicitiæ, confœderationes & clientelæ tam late non patent. Hoc itaque modo rebelles & ſeditioſi ab ijs, qui ab imperatore ſuo non defecerunt, facili negocio coercentur atque ad debitam obedientiam compelluntur.

Porro etiam neque tam breui tempore, neque tam impetuoſe diſcordiarum & ſimultatum ſemina in diſſiti imperij partes diſpergi, quam in coniuncti, cuius partes cohærent, poſſunt. Locorũ enim diſtantia confuſionis curſum intercludit, temporisque moram longiorem requirit, id quod ſemper & legitimo domino & iuſtitiæ patrocinatur. Hinc etiam raro imperia, niſi iam ante viribus ſuis inteſtino malo priuata, externe corrumpentibus ſunt obnoxia, ſecundum illud Vegetij: Nulla enim, inquit, quamuis minima natio poteſt ab aduerſarijs perdeleri, niſi proprijs ſimultatibus ſeipſam conſumſerit.

In quibus itaque dominatibus illa duo concurrunt, tametſi habeant membra longius diſtantia, de ijs affirmare non vereor, æque eſſe firma & durabilia, quam quorum fines ſunt contermini.

Ita habet regnum Hiſpaniæ: Primo enim membra, quæ illi parent, tanto pollent robore, vt nullum ex finitimis hoſtem pertimeſcant. Comprobant hoc Mediolanum & Flandria, quæ à Gallis, ſemper tamen fruſtra, armis aliquoties ſunt infeſtata. Comprobant etiam Neapolis & Sicilia.

Quamobrem, etſi diſtantia ſit longior, non tamen videri debẽt prorſum diſiuncta & ſegregata. Præterquam enim, quod argento, quo Hiſpania

Digitized by Google

affluit, omnia assequitur, mari etiam ita continentur, vt non sit vllum membrum cui classe instructissima suppetię ferri nequeant, excepta sola Flandria, quæ Angliæ est è regione.

Porro, rem nauticam adeo callent Catalani, Biscaij, Gallegij & Portugalenses, vt iure audiant nauigandi exactissimi magistri, nauiumque patroni. Hac arte, hac peritia obtinent, vt Hispania, quamuis mẽbris sit disiuncta, tam cõiuncta habeatur, ac si partes contigue se attingerent: plurimum autem hoc seculo, vbi Castiliani & Portugalẽses Hispano subiacent. Duæ hæ nationes cum vtrinq; soluunt, & vela faciunt, altera versus orientem, altera versus occidentem, coniunguntur ad insulas Philippinas. Toto autem itinere, quod sane ad amplitudinem regni Hispanici haud parũ momenti habet, passim obuias habent insulas, regna, portus, quæ aut ad regnum Hispanicum proprie spectant, aut sane cõfœderatis ipsorum socia, aut eorum clientelæ subiecta sunt.

CAPVT VIII.

Qua ratione imperijs suus status conseruetur.

BONAM imperij constitutionem immediate conseruat pax inter subiectos: Fit autem duobus modis: vt & discordiæ. Has aut ipsimet ciues, aut peregrini cient. Dupliciter ciues factionibus vniuersitatem conturbant. Aut enim seipsos inuicem mutuis armis atterunt, intestinis se cladibus dilaniantes, id quod intestinũ aut ciuile bellum vocamus; aut seditiose contra

suum

ſuum magiſtratum inſurgunt, & rebellio vocatur.

Sciendum autem eſt, ciuium ſeceſſiones ac diſcordias omni ciuitatum generi exitioſas, ac modis omnibus declinandas eſſe: aut ſiquidem nullis cõſiliis prouideri, vel prouiſæ caueri non potuerunt, medicinam quæri oportere, quæ ſalutem laboranti Reip. pariat, vel certe morbum minuat. Vt enim morbi ac vulnera, ipſæq; animi ægritudines ac perturbationes, tum corporibus tum mentibus noxiæ ſunt, ita quoque bella ciuilia Rebuspublicis ac ciuitatibus peſtifera ſunt ac pernicioſa. Ac cum omni ciuitatũ generi metuenda ſunt bella ciuilia, tum vero popularib. & optimatum imperijs ſemper exitioſa fuerunt. Quare princeps Reip. quam maxime operam dabit, vt factioſorum audaciam vi ac armis mature coerceat. quod futurum eſt, ſi aut arma ponere iubeat, & ab integerrimis ac prudentiſſimis iudicijs cõtrouerſiam dirimi patiatur. Aut ſi tanta mali vis eſt, vt nec leges inter armorũ ſtrepitus exaudiantur, & magiſtratuum imperia ſeditioſorum ciuium metu conticeſcant; cohortes prætorias aut etiam turmas equitũ vbique diſponat, ac ſeditionis capita, ſi fieri poteſt, repente opprimat: vt ſuppliciũ quidem ad paucos, metus vero ad omnes perueniat; ne dilatatio duces partium ſupplicij metu in eam deſperationem adducat, vt Reipublicæ perniciem moliantur. Sunt enim ac ſemper fuerunt fortes ac boni ciues, qui pro patriæ ſalute mori non dubitent: plures ſunt tamen qui patriã pro ſe perire malint. Tales igitur ciuitatum peſtes opprimere derepente neceſſe eſt, ne ſæpius in vno homine ſalus ſumma Reip. periclitanda ſit:

ilized by Google

etiamsi ob priuatas inimicitias ciuiles discordiæ exoriantur. Quod si factio principem aut Remp. opprimere tentabit, minime dubitandum est, an princeps se aduersarium ac hostem ferre debeat seditiosorum, qui se principis ac Reip. aduersarios omnium maximos profitentur: alioqui si, cum de statu ac fortunis Reip. aut etiam de principis capite agitur, ipse otiosum spectatorem se præbeat, nõ modo audacissimos, sed etiã ignauissimos quosq; ad se opprimendum inuitabit. Si parua manus est cõiuratorum, patietur magistratus ipsos lege agere, ac suppliciorum acerbitatem sua lenitate moderabitur, eoq; citius quo pauciores comprehensi fuerint, vt tum boni ciues in officio contineantur, tum improbi ab incepto deterreantur; nec tamen nimis curiose & anxie de coniuratis omnibus inquirendum erit, ne tormentorum vis arcana extorqueat, quæ ignorari quam sciri præstabilius sit. expressa tamen rei veritate, nec coniuratorum in caput principis supplicia differri, nec facile cuiquã in eo genere ignosci debet.

Hoc itaque malum quale quantumque sit præcauent & tollunt principum artes & virtus, quæ subditos reddunt dominorum amantiores & studiosiores. Quemadmodum enim res naturales ijsdem mediis, quibus olim prodierunt, rursus destruuntur, ita etiam Respub. quæuis, quo primum constituta est modo, conseruatur.

Quæ vero ratio olim augescente mundo multitudinis animos ad eligendum regem, principem, aliumve magistratum, eique obediendum inflammauit? Non ambigitur, quin fuerit amor & fauor, quo

quo eos prosequebatur subditi, deinde vero a rectotas & grauitas, quam virtute paratam rebus præclare gestis roborassent. Quæ sane duæ ratione, etiamnum subditis, dissentiendi pudorem incutiunt, adeoque incolumitas Reip. hoc modo conseruatur, id quod nemo negare audebit. Vtrum vero in eligendo rege prævalet? auctoritasne an furor? Plurimum in dignitate procul dubio situm est. Non enim multitudo olim regendam se alij commisit, quod insigni suo fauore captaret principis beneuolentiam, sed quod communi saluti id crederet fructuosum. Hinc etiam elegerunt, non cui plurimum faueretur, sed qui heroâ virtute alijs esset eminentior.

Sic res difficiliores, quas feliciter expeditas vellent Romani, non commiserunt iuuenum temeritati, quamuis cliētelarum fauore multū præcellerent, sed senum prudentiæ: quales fuisse Manlios, Papirios, Fabios, Decios, Camillos, Paulos, Scipiones, Marios, aliosque accepimus. Odiosus & inuisus erat Romanis Camillus, Romaque propterea eiectus, & tamen vrgente necessitate Romam reuocatus creatur dictator.

M Liuius initio nullo loco nulloque numero erat, et quod amplius est, a plebe cōdemnatus multabatur: quod cum ægerrime ferret, longius secessit, Roma plane derelicta. Verum cum inquietior Reip. status singulatem desideraret virtutem, iterum pertractus est, Romamque accersitus consul et dux contra Hannibalis fratrem constituitur: omnino sepositis illis, qui varijs technis, et machinis gratiam et fauorem plebis aucupati, honorem flagitijs inhiabant.

Digitized by Google

Senilis auctoritas bello Macedonico promouebat L. Paulum; Cimbrico Marium; Mithrydatico Pompeium. Hæc eadem Vespasiano, Traiano & Theodosio imperium Romanum; Pipino & Hugoni Capplero Gallicum; & Gothefrido Hierosolymitanum conciliauit.

Ecquod, inquiat aliquis, inter fauorem & dignitatem, statuis discrimen? Vno quidem & eodem nituntur fulcro, virtute nimirum. In hoc tamen est discrimen, quod fauor contentus est rebus mediocriter bene gestis: sed dignitas sublimior est, rebus magis arduis & præclarioribus intenta. Homo enim fortiter & secundum virtutem sua administrans si vulgarem hominum existimationem exuperat, multum quidem per se diligitur, suspicitur, sic tamen, vt plus sibi vindicet auctoritas. Rara siquidem virtute præstans vir plus suspicitur quam diligitur.

Quod si eiusmodi veneratio religionem Deiq; cultum concernit; dicitur reuerentia. Quod si attinet res Politicas aut bellicas administrandas, reputatio, id est, auctoritas vocatur. Itaque vnum & idem principi & beneuolentiam & auctoritatem conciliat, modo in eo genere cæteris ille sit præstantior.

Quid iustitia suauius, quid amœnius: Huius virtutis ductu Camillus pædagogo, qui proditorie hosti discipulos adducturus erat, magna cum infamia ad Falisços remisso, tantam gloriam tantamque auctoritatem adeptus est, vt Falisçorum portas vnico hoc facinore, quas etiam validissima armatorum manu vel leuiter concutere, vix videbatur pos-

sibile, facile aperuerit. Fabricius quod Pyrrho Medicum perfugam, qui veneno regem clam in gratiam Camilli necaturus erat, remisisset, omnium admiratione in tantam iustitiam vel ad stuporem vsque conuersa, hoc consequitur, vt positis armis rex pacis expeteret conditiones.

Quid castitate iucundius, quid suauius? Nam & hæc Scipionem (illibatam enim & intactam suo sponso sponsam reddebat, quamuis formosissimam) non tantum in magna gratia, verum etiam in summa dignitate apud Hispanos collocauit, vt ad vnum omnes de eo dicerent, Esse eum è Dijs quempiam cœlis delapsum.

CAPVT IX.

Princeps virtute præstans esto.

IMMOTVM cuiusuis politiæ fundamentum est priuatorum obedientia erga cõpetentem magistratum. Ea autem in virtute principis vel domini subsistit. Vt enim elementa & ex his conflata corpora non inuita ad cursum cœli, quod ob naturæ præstantiam nobilius est, mouentur: quin imo, vt in orbibus cœlestis ordo constitutus est, vt inferiores se ad superiorum periodos componant: ita quoque multitudo principibus suis libenter sese submittit, ijs nimirũ in quib. nõ virtutes tantum esse nõnulli rentur, verum etiam qui cæteris bonis virtutum exemplis prælucent! Nemo quidem, quod ego credam, superioris & præstantioris imperium detrectat,

ctat, parium autem aut deteriorum quivis. Vnde Poeta.

Nec quenquam, inquit, *iam ferre poteſt, Cæſarve prio-* (rem
Pompeiusve parem &c.

Maxime autem hic requiritur, nē causam celebritatis præbeant res leuiculæ, quæ parui aut ſane nullius momenti ſint. Sit autem in eiuſmodi factis clarus, vnde eximia mētis perſpicacitas, admiranda prudentia, ingenijque diuinitas euidentiſſime elucet. Liuius enim ait, *Vinculum fidei eſt melioribus parere.* Et iterum Dionyſius, *Æterna natura lege receptum eſt, vt inferiores præſtantioribus pareant.* Magnus ille Ariſtoteles monet, eos demum veros eſſe principes, qui alios virtute & ſapientia anteeant: nobilitatemq; honorari, quod ea virtus ſit ex ſanguine orta. At ſane veriſimile eſt, a piis procreari pios, ſic enim habet illud vulgare:

In ſobolem tranſire ſolet cum ſemine virtus.

Inde fit, vt plus inuidiæ & ſuſpicionis in nobiliores & pios apud tyrannos reſideat, quam in peiores & ignobiliores. Quoniam enim ea conditione, quæ in ſolam virtutem quadrat, indigni & incapaces ſunt, ſatis argumenti habent, quamobrem metuant, quæ ſibi non conueniunt, ſiquidem neque meriti, neque vnquam digni.

Porro antequam hoc caput concludamus, prius quæſtionem de nobilitate breuiter discutiemus: An videlicet nobilitas ſit in bonis numeranda nec ne, ſeu, Vtrum natura, an vero opinione contineatur. Quidam prius negant, quidam affirmant. Qui negant, his nituntur fundamētis. Quantum enim, inquiunt, ad naturam attinet & vitæ humanæ cō-

di-

ditionem, vix intelligere poſſumus, quem fructum ferat hæc nobilitatis admiratio. Simul enim vt in hanc vitam fragilem & calamitoſam ingredimur, ita legibus ijſdem tenemur vniuerſi, vt nemini detur libertas recuſandi mala quamplurima, quibus hæc mortalis conditio afflicta eſt. Omnes viuendi principium a lachrymis & acerbitate facimus: omnes infinitis miſerijs & anxietatibus implicati, in metu atque dolore verſamur, atque tandem varijs caſibus ad mortem imus. Tantum vero abeſt, vt ab ijs peſtibus tuta ſit nobilitas, vt multo grauior ſit eius conditio, & exitus multo acerbior: ſiquidem vt fumus ſemper ſumma petit: ſic morbi, cædes, inſidiæ, & reliqua vitæ mala, eos potiſſimum perſequuntur, qui ſunt in altiſſimo gradu collocati. Sin autem animum ad corporis naturam conuertas: ne in illo quidem quicquam ineſſe comperies, quamobrem nobilitas ſit plebeijs familijs anteponenda. Nec enim viribus eſt valentior; neque celeritate pedum velocior; neque valetudinis firmitate robuſtior. Imo quo delicatius viuit, eo corpus reddit infirmius: & maiora morborum cruciamenta pati cogitur. Quod ſi nec in fortuna, nec in corporis præſtantia eſt id quod hominum inter homines diſcrimen facit, & tanquam in claſſes diſtribuit: certe in bonis animi eſt id, quod a principio ordines hominum varie diſtinxit, aut nusquam eſt. Nec enim aliud genus bonorum præter hæc tria inuenitur, ad quod hic nobilitatis ſplendor reuocari poſſit. Cum autem videamus aditum ad virtutem patere omnibus, & ſæpenumero qui claris pa-

parentibus orti ſunt, ad turpiſſima flagitia delabi, & ignotos homines interdum ad virtutis laudē vehementius excitari: reliquū eſt, vt ſuſpicemur, hác, quam vulgo nobilitatem appellant, prorſus inanē eſſe & à ſola multitudinis opinione ineptiſſime cōſtitutam. Atq; hæc ſunt quæ contra generis claritatem diſputari poſſunt, quod nimirum nec vllam habeat dignitatem, nec vllo modo ad aliquod bonorum genus reuocari poſſit.

Verum enim vero grauiſſime fallūt & falluntur. Annon enim, vt hoc exēpli loco inferamus, omniū gentiū in re aliqua cōſenſio, lex naturę putāda eſt. Cum vero videamus vniuerſum genus hominum, quamdiu eſt ab animi pturbatione liberū, mirifice conſentiens ad honores ampliſſimos certis gentib. deferēdos; id certe nō temere euenire arbitramur. Quod quidem vt melius perſpici poſſit, ab ipſa natura exordium capiemus. Principio igitur in naturæ vim & vniuerſi conditionē intuēti nihil ſane occurret, quod non vel cętera vincat dignitate, vel ab aliorum genere ſuperetur. Hoc enim in rebus omnibus incredibiliter natura fabricata eſt, vt cum oēs rerum formæ inter ſe ſint diſpares atq; diſſimiles, tum in nullis inſit eadem omnino vis & potentia: ſed alia aliorū impetu & vi moueantur: alia impellant & moueant. Primum enim ſi cœlum diligentiſſime ſuſpicias, nihil in eo videbis, quod vel in eodem loco reponi, vel eadem venuſtatis laude cenſeri debeat. Sidera namq; cernimus nō tantū otdine atq; ſpecie, verum etiam virtute & potētia inter ſe longe diſſimilia: ita vt alia quidem quaſi imperium exerçeant, & reliquis afferant ſplendorem &

di-

dignitatem: alia vero lucem à præſtantioribus accipiant. Deinde videmus etiam ignem omniũ elementorum facile principem in ſummo loco collocatũ, cuius vi ſubiecta corpora concitantur: quorũ rurſus eiuſmodi ratio eſt, vt ſit inter illa maxima virtutis & potentiæ diſſimilitudo. Quid autẽ, (vt ad hæc inferiora deſcendamus) de plantis aut animantium genere dicam? An in omnib. eadẽ facultas ineſt atq; naturæ bonitas? Et hoc diſcrimen non in ijs duntaxat cernere licet, quæ ſunt diſſimili ſpecie & ratione: ſed in ijs etiam quæ eadem natura continentur & forma. Nec enim omnes eiuſdem generis arbores vel eamdẽ in ſpecie venuſtatem habent, vel eundem vtilitatis fructum: nec omnes equi pari pernicitate præditi ſunt: nec omnes leones eodem virium robore muniti. Deniq; nullũ genus animantium atq; adeo rerum eſt, in quo nõ extare & eminere quãdam nobilitatis effigiẽ perſpiciam⁹. Hæc autem naturalis excellentia in rebus ſempiternis ſemper manet: in ijs autem, quæ oriuntur & occidunt, virtute quadam ſeminis in ſobolem ipſam infunditur.

Cum ergo hæc tanta vis naturæ ſit, tantumque iuris habeat, vt res mutas, belluas rationis expertes: reliqua denique omnia complectatur, quid tandem conuenit, eam in homine animantium reliquorum principe fingendo minus efficacem arbitrari? Quid? à quali arbore ſurculus defringatur, & quali genere ſit canis ſuſceptus, aut equus generatus, magni intereſſe putamus? Qualibus autem parentibus homo procreatus ſit, nihil ad rem pertinere exiſtimabimus?

Certe

Certe si id contentionis studio negare vellemus, res tamen ipsa nos aperte conuinceret. Perspicuũ est enim, vniuersas ferme gentes eisdẽ studijs semper oblectatas & eisdem moribus præditas fuisse. Quod sane facit indicium, hanc naturæ vim sic in singulis nationibus esse defixam, vt nulla cõditione euelli queat, hominumque mores ad posteritatem traduci. Sic Galli ingenijs variant à Germanis, Germani ab Hispanis, Hispani ab Italis, & vice versa singuli à singulis. Nulla deniq; natio est, quam natura non finxerit aliquibus vel vitijs vel virtutibus insignem, quæ virtute seminis posteritati ingenerantur. Hoc autẽ multo clarius in certis familijs semper eluxit. Id enim ferme videmus euenire, vt ij, qui illustri loco nati sunt, eas virtutes studiose persequantur, in quibus sui maiores aliquam laudem consecuti sunt. Ita vt qui hac sunt stirpe generati, sint manu prompti, & insignibus pugnis clari: qui alia, liberales atque munifici: alij vero rerum ciuilium prudentia cumulati. Ex qua quidem re efficitur, virtutem non tantum moribus, studio & consuetudine, sed etiam natura, genere & ingenio contineri. Id autem nobilitatem esse dicimus, quandoquidem nihil aliud est nobilitas, quam virtutis præstantia in aliqua gente constituta. Nobilitatem igitur non opinione, sed natura contineri, expositum arbitror.

CAPVT X.

De duplici virtutis præstantia in principe.

VIRTV-

Digitized by Google

VIRTVTVM præstantia est in principe aut omnibus numeris absoluta, aut secus. Perfectam autem voco, quæ in omnibus aut sane maxima parte medium excedit. Imperfectam autem, quæ elucet in singulari aliqua virtute, qua princeps principi præstat.

Ad priorem, perfectam nempe virtutis præstantiam, ex imperatoribus referre licet Constantinum Magnum, Constantem, Gratianum, Theodosium, Iustinum, Iustinianum (nisi fuisset monothelita) Tiberium II. Leonem philosophum; Henricum I. Otthonem I. (nisi illegitimo modo sacerdotiorum iura sibi arrogasset,) Otthonem III. Lotharium II. Sigismundum, Fridericum III. Carolum V. Ferdinandum. E regibus Galliæ, Clodoueum, Carolum Martellum, (quamuis regio titulo caruerit) Pipinum, Carolū Magnum, Carolum sapientem, Robertum, Ludouicum VII. Ludouicum IX.

E regibus Hispaniæ optimi & præstantissimi fuerunt, Richaredus, primus Gothorum rex, qui catholicus fuit, Pelagius, Alfonsus catholicus (ita dictus, quod Arrianos in Hispania funditus extirpauit) Alfonsus castus, Ramirus, Alfonsus Magn⁹, Alfonsus VII. Sanctius (qui fuit tanquam alter Titus in Hispania: Descades, id est, mundi amor: vterq; breuis vitę, & gubernationis) Alfonsus VIII. Iacobus rex Arragoniæ, Ferdinandus III. Ferdinandus catholicus.

Ex papis optima virtute nitebant hinc à Syluestro, Iulius huius nominis primus, Damasus, Innocentius I. Leo Magnus, Pelagius, Gregorius I. & post eum Bonifacius IV. Vitalianus, Adeodatus,

Leo II. Conon (ob vitæ ſanctimoniam Angelicus cognominatus) Conſtantinus, Gregorius II. & III. Zacharias I. Stephanus II. Adrianus I. Leo III. Paſcalis I. Eugenius II. (pauperum parens vocatus) Leo IV. Benedictus III. (qui inuitus creabatur papa) Nicolaus I. abſens & inuitus papa ſalutatus) Adrianus II. Ioannes III. Leo IX. qui ab imperatore Henrico papa declaratus, deinde vero à Romanis, vbi Romam tanquam priuatus ingreſſus eſt, magno applauſu eſt exceptus: Nicolaus II. Alexander II. (abſens electus,) Gregorius VIII. qui eccleſijs ſua priuilegia reſtituit, ſediq; Apoſtolicæ priſtinam dignitatem, hactenus conculcatam recuperauit. Vrbanus II. qui contra infideles laudabilem fecit expeditionē: Paſcalis II. (inuite electus,) Gelaſius, II. Calixtus II. Anaſtaſius IV. Alexander III. Clemens III. & IV. qui cum indignatione plures vna præbendas cognato ſuo denegabat. Nicolaus III. qui propter integrum modeſtumque vitæ genus Compoſitus dicebatur. Nicolaus V. cui inuito electio contigit.

CAPVT XI.

Quibus virtutibus illuſtres, quo in celebritate & auctoritate viuant, animum adijcere debeant.

VNIVERSÆ quidem virtutes poſſeſſoribus ſuis proſunt ad conciliandum aliorum amorem, & auctoritatem: At earum nonnullæ plus auctoritatis, nonnullæ autem plus beneuolentiæ afferunt.

Prioribus aſſcribimus eas, quarum adæquatus finis

inis eſt, aliis benefacere: ceu ſunt humanitas, conitas, beneficentia, &c. Has omnes ſub iuſtitiam & liberalitatem referimus. Sub poſterioribus intelligendæ ſunt, ad quas ſingularis mentis perſpicacitas, rebus difficilioribus accommoda, deſideratur. Tales ſunt fortitudo, peritia rei militaris, modus dominandi, conſtantia, magnanimitas, mentis ſagacitas, aliæque plures, ſub prudentiæ & fortitudinis nomine intelligendæ, &c.

CAPVT XII.

De iuſtitia, quam principi ſit neceſſaria.

CVM, teſte Ariſtotele, virtutes maximæ illæ ſint, quæ ſe ad ciuilem ſtatum & hominum ſalutem accommodant; & quibus ſocietas hominum & vitę quaſi communitas continetur; ampliſſimis illi honoribus digni ſunt, qui non tantum inſtitutis domeſticis & optimis moribus ſunt inſtituti, ſed etiam omnia ſua inſtituta ac mores in communem conferunt ſocietatem, quibusque publici quam priuati emolumenti maior cura eſt. Nec enim tantum noſtra ipſorum cauſa nati ſumus, ſatis quippe tunc eſſet ad ſummam dignitatem, noſtros animos recte cõponere, & familiæ noſtræ proſpicere. Cum autem natura nos ad reliquos homines iuuandos impellat & exſuſcitet: is videtur munus ſibi delegatum omni ex parte præſtitiſſe, cuius ſtudiũ erga Remp. magnis in rebus perſpectum fuerit. Non quidem, vt illa boni viri virtus ſit vllo modo cõtemnenda: nam ſi non tota, aliqua certe Reip. pars, nẽpe illius domus & familia eius conſilio cõſeruatur. Verun-

tamen cum intra domesticos parietes continetur, neque sese vlterius effundit, haud videtur illis amplissimis honoribus valde digna, qui tribuuntur illis, quorum virtus latissime patet, & Remp. vniuersam amplectitur. Nec enim vnquam tanta fuisset hominum consensio, ad paucorum virtutem diuinis laudibus ornādam, nisi cernerent vniuersi, se illius opera fuisse magnis in rebus adiutos. Proinde ciuili tantum disciplina ad istam nominis claritatem peruenirī poterit, Huius autem disciplinæ præcipua quidem pars est *Iustitia*, in qua virtutis maximus splendor inest. Eius enim admiratione commoti initio mortales omnes opes certis hominibus detulerunt. Sic enim, cum de iustitia quæritur, disputari solet: fuisse quoddam tempus, cum genus humanum vitam in syluis & agris nullo certo more traducebat: nullam colebat religionem: nullum humanitatis officium tuebatur. Nihil denique ratio vel disciplina, sed pleraq; vis & furens animi impetus administrabat. Cum igitur latrocinia atque cædes infinitæ fierent: & ij, qui viribus plus valebant, affligerent imbecilliores, essetque omnis vita malis innumeris circumuenta: omnes ij, qui iniuriam acceperant grauiorem, confugiebant ad præsidium alicuius præstantis ingenio viri, in quo lumen æquitatis elucere perspexerant. Is cum miseros & supplices in suam fidem recepisset, studiumq; suum extinguendi latrocinij, reprimendæque cædis & iniuriæ vindicandæ declarasset, & potētes cum tenuioribus pari iure retinuisset: euenichat vt omnes, qui otium & securitatem amabant, omnia vitæ præsidia in eius virtute & imperio

o conſtituta putarent, quem animaduertebant
ſe iuſtitiæ laude florentiſſimum. A iuſtitiæ igitur
›nte regia poteſtas orta eſt: hinc optimates &
rincipes extiterunt: hinc prima nobilitatis prin-
pia nata ſunt: nec vllum omnino genus claritatis
ut antiquius aut præſtantius hac regum natione
:peritur, qui primi virtute ſua humanam naturã
xcoluerunt. Horum diuinitatem admiratus He-
iodus, reges à Ioue procreatos eſſe, in Theogonia
criptum reliquit. Quæ opinio fuit etiam à multis
ſurpata, vt eum gentilem Deorum exiſtimarent,
ui virtutis huius præſtantia clarus eſſet. Quod
utem nullius virtutis laus illuſtrior eſſe poſſit, vel
ioc indicium facit, quod reliquæ omnes, ſi nõ ſint
:um iuſtitia coniunctæ, nullam poſſunt habere cõ-
nendationem: hæc autem etiam à reliquis ſeiun-
ta ſuam ſemper retinet dignitatem. Ex quo in-
:elligi poteſt, nullam eſſe viam ad amplificationẽ
honoris & gloriæ certiorem, neque quę maioribus
ornamentis gentem aliquam afficiat.

Prima itaque ratio benefaciendi ſubditis eſt, vt iuſtitiæ beneficio cuiuis ſua bona defenſentur & conſeruentur. Hocque vnico procul dubio pacis fundamentum, publicæque concordiæ vinculum continetur.

Chriſtus ſeruator noſter, eccleſiam, optimam profecto politiam, ſibi cõſtituturus, eius membra dilectione, tanquam arctiſſima copula coniunxit. Vis eius tanta eſt, vt, ſi vere vigeat, iuſtitiam quaſi ſuperfluam reddat. Dilectio enim non tantum commercia gubernat: verum etiam animos contrahentium coniungit, id quod iuſtitiæ vſum

obſcurat iniuriarum & iniquitatis vias tollendo.

Prauum autem cum ſit & impotens cor humanum, caritasque magis magisque refrigeſcat, vtiq; qui Respublicas ſartas tectas, earumque incolumitatem & tranquillitatem in poſteros deriuatam cupit, ſuam iuſtitiæ ſedē deſignare, & ad eius amuſſim omnia dirigere neceſſe habet. Latronum & proditorum ſocietas diu ſubſiſtere nequit ſine iuſtitia, quæ tamen inter ipſos tantum apparens non vera virtus haberi debet. Hinc poëtarū illud, quod ne Iupiter quidem ſine iuſtitia conuenienter terrena adminiſtrare queat. Plato libros, quos de politia ſcripſit, iuſtitiæ titulo inſigniuit. Vere autem proprieque loquendo regi aut principi iuſtitię ſtudio nihil eſt magis decorum, nihil vtilius. Vnde Demetrius rex Macedonum mulieri, vt ius ſibi diceret petenti, non vacare ſibi reſpondens hoc reſponſi accepit; Ergo ne rex quidem eris. Profecto primi reges olim creabantur, vt eſſent iuſtitiæ nutritij & patroni. Hinc etiam populi Iſraelitici ductores, quibus ſucceſſerunt reges, iudices ſunt appellati.

Ab initio omnes Græciæ ciuitates paruiſſe regibus, qui diremptis controuerſijs de ſententia legum ius dixerunt, Dionyſius auctor eſt. Hinc inſigni reges encomio ornaturus Homerus, iuſtitiæ vocat miniſtros. Regibus autem his conditionib. electis, nimium tamen poſtmodū ſua potētia confidentibus: ſiquidem ex proprio commodo officiū metiri videbantur: maxima Greciæ pars ſuas Resp. immutare cœpit.

Interim etiam fuere, qui ſtudio leges & priuile-

gia

ı ſua tutandi, auctoritatemque ſuo magiſtratui ıdicandi regiam poteſtatem mutato nomine: re- mſerunt. Theſſali enim eos, qui ſummæ rerum ›ud ipſos præerant, Archas vocabant, Lacedæ- ones autem Armoſtas, Romani Dictatores. Cę- rum à Dictatoris maieſtate & poteſtate, ſiquidē ıoleſtior & maior videretur, abhorreſcentes, Pō- opium, ſolus vt conſul eſſet, elegerunt: atq; extra- rdinaria quidem Dictatoris poteſtas ipſi dabatur, ıb ordinario tamen conſulis nomine occultata.

Reges Ægyptiaci adeo iuſtitiæ æmuli erant pa- ıoni, vt magiſtratus, non amplius ſe parituros re- ibus, ſi iniqui fuerint deprehenſi, iurare cogerent. 'hilippus Formoſus rex Galliæ iudicibus præcepit, 't pro nihilo vel regia diplomata haberent, niſi uſtitiæ eſſent conſentanea.

CAPVT XIII.

De duplici regum iuſtitia: & primum quidem de iuſtitia inter regem & ſubditum.

DVPLEX eſt regia iuſtitia: Prima quidem in rege & ſubditis: altera vero in ſubditis tantum perlucet.

Proprium eſt ſubditorum, quoad poſſunt & per facultates licet, omnibus rebus tam ad defenſionē & conſeruationem iuſtitiæ neceſſarijs, quam aduerſum hoſtiles inuaſiones neceſſarijs principes magiſtratumque ſuum iuuare. Ideo princeps intra hos iuſtitiæ fines ſe continens ſubditis inuſitata & noxia grauamina neq; imperabit, neq; bonis eorū incommodabit: non etiam feret, vt cenſus & tributa exactores rigidius, atque par eſt, colligant,

Digitized by Google

aut adaugeant, adeoq; euiſceratores potius quam exactores dici mereantur. Etenim ſubditi vltra vires & facultates onerati aut ſolum vertunt, aut factioſi inſurgunt, aut alterius principis, qui fortaſſe hoſtis eſt, poteſtati ſe dedunt.

Quamobrem recte imperator Tiberius cuidam miniſtrorum, quo pacto, minus tamen conuenientibus modis, magnam pecuniæ vim facile cõficere poſſet, conſulenti, reſpondit, *Boni*, inquiens, *paſtoris eſt tondere pecus non deglubere*. Non poſſum quin hic commemorem, quæ Polydorus Vergilius de S. Odoardo rege Angliæ ſcriptum reliquit. Hic, cum aliquando ingentem pecuniæ ſummam nimia miniſtrorum auaritia ex cenſu populi collectam admiraretur, animaduertit diabolum illi inſidentem, varieque ſuper illa geſticulantem. Hoc viſo nimium perterrefactus rex ſeuere præcepit, vt cuique ſua tributi penſio redderetur.

Cum vero ordinarius principum reditus aliunde non extorqueatur, quam e ſanguine & viſceribus ſubditorum, cauendum eſt ſummopere principibus, vt dent operam ne inutiliter profundatur. Nihil enim ægrius, nihil moleſtius fert multitudo, quam ſi a principibus ſuis magno ſudore et fere ſine lucro partam pecuniam, imo ad conſeruandam eius & Reip. ſtatum contributam leuiter & inaniter inſumi, & tanquam per feneſtras eijci cernit.

Luxus autem & oſtentationes eiuſmodi vt pleræque ſunt immoderatiores, finemque neſciunt, ita principem helluatorem cenſusque ſuos voluptuoſe decoquentem in immoderatũ confuſumq;

vitæ

vitæ genus, & hinc ad extremam paupertatem agunt præcipitem. Tam autē profunde immergūt, vt inde difficilis sit regressus, nisi omnis generis impostur̨, technæ, depeculationes innocentum tententur. Sic Caligula intra anni spatium sexaginta septem mille coronatis, quos imperator Tiberius multis abhinc annis magna industria comparserat, profusis nihil residuum sibi fecit, vnde prodigam vitam continuaret. At quorsum hæc inquis? Nimirum prædationib. indulgendo tyrannus esse cœpit. Sapientissimus ille rex Salomon extruendis ædificijs, alijque incomparabili apparatui, circiter centum viginti millia coronatorum, quos pater moriens reliquerat, impendit. Semper quidem ille diuitijs, dum viueret, abundabat, at regnum succedēti filio maioribus pressum oneribus, quam vt quis sufferret, imo vt maxima pars rebellis facta a Roboamo descisceret, reliquit.

Huc pertinet iustitia illa, quam vocant, distributiua, quæ in distribuendis muneribus & prę̨mijs est occupata. Sic autem in conuenientia personarum cum officijs versetur, vt onera emolumento, officiaque honori & dignitatibus respondeant. Digna enim labore recompensatio efficit, vt virtus ametur, colatur, propagetur, fortitudo autem accrescat. Siquidem e millibus vix vnus extiterit, qui nō laudis & vtilitatis studio ductus (inferiores quidem plus emolumenti, superiores autem honoris) vtraque, quod aiunt, manu eas amplecti cupiat, idque ijs medijs, quæ a principe magni fieri aduertit. Etenim vt principis virtutes vulgus æmulari, atq; ita apud eum gratiam laudemq; aucupari ſgestit: sic

quoque contra leuior principis animus ſui ſimiles inuenit, aſſentatores, adulatores, calumniatores. Si eſt elatior, ſunt qui efferant: ſi eſt auarus, ſunt qui pecunia expleant; atq; ita porro. Exemplo vno atque altero hæc illuſtrentur: quorum primum erit, quod olim apud Romanos accidiſſe legimus. Sabina Poppæa illa (cui cuncta alia fuere præter honeſtum animum) quæ a Nerone ad inſaniam vſque adamata fuit, capillos habuit ſuccinei coloris, quos Nero crebris ſermonibus laudabat, verſibusq; ad citharam ſcite cantabat. Quo factum eſt, vt puellæ omnes Romanæ & Italicæ, eo tempore eiuſmodi colorem magno ſtudio affectarent, non in coma modo & capillis, ſed & in reticulis, annulis & omni genere ornamentorum. Qua ex re ſuccina gemma, quæ paruo antea æſtimabatur, magno deinde licere cœpit, quod maximo omnium principi grata eſſet. Ex quo apparet vt in magnis rebus, ita in minimis quoq; multum valere exempla ſummorum virorum. Vsq; adeo verum eſt, quod Velleius Paterculus de Auguſto Cæſare ait: Facere recte ciues ſuos princeps optimus faciendo docet; cumq; ſit imperio maximus, exemplo maior eſt. Nam populus in regem, tanquam in edito loco poſitum, & in clariſſima luce verſantem, oculos conijciens, omnia curioſe & diligenter inquirit; quid dicat, quemadmodum viuat; & in illius animum quaſi per rimulas inſpicit. Quapropter Tilius recte monet inprimis neceſſarium eſſe, vt regis domus munda honeſtaque conſeruetur. Nam ſi qua virtutis monumenta in ea rex conſtituerit, ea eorum regnum proſequetur: vt è contrario prin-

ceps

ceps in vitia fertur exemplo regiæ. Quo Claudianus quoq; respexisse videtur, cum ait:

——— non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Cæterum de vitiorum in principibus perniciosa imitatione est verbosa quasi disputatio in quadã Gregorij Narianzeni oratione, vbi dicitur, Nullam esse tam præparatam imbuendo vestem ad colorem, neq; tam idoneam ad odorem recipiendum, neque tam pestilentem halitum vllum in aëre diffundi, cuius contagione animãtes inficiantur, quã soleat celeriter principum virorum prauitate atq; vitijs compleri vulgus multo quidem citius quam à contrario virtute. Quæ eadem differuntur à Cicerone demonstrante, Peccata principum plus exemplo quam peccato nocere. Sic patres vitiosi filijs sunt prauitatis causæ & exemplo. Illustrius hoc fit ex Ludouici XI. regis Galliarum historia. Is enim, cum Carolum filium, fortasse propter valetudinis imbecillitatem, scire latine vetuisset, præter vnum illud: Qui nescit dissimulare, nescit regnare; Ludouici consilium ita male interpretati sunt nobiles Franci, vt nullum literarum genus nõ contemserint. E cõtra cum Franciscus I. rex Gallię miro studio bonas & liberales literas doctosque foueret, plerique eum imitati idem fecerunt, teste Lupano lib. 2. de Magno consilio: Nobiles, inquit, Franci ita perpetuo à literis abhorruerunt, vt illis literarum studium sordidũ videretur. Quorum liberi cum eius ætatis essent, vt laborem equestrem ferre possent, familijs principum & procerum addice-

dicebantur, vbi aliquot annos, quoad pubescerét, equitandi & venandi studijs dediti, cum ephebis excessissent, militiæ totos se dabant. At nunc, Dei primum, deinde Francisci Regis benignitate in literatos literarumque studiosos, quod ante vitio vertebatur, laudi tribuitur. Hoc Tilium mouit, vt diceret, literas equestris ordinis nobilitatem confirmare & ab ignobilitate vindicare. Idipsum etiam Bodinus obseruauit, vbi dicit in Methodo historica: Quales in Repub. principes fuerint, tales fore ciues, non longius exempla petenda esse, quam à Francisco rege Galliæ, qui vt primum literas, a quibus sui maiores semper abhorruerant, amare cœpit, statim nobilitas secuta est: deinde reliqui ordines tando studio conquisierunt, vt nusquam literatorum extiterit maior copia. Eadem accidere Germanis, teste eodē Bodino, qui inquit: Cum olim inueterato quodam odio semper à literis abhorruissent, nunc tantum profecerunt, vt humanitate Asiaticis, militari disciplina Romanis, religione Hebræis, philosophia Græcis, geometria Ægyptijs, arithmetica Phœnicibus, astrologiæ Chaldæis, opificiorum varietate populis omnibus superiores esse videantur. Salutaris itaque est monitio Euagrij lib. 3. cap. 1. Eccles. hist. Imperatorem non ex eo quod alijs imperat, spectari debere, sed ex eo quod seipsum ita regere & moderari potest, vti nullum absurdum voluptatis genus sinat in animum irrepere, sed ita inuictum se ab intemperantia præstet, vt vita eius sit tanquam imago virtutis, quam imitentur subiecti eius, & ad virtutem erudiantur.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum nihil magis præter decorum regium eſt, quam honores & officia magis ex gratia quam merito æſtimare. Præterquam enim quod ita virtuti violentæ manus afferuntur, etiam hoc accedit, quod digniores, vbi indignis ſe poſtponi vident, minus alacriter ſuum officium obeunt, ſed ſe quandoque ſubducunt, ſæpius plane intermittunt. Quinetiam ſi ita hominibus fœdiſſimis ac turpiſſimis maximi honores tribuuntur, ac bene de virtutibus ac Rep. meriti ſummouentur: res hæc non ſolum optimo cuique ciui grauis eſt ac minime ferenda, ſed etiam ſeditionibus aduerſus magiſtratum, ac non raro etiam aduerſus principem ipſum occaſionem affert. Hæc enim & Neroni & Heliogabalo exitium attulit, quod turpiſſimis quibusq; hominibus ſummos honores tribuerent. Adde quod quando princeps ſceleratos vitæque turpitudine infames eiuſmodi homines manutenet, auctoritatem ſuam proſtituit, tantisq; peruerſarum opinionum tricis ſe inuoluit, vt vix ac ne vix quidē ſaluam dignitatis ſuæ exiſtimationem tueri poſſit, quin audaciſſimo cuique auctoritas ipſius ſit ludibrio.

Tutiſſima itaque principis auctoritatem conſeruandi ratio conſiſtit in accurata conſideratione, quid nimirum cuiq; perſonæ conueniat, ne ſummotis de virtutibus ac Rep. benemeritis viris, ſceleratis ac indigniſſimis cum maxima Reip. labe, rerum gubernacula concedantur. Maximo etiam cum periculo coniuncta eſt principis gratia, niſi conuenienter pro merito quemque amplectatur. Quodſi princeps in immeritos propenſior, præcla-

re

re autem meritis infensior est; ilico inferiorum animos liuor & odium, nobilium autem ira occupat & ad peruersa remedia impellit; adeo vt non vereantur ipsummet principē affligere, vnice spectantes, qui altius quam par est euecti, gratia principis excidant & deturbentur. Contigit hoc Odoardo II. regi Angliæ cum in præfectum aulæ nimium gratiæ & beneuolentię adhiberet. Simile quiddam euenit duci Britanniæ, quod plurimum fiduciæ in Petro Landovvicho collocaret. Ea enim de causa tota nobilitas coniuratione facta, eo ipsum adegit, vt misellum illum Petrum dedere nobilitati cogeretur, cuius gulam laqueo propediem fregerunt. Ioanna secunda, regina Neapolitana, in extremum adducebatur discrimen, ob Pandolfum Alopi & Ioannem Caracciolij, quem imprudens singulari fauore fuerat prosecuta.

Porro quam lubrica & fluxa sit fortuna eorum, qui in aulis ex inferioribus ad summos gradus, ambitiosis artibus peruenire conantur, & quibus calamitatibus ex suspicione principum expositi sint, præter ea, quę iam diximus, innumera exempla testantur. Didicit hoc malo suo, quidam Maio dictus, qui cum ob insolentiam intolerabilem ad regnum Siciliæ aspirare cœpisset, à Matthæo Bonello occisus est. Fuit is, sicut Thomas Fazellus prolixe describit, natione Apulus, patria Barensis, humili ortus genere, quippe cuius pater oleum Bari vendere solitus fuit. Hunc ex tenui fortuna Gulielmus (fuit is primus huius nominis rex Siciliæ, & ob crudelitatem & auaritiam Malus appellatus) primo in curia, postmodum gradatim Cancellarium,

um, ac demum magnum regni Admiratum constituit, & ad opes maximas prouectum, longe supra cęteros regni proceres amore prosequebatur. Quibus hic opibus licentiaque abutens, nihil crudelitatis, nihil violentiæ, vt aliquid ageret, prætermittebat. Ingenium illi ad omne versatile, cui facundia non dispar, atq; simulandi & dissimulandi quęcunque vellet, facilitas inerat: In venerem præceps, stupro virgines fœdare, laudi sibi ducebat, tantoque se clariorem existimabat, quanto splendidiores concubitus quacunque ratione assequi potuisset. Is itaque cum iam totius regni administrationem haberet, Regemque (cum quo solus regni negotia, cæteris proceribus excluſis, tractabat) quo vellet, attrahere posse confideret, in regnandi cupiditatem prolapsus, etiam de inuadenda tyrannide atque interficiendo rege consilia agitare spe animisque inflatis instituit. Eo autem dicitur hominis amentia erupisse, vt cum iam id minime dissimulanter præ se ferret, mentionem facere cum amicis de regno Guilielmo abrogando ausus fuerit, quinetiam per interpositam iurisiurandi religionem fidem ab ijs accipiebat, socios futuros ad regnum à Malo vindicandum, vbicunque gerendæ rei occasio atque oportunitas adesset, quę viris fortib. minime diu videretur defutura. Quinimo ad confirmandam suam auctoritatem Matthęum Bonellium genere Siculum, nobilitate insignem, multorum oppidorum dominum, affinitate cum pluribus Calabriæ proceribus coniunctũ, integræ apud omnes opinionis, militia strenuum, in generum delegerat. Qui tamen paulo post ob hu-

humilitatem generis a nuptijs cœpit abhorrere, & gener socerum, rege id approbante, ob affectatum regnum occidit. Similis historia de Cleandro extat apud Herodianum. Is erat quidam Phryx genere, ex ea nota hominum, qui publice per præconem veneunt. Hic cum in domum imperatoriam seruitio esset traditus, & cum ipso Commodo accreuisset, eo scilicet honoris atque auctoritatis proiectus est, vt corporis custodiam & cubiculi curam, præterea militum præfecturam solus obtineret. Cæterum diuitiæ & luxus etiam illum ad imperij spem inflabant. Quocirca grandi coacta pecunia plurimum frumenti coëmit. Id autem occlusum habebat, sperans sibi Rom. Pop. atque exercitus voluntatem adiuncturum, si prius rerum necessariarum pecunia laborantes, magnis repente largitionibus demereretur. Idem gymnasium maximum ædificauerat, publicatis etiam balneis, vt eo modo populum inescaret. At Romani infensi iam pridem, ac totius pestilentiæ causam in eum conferentes, simul perosi hominem, diuitijs inexplebilem, prius quidem confertim per theatra identidem traducebant; deinde agente in suburbanis Commodo, repente vniuersi magnis clamoribus concurrerunt, Cleandrum ad necem deposcentes. Recenset deinde Herodianus, quomodo is se diu auctoritate imperatoris, inscij eius scelerum, armatis equitibus principis tutatus, & bellum cum populo in vrbe, & militibus stationarijs gesserit, donec Fadilla maxima soror Commodi, cum alioqui nemini ad Cæsarē in alto secessu suburbani voluptatibus indulgentē, metu Cleandri accessus pateret,

teret, insidias & bellum ciuile fratri detexit. Qui cognita perfidia Cleandri, ei caput amputari, contoque præfixum circumferri, voluptuosum scilicet atque optatum populo spectaculum præbiturus, iussit. Ita id malum sedatum, atque vtrinque dimicatio diremta. Huc referenda est recens historia de Dauide quodam Rizio eleganter descripta à G. Buchanano, Rer. Scot. lib. 17. Is erat inter aulica ministeria reginæ Scotiæ; Augustæ Taurinorum natus, è patre homine probo, sed pauperculo; vt qui elementa Musices docendo, ægre se & familiam sustentaret. Hic cum nullum, quod suis patrimonium relinqueret, haberet, liberos vtriusque sexus psallere docuit. Ex ijs cum Dauid in adolescentiæ vigore constitutus, & non inamæna voce præditus, & à patre in musicis institutus esset, in spem fortunæ liberalioris erectus, Niceam in aulam Ducis Sabaudiæ, nuper in suam ditionem restituti, profectus est: sed ibi non pro spe acceptus, cũ omnium rerum egenus omnia circumspiceret, tandẽ in Morrettium incidit, iam tum, Ducis missu, iter in Scotiam adornantem. Hunc cum secutus eo venisset, nec Morrettius, homo non admodum copiosus, operam eius aut necessariam aut vtilem sibi existimaret, ibi subsistere paulum & fortunam denuo experiri decreuit; eo maxime adductus, quod regina diceretur cantionibus valde oblectari, nec ipsa musices omnino experta esset. Igitur, vt primum sibi aditum ad eam patefaceret, egit cũ cantoribus, quorũ pleriq; Galli erant, vt inter eos appareret; semel atq; iterũ auditus placuit, statim in eorum collegium adscriptus est. Ibi breui,

cum reginæ ſenſum atque mores intellexiſſet, partim adulando, partim alios miniſtros calumniando, perfecit, vt non minore eſſet apud reginam gratia, quam apud cæteros eſſet odio. Neque tamen hoc fortunæ blandientis fauore contentus, cum æquales omnes partim viliores feciſſet, partim varijs criminationibus expuliſſet, paulatim aſſurgere & maiora negocia tractare cœpit: donec ab epiſtolis aſſumptus eſſet; & hoc prætextu ſecretius & ſeorſim à vulgo agere cum regina poſſet. Iam ſermonibus materiam dabat repentinus hominis, tantum non mendici, ad opes nō mediocres progreſſus, & ſupra virtutē fortuna, ſupra fortunam arrogantia & æqualium contemtus, & cum ſuperioribus æmulatio. Alebat hanc vaniſſimi hominis inſaniam magnæ partis nobilium adulatio, qui amicitiam eius captabant, ſalutando, orationi eius ſubſeruiendo, foribus obambulando, exitus reditusq; eius obſeruando. Eo tandem peruentum eſt, vt ille cū vno atq; altero quotidianus reginæ conuictor eſſet. Quæ ſane res & inuidiam & ſuſpiciones inſigniter mouebat, & ſiniſtris ſermonibus materiam ſuppeditabat. Acceſſit ad hominum iam in peius procliues cogitationes inflammandas, quod ſupellectili, cultu corporis, equorum & genere & numero, longe regem ſuperabat. Rex itaque, concurrentibus inſuper alijs haud leuibus ſuſpicionum cauſis, quæ ſupra dicto loco à Buchanano prolixe recenſentur, ingentem irarum molem animo coquens, cum familiaribus fidioribus de tollendo Rizio, quo ſaluo neque rex dignitatem, neque nobilitas in-

co-

columitatem tueri posset, deliberare cœpit. Igitur paulo post Dauid in cellula angusta vna cum regina & alijs paucis cænans, à rege, introductis familiaribus, ab ijsque extractus, multis vulneribus confossus est. Idque præter omnium, qui in cædem eius conspirauerant, voluntatem, qui eum publice strangulandum, populoque, cui gratissimum fore sciebant, id spectaculum præbere destinabant. Constans fama est, addit Buchananus, eum à Ioanne Damiæta Gallo sacrificulo, qui magicæ artis non imperitus vulgo habebatur, non semel admonitum, vt re infecta se alio conferret, & potentiorum odio, cui par esse non posset, se subtraheret. Respondit: Scotos magis minaces quam pugnaces esse. Iterum itidem paucis ante diebus admonitus, vt à notho sibi caueret; nothum illum se viuo in Scotia eam potestatem non habiturum, vt sibi timendum esset, respondit; à Morauio enim periculum sibi denunciari putabat. Verum dictione illa siue expleta siue elusa, primum ei vulnus à Georgio Duglassio, Comitis Angliæ notho fuit illatum. Vsque adeo vera est illa sententia, Dedecus & detrimentum esse comites & veluti pedissequas superbiæ & insolentiæ. Cæterum experientia testatur, plerunque eos, qui ex opificũ progenie & sordida plebe (licet nonnulli, sed raro, ex ijs, multis virtutibus claruerunt) emergunt, atque ad dignitates altiores vel ingenio suo, vel alia solertia ascendunt, multo insolentiores & propemodum intolerabiliores magna cum Reipu. iactura esse solere, quam qui nobili, veteri & celebri stirpe geniti sunt, (ita vt veterum ille recte di-

xerit: Baiuli imperant, & mali sunt superiores bonis: metuo ne nauem fluctus opprimat.) Testis est, præter eos quos supra notauimus, Pallas Claudij Cæsaris libertus, qui sub eo principe immensis opibus comparatis, cum à Peto accusaretur in Neronem conspirasse, atque ad rem probandam quidam Pallantis liberti adducerentur, coactus est Pallas, vt innocentiam probaret, superbiæ suæ magnitudinem detegere. Affirmauit enim moris sui esse nunquam ministrorum suorum quempiam alloqui, sed, si quid vellet, id eis aut manu aut nutu indicare. Et si quid esset, quod longiore oratione declarandum esset, illud eis scribere. Id autem agebat, ne cum ministris superbæ vocis suæ dignitatem communicaret. O immanem fastum, adeo nimiæ fortunæ felicitate Pallantem efferri, vt primæ fortunæ gradum obliuiscereturr, & his, in quorum ordine fuerat, adeo se illius rei auarum præberet, quod large sine vllo detrimento communicari potest. Quod ipsum quoque obseruauit Aurelius Victor, de Cæsaribus part. 2. vbi ita dicit: Quibus rebus quantum ingenium est, compertum habeo, humilimos quosque, maxime vbi ad alta accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse. Miranda non vsque adeo est, ac veniam propemodum meretur, eorum insolentia, qui molliter ac delicatule educati, genere & opibus excellunt, tenuiorisque fortunæ amaritudines nunquam degustarunt: ij vero, qui ex sordida plebe emergunt, si insolentia nimia intumescunt, maxime omnium sunt execrandi.

Inprimis autem obseruarum est, illos plebeios vel-

Digitized by Google

veluti terræ filios, alijs bono & claro genere natis› inuidia & obtrectatione, vel aperta vel clandestina, maxime infestos esse, suaque dona, quibus excellunt, omni conatu adhibere ad eos deprimendos, & in hac re emergendi gloriam quærere. Cum enim eiusmodi paraliti, qui in sola principis gratia omne habent refugium, neq; in officio fideliter præstito, neq; in virtute quapiam insigni confidere audeant, maxime sane opus habēt, modo auctoritatem suam tueri velint, remisq; velisq;, ne vlla virtutum habeatur ratio, contendere, ijsq;, quos virtute & fortitudine celebres norunt, omnem ad principis familiaritatem & gratiam aditum præcludere. Suppressa siquidem virtute, dignitatem suam, quam ex principis fauore habent, facile tuentur. Quo fit, vt dum nulla bonorum virorū ratio habetur, omnia negotia hominibus nauci & nihili, quibus plus assentationis in lingua, quam fortitudinis in manu residet, cōmittantur, ijque de rebus principis sui minus soliciti, salutisque communis negligentiores, omnes suas cogitationes vnice eo dirigunt, quomodo eximium promotoris sui fauorem recompensent. Hinc inuidia, & in aulis dissensiones, clandestinæ machinationes, iustę bonorum indignationes, ac nisi mature insolentia illa parasitorum, qui etiam, vt quidam canit, vel spurum lingere sunt prompti, retundatur, omnia in aula, in republica, pessum ire necesse est.

CAPVT XIV.

De iustitia subditorum inter sese.

DIGNA principe virtus est, singularem curam habere, vt subditi mutuam exerceant iustitiam. Quod quidem facile potest, si modo diligēter cauet, ne ipsius subditi violentis ac notorijs injurijs afficiātur, siq; impostoras quaslibet, legum atque pœnarum rigore coercet.

Vim manifestam inferunt, relegati, prædones, proditores, homicidæ, atq; adeo ij, qui pro quæstu etiā tenui maxima quæq; pericula adeunt, quique summa cū perfidia & infamia in quos benefici esse deberent, in illos vim aut fraudē exercent. Impostoræ sane tantas turbas non mouent, incommoda tamen si non maiora, at certe æqualia, inde ꝓmanant. Hisce n. imminuuntur mensuræ, pondera, corrumpuntur testamenta, contractus, monetæ, peruertuntur propolarū commercia, reponuntur victualia ad quæstū & vsuras; quibus omnib. communis tranquillitas, non secus ac fodina metallaris confossa, tandem cōuellitur ac disturbatur. Omnium enim illorum ea institutio est, idque consilium, vt dum quærant, dum in domū inferant, nihil sordidum ac turpe defugiant; neq; pro exiguo quidem lucello ab infamia iter detorqueant, sed cupiditate habendi comparandarumque diuitiarum, ac rei ampliandæ studio nimio incensi, præcipitesque cuncta vndique corradunt, non parcunt illiberalibus, non abstinent sordidis, quippe quibus nullus honesti, nullus denique famæ cultus aut respectus est, lucro, qualecunque id sit, cuncta posthabentes. Furantur, depeculantur, compilant, intercipiunt, auferunt, extorquent, dolo, vi, fraude, malis artibus, omnique impuritatis aut flagitij genere,

nere. Siquidem horum ipſorum ſunt compilationes, furta, latrocinia, violentiæ, rapinæ, falſæ obſignationes, iniqua iudicia, fraudes, fœnerationes, mercenaria parricidia, venena, &c. Itaque ſingulari prudentia præuenire has Reip. peſtes & coercere debet Princeps. Parum ſiquidem Reip. profuturum foret, ſi hoſtes quidem exteri ab ipſorum finibus arceantur, inteſtinis interim intra Reipublicæ viſcera gliſcentibus latrocinijs. Hiſce itaque malis ſi occurrat, curſumque inhibeat princeps, tũ vel ſupra fidem beneuolentia omniũ in ſe conuerſa ſubditos caritate ſibi deuinciet. Hoc nomine pater appellatus eſt Galliæ rex Ludouicus XII. Summę enim ipſi curæ erat, ne ſubditi vi & iniuria à potentioribus premerentur.'

In primis autẽ plurimũ intereſt coercere vſurarios & fœneratores. Fœn°n eſt inſtar ſcelerati latrocinij, adeoq; fœneratores ꝓprie loquẽdo vere ſunt prędones & fures. Nã & vnde, atq; à quib. minime licet, & ſupra, quam opus eſt, & quam decet, quacunq; ratione capiunt. Quæſtus autẽ cum alij ſint turpes, vt qui è fœnore: alij ſordidi atq; illiberales, vt qui è macello, cauponaq;: alij infames, vt q è furtis atq; graſſationib. (quanq̃ vbi infamia, ibi etiã turpitudo) horũ nulli ab hoc genere hominũ repudiantur: ac tametſi alios alij quęſtus libentius ſequũtur, tamen omnes omnia vtilitate proprijsq; commodis ac lucro etiã quantulocunq; metiũtur. Cato reliqt, fœneratores, qui ſupra ſortẽ vltra duodecim ex mutuo exigerent, pœna quadrupli antiquitus multatos fuiſſe: fures vero dupli tantum. Hoc malum, peſtis præſentiſſima, Athenienſium Rempublicam nõ ſemel afflixit ac diſtraxit. Rex Galliæ

aliquoties ad relegandos Italos numularios coactus est.

Quorsum vero attinet, subditis quidem imposítione nimiorum grauaminum aliquantulum parcere, interim vero effrenatam fœneratorũ auaritiã, qui priuatorũ sanguinem & viscera corrodunt, exsiitaq; omni humanitate ad instar Harpyiarum deglutiunt, non tantum nõ cõhibere, sed multo magis fouere. Neq; vero priuatorum duntaxat bona fœneratorum exactionibus exhauriuntur, sed & ipse fiscus atq; adeo communes reditus.

Non equidem diffiteor, negociationes frequẽtes ob vectigalia aliasq; obuctiones quęstum afferre vberrimũ. Siue enim mari siue terra merces aduehantur, est vt de ijs vectigalia pensitentur. At vero & hoc verum est, mercimonia & contractus nisi interueniente pecunia, florere neutiquã posse.

Quis autẽ est, qui non perspectũ habeat, omnes eos, quib. destinatũ est, vsuris & re numularia ditescere, dũ negotiationib. (quippe quę pẽsentem vbiq; pecuniã, animiq; & corporis in perferẽdis laborum difficultatib. tolerantiã exigunt) intermissis, nõ tam temp° quã pecunię vsum chirographo diuendũt, priuatis dũtaxat commodis mutuatione hac inhiare, ac quasi stertendo aliorũ bona ægre comparta hirudinũ instar exsugere, atq; inde pinguescere? In hoc omnino vespis assimilandi. Eæ enim vt ignauũ pecus, apum aluearib. inundantes, fauos mellis miraarte & labore constructos absumunt.

Cęterũ ciuibus hunc in modũ diuiti cupientib. atq; ex otio victutis, nõ potest, quin sequãt magna vrbiũ vastitas & pauptas, artes humaniores & me-

cha-

chanicę frigeant. Deserit. n. officinam mechanicus; stiuam agricola. Redigunt pecuniam nobiles ex bonis venditis. Mercator qui hinc inde varias peragrabat regiones, omisso instituto domi delitescit rei domesticæ studiosior. Sic autem præcipuum Reipubl. decus & ornamentum concidit: reditus fiunt minores: vectigalia cessant, ærarium exhauritur, vulgus autem plane ad extremam inopiam vergit. Quid vero inde expectandum? Hoc nempe: Multi, qui possessionibus auorum distractis, vsuras cum fructibus prædiorum æstimantes, lautius se ex pecuniarum vsuris, quam ex fructibus prædiorum victitaturos sibi persuadentes, sorte dissoluta, fortunas omnes momento abliguriunt; cumq; illos pecunia primum, deinde fides deficit, rapto viuere, prædari, latrocinari non dubitant: aut, quod extremum est, perturbata ciuium quiete suam inopiam Reipub. ruina sarcire; quod eo magis metuendum est, quo ciuium ordo, qui cæteros opibus longe superat, à cæteris numero ac potentia superatur.

Sic Asiani à Romanis, quorum auaritia & vsuris non secus ac à rapacissimis Harpyijs exedebantur, desciuere, Mithridatisque imperio se vltro submisere: non sine insigni clade Romanorum. Sapiens ille Solon Athenis, Lucullus in Asia, Cæsar in Hispania, quilibet in sua Republica, in illicitas vsuras animaduertendo, aut saltem moderando, immortalem nominis existimationem sibi cõpararunt.

Principum opes & potentia è fortunis subiectorum dependent. At horum diuitiæ ex prædijs,

fundis, frumentis, alijsve artibus æstimantur: quæ omnia aut in ipsos adferuntur, aut ab ipsis asportata huc illuc in varias regiones transferuntur Nihil tale tractat vsurarius & numularius, imo dum subdole & pernicioſe aliorum æs ad se pertrahit, alijs, quo minus negociari, & emtionis titulo aliquid ad se transferre possint, impedimento est.

Duæ præ cæteris Respublicæ in Italia egregie florent: altera Veneta, altera Geneuatum. Harum & familijs & opibus Veneta longe est superior. Qui sic, ais? Quod nimirum vrbs illa mercaturis addicta incolas suos non contemnendis: ipsam vero Rempublicam summis insignes fecit diuitijs, Geneuates vero in re vsuraria occupati, maximas diuitias, exhausto interim publicis largitionibus ærario, acquisiuerunt.

Cęterum quoniam in vsurarum vsurariorumq; mentionem hic incidimus, vberius aliquid de ijs hoc loco dicemus; hac præsertim peste contagiosissima in ciuium partim animos sese insinuante, partim viscera & præcordia ipsorum mordicus rodente; vnde certissimæ imperiorum ac ciuitatum non tantum conuersiones, sed etiam euersiones sæpius extiterunt; quarum nulla certior causa fuit, quam nimiæ paucorum opes, & multitudinis inopia non ferenda, ex nimia vsurarum praxi vtrinque prognatæ. Quo factum, vt cum inopiam amplius ferre tenues non possent, (quoniam vsura, quam Hebræi appositè *morsum* appellant, non modo ipsorum opes exhaurire, sed etiam ossa penitus arrodere, ac medullas ex ipsis ossibus ex-

su-

fugere consueuit,) locupletiorum, qui pauciſſimi erant, opes diripere, aut nouas tabulas, aut bonorum æquationem petere non dubitabant. Hinc Plato duas Rerumpublicarum antiquiſſimas peſtes appellauit, opes & inopiam: grauior tamen eſt inopia, non tamen propter inediam ac famem, qua nihil acerbius; ſed propter inſitum vnicuique egeſtatis pudorem, qui plerisque paupertate ipſa durior eſt.

Quibus morbis vt occurri poſſet, quæſita ſæpius eſt & tentata æquatio bonorum, quam pleriq; pacis & concordiæ parentem appellant: inæqualem vero bonorum diuiſionem, inimicitiarum ac diſcordiarum nutricem. Nam quo quisque alios opibus ſuperat, honoribus etiam, voluptatibus ac delitijs ſuperior eſſe, de virtute nihil aut parum admodum ſolicitus; tenues vero ſibi inſeruire, ſeque reuereri cupit. hinc egentium erga potentiores inuidia; hinc inimicitiæ; cum qui virtute ſuperiores ſunt, non modo ab honoribus arcentur, verum etiam in ſumma egeſtate & contumelia viuere coguntur.

Hæc, opinor, cauſa veteres legumlatores impulit ad eam, cuius modo mentionem feci, facultatum aut certe agrorum æquabilem diuiſionem, quam aliquoties quidem attentarunt, ſed irrito omnino conatu. Lycurgus quidem, auri & argenti vſu ſublato, agrorum æquabilem diuiſionem iniuit, non tamen ſine capitis ac vitæ diſcrimine. Secutus eſt Solon, cui ad bonorum æquationem nec animus defuit nec voluntas, ſed conficiendæ rei deſperatio. id tamen, quod proximum

Digitized by Google

ximum erat, ſcilicet nouas tabulas, inuexit. Idem rex Agis feciſſe dicitur, cum tabulas omnes debitorum in publicum allatas vna & eadem flamma comburi iuſſit, quo incendio nullum vnquam ſe clarius vidiſſe teſtatus eſt: cum tamen agros omnes ex æquo diſtribuere conaretur, ab Ephoris in carcere necatus eſt. Ac tametſi Romani cæteris in eo genere iuſtiores fuiſſe videntur, ſæpe tamen nouas tabulas tumultuanti plebi conceſſerunt, vt debitores tertia quartaue debiti parte, aut in totum leuarent, ne illis idem accideret quod optimatibus Thuriorũ; qui, cum omnes agros ſibi coemiſſent, ac tenues debitorum onere vrgerent, ab ijsdem bonis ac ciuitate expulſi fuerunt. Hæc tamen in ſpeciem præclara iudicantur: cum reuera nihil magis peſtiferum ac pernicioſum æquatione illa bonorum, ac ſpe nouarum tabularum cogitari poſſit, idque maxime ad euertendas ciuitates, quæ fundamentum firmius aut ſtabilius nullum habent, quam iuſtitiam: iuſtitia vero nulla eſſe poteſt, niſi conuentionum fuerit ac promiſſorum certa fides, ac neceſſaria ſolutio rerum creditarum. Quis enim dubitet, ſublata fide, ruptis tabulis, æquatione bonorum inuecta, Rempublicam breui interituram? Quanquam nouæ tabulæ ſæpius egentium facultates exhauriunt: & eorum potiſſimum, qui nihil præter nomina in bonis habent; callidi vero fœneratores, exaudito nouarum tabularum rumore, æs alienum vndique graui fœnore contrahunt: vt quidem Solonis & Agadis σεισάχθεια plerosque fœneratores iſta ratione locupletauit, tenuium facultates euertit. Quamdiu vero prodigi nouas tabulas

bulas prospiciunt ac sperant, sua largitionibus profundere non dubitant: deinde cum illos & pecunia & fides defecit ad rapinas conuertuntur, alienisque bonis manus afferre coguntur, aut desperatorum ac improborum hominum societates conquirunt, vt rerum nouandarum occasionem arripiant, Remque publicam omnino subuertant. At creditorum fraudandorum spe sublata, soluendi necessitas & frugaliter viuendi ratio consequetur. Quod si iniquum est, creditores sua perdere, ac debitores aliena lucrari, quãto est iniquius agrarijs legibus veteres possessores suis sedibus pellere, & ex aliorum direptionibus alios locupletare? nam qui creditarum pecuniarũ liberationem quærunt, iniuriam fœnoris specie velant, & pecuniarum sterilem naturam: sed qui prædiorum, quæ legitimo iure aut iustis conuentionibus cuique obuenerunt, diuisionem æqualitatis specie postulant, non modo Rerumpublicarum, sed totius humanę societatis, quæ stare nulla potest, nisi sua teneantur fundamẽta, labefactant. Absurdius etiam, qui bonorum æquationem, *concordiæ parentem* appellant: cum nullæ capitaliores sint inimicitiæ quam eorũ, quibus omnia sunt æqualia. At cum egentes ac tenues locupletioribus inseruiunt, non modo ab inopia, sed etiam ab iniurijs potentiorum vindicantur. Ad Solonem quod attinet, is de agrorum possessione deturbauit neminẽ, sed ordines quatuor ciuium ex censu descripsit: eorum scilicet, qui trititici, oleive aut vini quingentos modios annui reditus possiderent; deinde qui trecentos; tum qui ducentos; ordine postremo cæteros collocauit, quos

ab

ab honorum petitione repulit. Quinetiam Plato, quem æquationis istius auctorem ciere non dubitant, in secunda Republica, quæ ipsius est, alteram Socratis propria, alios alijs locupletiores fecit: & ex eo ciuium numero, scilicet quinque millium & quadraginta, singulos ex singulis familijs totam hæreditatem cernere, cæteros ne delibare quidem permisit; ex quo summa inæqualitas paulo momento secuta fuisset. Atque in eo ipso Lycurgus in conuertendo suæ ciuitatis statu grauiter lapsus videtur, cum agrorum æquabilem partitionem inuexit, vt ciues omnes omnibus æquales faceret: nam paulo post, & quidem se viuo ac spirante, viginti hæredes eiusdem agri, & ab inopia liberorũ viginti hæreditates ad vnum peruenturas videre potuit. Plerique ciuium numerum augeri prohibuerunt. quam sententiam Aristoteles quoq; probauit: ac ne plures nascerentur, abortus fieri, & Platoni & Aristoteli placuit: at etiam distortos ac membris captos exponi iubet vterque, quod sine exsecratione dici non potest, vt diuinum hoc animal, quo nullum ab immortali Deo præstantius conditum est, posteaquam ortum est, non modo non viuere permittatur, verumetiam aboriri iubeatur. Ac sane grauiter, meo iudicio, peccant, qui ex liberorum ac ciuium multitudine futuram metuunt inopiam, cum nullæ ciuitates locupletiores sint, aut artium ac disciplinarum omnium varietate clariores, quam quæ ciuium multitudine magis abundant. Quod quia perspicuum est, exemplis nõ vtemur. Illud etiam frustra metuunt, ne scilicet ex tanta ciuiũ multitudine secessiones existant; cum

nulla

nulla re ciuitates à seditione tutiores sint, quam hominum copia ac varietate: quia potētes inter ac debiles, locupletes inter ac tenues, probos & improbos, sapientes ac desipiētes, opifices ac nobiles, magnam mediocriū in omni genere multitudinē interiectam esse oportet, quæ extrema dissidentia medijs ordinibus coniungat, contra quam fit in angustis ciuitatibus, quæ & momento in duas factiones diuisæ secedunt, nec facile conciliantur.

Sed extra oleas versamur. redeamus ergo ad id vnde sumus digressi. Diximus autem initio de vsura, peste omnium, quæ Remp. obruere solent, nocentissima, quæ tametsi antiquitus quandoque tolerata, nunquam tamen approbata fuit. Solon, Lycurgus, Plato, Aristoteles, decemuiri legum ferendarum, alijque sapientissimi legumlatores ac philosophi, necessitate ita cogente, nēpe vt locupletes ad subleuandam tenuiū inopiam inuitarēt, vnciariam vsuram permiserunt: quæ non nisi longissima hominis vita, id est, anno centesimo fortē æquaret. qui grauiorem vsuram pactus esset, quadruplū ex lege XII. restituere cogebatur. Sapienter illi quidē, vt fœneratorem grauius quam furem, qui tunc per leges XII. dupli tantum pœna tenebatur. Eadem lex Duilia rogatione reuocata est, anno ab vrbe condita 396. ac decimo post anno fœnus vnciariū ad semiunciarium cogi placuit: vt non nisi anno ducētesimo fortem exæquaret. atq; id etiam anno sequente penitus sublatum est Genucia rogatione propter cōtinuas tenuiū seditiones. Nam vt minimū fœnerari per leges liceat, sensim ad summū peruehimur. Tuti[o] est igitur, vsurarū nō modo radices,

sed

ſed etiam fibras omnes amputare; neque id Reip. nec corporibus vllis aut collegijs vlla vtilitatis aut pietatis ſpecie permittere. Leges diuinæ diſerte (Deut. cap. 23.) omnium fœnorum genera prohibent. Diſertus eſt ſermo Saluatoris noſtri (Lucæ 6.) Mutuũ dantes & nihil inde ſperãtes. quę ſane teſtimonia in dubiũ nemo debet vocare, niſi aperte inanib. argutijs oracula diuina fallere ſe poſſe putet.

Cæterum, ne quis ſub vocabulo vſuræ decipiatur, ac quæuis commercia & negociationes, ſine quibus Respublica conſtare diu nequit, hoc nomine traducat; opus eſt vt explicemus, quid per vſuram hoc loco intelligendum proprie velimus; quod quidem ex definitione vſuræ liquidiſſime conſtare poteſt. Eſt igitur vſura illicita quędam exactio pecunię pacto expreſſo vel occulto facta, qua accipiens ex rebus (quarum vſus eſt ipſarum conſumtio) aliquid vltra ſortem reddere tenetur. Vel breuius ſic: Vſura eſt quæſtus illegitimus ex rebus, quæ à ſuis vſibus non ſeparantur. Ex qua definitione ſatis apparet, cõmercia & negociationes, atq; adeo rerũ commutationem hic non comprehendi, quippe quæ naturales ſunt & in Rep. conceſſæ. Etſi autem Ariſtoteles etiam cõmercia ſordidula quadantenus nominet, id tamen facit non abſolute, ſed quodam reſpectu. Diſtinguit enim inter victus quærendi rationes, quarũ alteram dicit prorſus naturalem; alterã vero mixtã, minusque primariam acquirẽdi victus rationem, illam nempe, quæ in rerum commutatione verſatur. Prioris, naturalis nempe, duo facit genera: alterum in ipſis viſceribus & quaſi medullis naturæ poſitum; alterum

tum à natura quoq; fluens, ſed arte & induſtria cõſummatum; illud immediate, hoc remotũ ab vtero naturæ deriuari dicitur. Illud eſt, exempli cauſa, vt pabulũ quod pecori; hoc, vt alimentum quod homini comparatur. Atq; vt propius accedamus, Ariſtoteles prorſus naturalem quærẽdi victus rationẽ ita diſtinguit, vt alterũ eius genꝰ ſit primariũ, aliud minus primarium: primarium in agriculturam & paſtoralem facultatem; minus primariũ, in prædatorium, piſcatoriũ, venaticũ & mixtũ ex his genus diuiditur. Agricultura eſt laborioſa quaſi nutrix ciuitatis. Paſtoralis facultas eſt cuſtos pecoris. Quẽadmodum enim belluarũ quædam gregatim, quędam ſparſim & vage viuunt, & vt aliæ animantibꝰ, aliæ fructibus, aliæ omni genere pabuli veſcuntur; ita hominum alij hac, alij illa ratione victus delectantur. Hinc multi ex agricultura, multi ex paſtorali facultate, nõnulli ex venatione, plurimi ex piſcatu, oẽs & ſinguli ex his aut illis, de quib. diximꝰ, impetu naturæ ſuum victũ quæritant. Huc adde ꝙ hæc omnia ſint naturalia: ergo ratio victus à natura oritur. Si firmius probari hoc ipſum cupias, ſic accipe: Omnis ars, qua acquiritur ſine medio id ꝙ natura fundit ꝓpter animal, eſt maxime naturalis homini: Sed ars acquirẽdi victũ eſt huismodi: ergo eſt naturalis. Patet ratio, quia nihil fruſtra facit natura, neq; deficit in neceſſarijs: at multũ deficeret quidem, ſi animalia produceret ſolũ vt mater, & non etia vt nutrix aleret & conſeruaret: ſed nutrix tenera eſt natura, eadẽq; fouet quæ producit. Hoc videre licet in omni genere animantiũ, quæ vel ſemine vel putredine oriuntur. Miraculi inſtar eſt in

ouiparis, quomodo vna pars oui ad vitam, alia ad victum & alimentū pertinet. O quanta cura, quantumq; ſtudiū naturæ eſt, quæ tantū victū vna cum fœtu parit, vt ſatis eſſe poſſit ad alendum id ꝙ natū eſt, donec ipſum ſibi ſuppeditare alimētum poſſit. Quia itaq; hoc quærendi victum genus eſt prorſus naturale, vti ex iam dictis patet, alterum vero, quod verſatur circa cōmercia & negociationes, nō prorſus naturale eſt, quia arte & ſolertia humana vtplurimum conſtat, qua quidē ratione naturale nō eſt; Si vero indigentiam humanā, quę eſt ipſa commutationis cauſa; aut materiā, quæ res omnis ad vſum humanum parta; aut potentiam naturę, qua homo ad hoc medium viuendi cogitur, accuratius tecum conſideres, inuenies, genus hoc, ꝙ circa commercia verſatur, ex parte eſſe naturale. Ob id Ariſtoteles fordidulū aliquatenus, eo quo diximus reſpectu, dixit. Quemadmodū artes mechanicæ, ſi cū liberalibus cōparentur, ſordidæ: ita mercatura, quæ tota eſt in congerendis pecunijs, ſi cū victus ratione cōferas, illiberalior appellatur. Vt ergo illa, nempe ratio victus quærendi, eſt neceſſaria in Rep. ita hæc quidē licita eſt & permittenda. Hoc indigentia naturæ docuit, hoc neceſſitas rerum commutandarū poſuit, hoc longa experientia confirmauit. Indigētia naturæ, quia aliter ſuis defectib. non medetur; neceſſitas rerū commutandarum, quia aliter confuſio negociorū in ciuitate naſcitur; experientia, quia ſine hoc medio beata Resp. in bonis fortunæ non omnino redditur. Sed cum duplex ſit cōmutandi ratio: vel cum res commutantur inter ſeſe, vt frumentū pro lana, vinū pro oleo, vel cū pro numo

(qui

(qui est mensura commutationis) res cõparentur; illam prorsus naturalẽ & legitimam esse defendo, hanc quoq; (si ad sordidum quæstum non progrediatur) necessariam ac licitam esse puto. Verum cũ duplex sit cuiusq; rei commutabilis vsus, cõmunis & proprius: videamus paucis, in quo legitima cõmutãdi causa versetur. Duplex (inquit Aristoteles) cuiusque rei possessæ vsus est: alius proprius, alius cõmunis: proprius est, vt calceo pedes defendere, ne lapillis vulnerentur; communis est, ipsa calcei cõmutatio, quæ quidẽ inuẽta est necessitatis causa, vt reb. ijs traditis quib. abũdamus, aliæ illorũ loco vltro citroq; tribuantur. Exempli causa. Angliam beauit Deus frumento, Galliã vino: Gallus indigẽs tritico in Angliã trãsportat vinũ; hinc nascitur vera illa, de qua nũc agitur cõmutatio. Vis ergo causam scire cõmutandi? Indigentia est rerũ aduersus necessarios vitę. Tu pane, ego veste careo: à mẽ tibi panis, à te mihi vestis datur; hoc modo indigentiæ rerũ succurritur, hoc modo defectꝰ naturæ tollitur, hoc modo pax ciuitatis conseruatur. Deinde Aristoteles victus rationẽ, quæ in cõmercijs versatur, appellat sordidã, non eam, quã iam diximus: sed eã quæ vltra limites naturę progreditur, q̃ turpissimũ quæstũ ac lucrũ quasi finẽ intuetur, quã odiosi fœneratores exercẽt, qui non ad victũ sed ad quęstũ, nõ ad vsum sed ad excessũ, non ad necessitatẽ vitæ sed augmentũ pecuniæ (cuius nullus est modꝰ) sias res oẽs locãt & mundinãtur. Isti sunt voraces comi in Rep. & quasi lupi insatiabiles, quorũ sitis nõ extinguit, quorũ hydrops nullis curat herbis aut medicinis. Est tñ aliud genꝰ mercaturę vtile & fructuo-

um in ciuitate, cuius solius causa numus (quī est mensura rerum commutandarū) inuentus & formatus fuit. Hoc genus quamuis pecunia quidē vtitur, ad pecuniā tamen vt finem non refertur; vtitur pecunia vt medio ac instrumento, nō vtitur vt eius mancipetur imperio. Miser enim est qui numos admiratur. Quod vero numus sit commutationis causa inuētus, adeoq; ad eam necessarius. quatuor modis probatur: à distantia locorum, à differentia temporū, à quantitate rerum, ab indigentia & necessitate hominum. A distantia locorū, in quibus res sunt cōmutandæ, exempli causa. In Arabia sunt aromata, quæ desunt Anglis, cōmode illuc ex Anglia res aliæ cōmutabiles transportari nō possunt, vt puta lana aut ferrum; necesse ergo est rem aliquā inueniri paruæ quantitatis, quæ eisdē rebus æquivalere possit. A differentia temporū, exempli causa. Habeo hoc anno multū vini, in proximum seruare nō possum, ne acescat, granū aut oleum mihi non dabis: necesse ergo est vt pecuniam quæram. A quantitate rerum quæ cōmutantur, verbi causa. Equum habeo, at cibus & vestis desunt. Si equum pro alimento mutem, adhuc vestimentū deest: necesse ergo est, vt numos quæram, quibus & cibum & vestem habeam. Ab indigētia hominum, exempli causa. Pauper opus facit, vt necessaria ad victū habeat, tu vero pro quo hoc opus facit, numum non cibum in promptu habes; necesse ergo est, vt numum hic pauper capiat, quo sibi & suis alimentum paret. Ex his satis constat, pecuniam commutationis causa esse inuentam, & eandem in ciuitate esse valde necessariam; quo etiam perspicuum hoc

vnum

vnum redditur, nihil esse periculosius ciuitati, nihil ciuibus perniciosius, quam sæpius mutari legitimam pecuniam, quam rerum commutandarum mensuram, eandemq; permanentem iustitia fecit.

Etsi autem pecunia vsq; adeo necessaria est, vt ea deficiente commercia pleraq; pessum ire necesse foret, sine quibus, vt dictū est, ciuitas diu constare non posset, non tamen multitudo pecuniarū sunt veræ diuitiæ ciuitatis. Vnde recte M. Tullius: Animus, inquit, hominis diues nō arca appellari solet. Quæ ergo est iam mūdi in cōmemoranda pecunia tam vana ostentatio? Quam stulta pro opibus hominū contentio? Vis diues esse? pecunias fuge. Diuitias cupis? Virtutes cole. Audi Aristotelē de hac re loquentem: Nugatorium quiddam, inquit, videtur esse numus. Rationem addit, quia decreto illorū, qui eo vtuntur, mutatus nihil est, neq; ad vllam rem necessariā parādam vtilis. Sequuntur etiā hæc verba: Quod sæpe is, qui numis circumfluit, rebus ad victū vitamq; necessarijs egeat. Si exemplum desideres, proponit Midam, qui aureo voto à Ioue cōcesso stultus inedia tandem contabuit. Ex quibus in hunc modū argumētari licet. Quæcunq; sunt incerta, veræ ciuitatis diuitiæ non sunt. Sed pecuniæ sunt instabiles & incertæ, ergo veræ ciuitatis diuitiæ non sunt. Iterum: Illa non sunt veræ diuitiæ ciuitatis humanæ, quarum possessores aliquando defectu necessariorum ad victum pereāt. Sed pecuniosi sæpe defectu necessariorū ad vitam pereunt. Ergo pecuniæ non sunt veræ diuitiæ ciuitatis. Ac sane perquā multus est Arioſtteles in minuenda illa opinione hominum de congerendis

pecunijs,& oratorio quasi more vrget, eo consilio (vt opinor) quo animas fœneratorũ vulneret, vt si mores suos tandẽ nõ deponant, lenius saltẽ viscera & præcordia ciuitatis rodant. Nam vt nihil magis iuuat Remp. quã honesta rerũ cõmutatio & mercatura: ita pestis lethalior non est in ciuitate quam mordax pecuniarũ exactio & intolerabilis vsura. Ita vt merito exclamare quis possit: O pessima bestia, omni aspide nocentior, vtinã saltẽ aut nunquã fuisses, aut saltẽ in florentes ac bene administratas Resp. nunquam irrepsisses! Natura te quasi stercus euomuit, auaritia te monstrũ suscepit, immanis cupiditas te pestẽ multarũ ciuitatũ auxit & enutriuit. Ac vt summatim dicã, vsuram exercere in ciuitate nullo modo licet his rationib⁹: quia vsum naturalẽ pecuniæ peruertit; quia monstrosum ortũ pecuniæ ex pecunia quærit, quia aut non ens vendit, aut idẽ bis vendit; quia vsum à re, q̃ est omnino inseparabilis à suo vsu, diuellit; quia infinite pecuniã expetit, ac deniq; quia expressum Dei mandatũ violat. Syllogistice hæc ita possunt exponi: Quicquid est contra legẽ naturæ, non est licitũ. Sed vsura est cõtra legẽ naturę. Ergo vsura non est licita. Maior cõstat. Assumtio probatur: Quicquid naturalẽ vsum rei peruertit, est contra ius naturæ. Sed vsura peruertit naturalẽ vsum pecuniæ. Ergo est cõtra ius naturæ. Minor patet, quia naturalis vsus pecuniæ est, vt sit mensura rerũ, at vsura eandẽ rem cõmutabilem facit. Præterea quicqd fœtũ aut partũ q̃rit ex ijs, q̃ vim pariendi nõ habẽt, vt ex ferro aut lapide, illud ipsum est plane cõtra jus naturę. Sed vsura pecuniã quasi fœtũ ex pecunia veluti ex matre quærit (cum tamẽ pecunia vim generãdi nõ habeat. Ergo vsura

est

eſt plane cõtra ius naturæ. Tertio: Non ens vendi, aut eandẽ rem bis vendi eſt cõtra ius naturæ: ſed in vſura aut nõ ens venditur, aut res vna bis venditur: ergo eſt cõtra ius naturæ. Maior cõſtat, quia ſecundum ius naturæ non licet aliũ fraudare aut opprimere. Minor patet, quia aut vſus, qui non eſt, venditur: aut pecunia, quæ cũ vſu ſuo translata eſt, bis venditur: quo nihil eſt vel in ipſa natura odioſius, vel in bene adminiſtrata Rep. deteſtabili⁹. Quarto. Rem cuius vſus eſt ipſa cõſumtio ab vſu ſeparare, eſt contra ius legitimũ ſeu poſitiuũ. Sed vſura id facit. Ergo vſura eſt contra ius legitimũ ſeu poſitiuũ. Minor probatur, quia pecuniam, oleũ, vinũ, & ſimilia, quorum vſus eſt ipſorũ conſumtio, vſura ab ipſorũ vſu ſeparat, indeq; turpiſſimũ quæſtũ exigit & venatur. Poſtremo: Infinitũ appetitũ pecuniarum tam ius naturæ quã lex ciuitatis vetat. Sed in vſura eſt infinitus appetitus pecuniarũ, ergo vſurã tam ius naturæ quam lex ciuitatis vetat. Minor eſt Ariſtotelis, ac ratione etiã probatur: quia tametſi, verbi cauſa, decem ſolũ libras pro centũ capis, pro illis tamen decẽ & pro alijs in infinitũ ſemper aliquid vltra ſortẽ cupis: hinc etſi finita ſit pecunia q̃ requiris, infinita tamen eſt culpa quã cõmittis, ea enim metiẽda eſt non cũ re in qua verſatur, ſed cũ voluntate tua à qua ſuſcipitur, quippe voluntas tua concipit, actio prodit peccatũ. Summa autẽ horũ omniũ eſt, q̃ in vſura ſit inſatiabilis pecuniatũ ſitis, quod ſit deteſtabilis peruerſio naturalis vſus, quod ſit monſtroſæ generatio prolis, quod ſit lęſio ciuis, q̃ ſit violatio tam humanę quã diuinæ legis: ſequitur ergo, q̃ vſura nõ ſit in bene inſtituta Rep. licita, nõ ſit laudabilis. Sed hic obijciat aliqs: Quicq̃d ius

Digitized by Google

ciuile concedit licitũ eſt:ſed vſuram ius ciuile concedit. Ergo vſura licita eſt. Maior patet, quia fundamentum eiusdem iuris eſt iuſtitia. Minor cõſtat in multis legibus imperatorũ. Reſpondetur ius ciuile permittit quidem vſurã, ſed non approbandã cenſet. Hoc conſtat, quia in ipſo iure ciuili dicitur, quod res, quæ vſu conſumuntur, neq; ratione naturali, neq; ciuili vſumfructũ recipiãt. Sic Deus multis parcit, in multis conniuere ſolet. Polygamiam patrũ tolerauit, ſed non approbauit. Sicq; malum eſt, iuſtitia vetat, politica tamen experientia malũ aliquando tolerat: tolerare malum, non eſt approbare malum. Ferox, immanis, truculenta eſt natura humana, conſilio ſemper non regitur, iudicio non coercetur. Hinc tolerantia malorũ quædã irrepſit in ciuitatẽ, hinc lupanaria, hinc vſura; non q; iuſta Resp. hæc mala approbet, ſed q; (ne grauiora mala ſequantur) permittẽda cenſeat; ſed ita permittenda, vt peccantes impune ſuũ ſcelus non ferant. Nã perſiſtõtes in his malis inter viuos maledicti, inter mortuos inſepulti, idq; legum cenſura, iacent. Permittit ergo lex, & tamen prohibet, tolerat & tamẽ percutit; ſic clauſis quaſi oculis videt hæc mala, ne nimis perſpicax videret monſtra. Quæ certe non ſine ſepulchro & naufragio ſui cerneret, ſi in multis ijsdemq; magnis malis non aliquãdo conniueret. Quippe tanta eſt infirmitas humana, tam facilis deſcenſus auerni, vt ſæpe lapſu prohibito in immanitatem ſceleris præcipitantius ruat. Atque hæc de vſuris, quod nimirum è quauis Rep. modo ſe ſaluam eſſe cupit, ſint exterminandæ.

Ad extremum, pauca etiam de mercatoribus & inſti-

institoribus,si non expilatorib.,adijciã;non ijs quidem, quorũ mercatura cũ maximo Reip. cõmodo coniuncta est, quamque ad externorum sæpe regũ populorumq; amicitias cõtrahendas accõmodam, atq;etiam hominũ vitæ perutilẽ,ac quodammodo necessariam plerique arbitrati sunt; sed de ijs, qui latentium lucrorum astutissimi indagatores,manifestæq; prædæ auidissimi deuoratores; nec cognationes,nec affinitates,nec amicitias,nec cõmunem salutẽ, vlla fide,nisi sola vtilitate colunt; quorũ operosæ fraudes,non artes, venduntur emunturq; ; quib.passim peculiare est,mẽtiri,peierare, fraudare & imponere,nec vlla illis lucrandi ratio turpis;atq; ille melior,qui lucratur magis; quin & legib. id sibi licere dicunt,decipere secũ contrahentes ad dimidiũ iusti precij. De quibus esse nõ potest, cũ omnis eorũ vita ad quæstũ, ad lucrũ, ad diuitias adornata sit,illos earundẽ occasione turpia plurima&dignas supplicio fraudes cõmittere. Hinc emit ille, vendit alter: hic portat,ille asportat:hic creditor,ille debitor:hic soluit,ille recipit:alter rationes scribit.Peierãt,fraudãt,fallũt,nec animę,nec corporis,nec fortunę vllum periculũ excludunt,modo lucrum sperent:sicq;omnes per omnem ætatẽ post lucrũ, post diuitias currunt. At vero cuiusmodi fraudes committant in lana, in lino,in serico, in purpura ,in gẽmis, in aromatibus, in cæra,in oleo,in vino,in eqs, in animalib. deniq; in omniũ mercium genere,nemo est qui nesciat,qui nõ videat, qui non palpitet, nisi qui forte illorum damna non senserit. Atq; hæc minora mala sunt,longe his maiora supersunt. Ipsi sunt qui inuectis damnosis mercib. & quæ ob rari-

tatem vel delitias à mulieribus & pueris appetuntur, & quæ nullam vitæ faciunt neceſſitatem, ſed duntaxat ad luxũ, ad pompam, ad fucum, ad ludũ, ad molitiem, ad voluptatem ab ipſis vſq; terræ finib. veluti laqueos importantes. Prouincias ac regna quotañis imẽnſa ſpoliant pecunia, corrumpũt bonos mores, introductis peregrinis vitijs ac ſublato patrio ritu ſemper nouis & externis reb. ſtudentes, eam perditiſſimis implicant conſuetudinibus. Ipſi ſunt, qui initis ſodalitijs contra ius, fas & leges monopolia exercent, omnia tentantes, excogitantes, explorantes quibus multitudinis opes ad ſe cõtrahant, dum collectis pecunijs alios vinçunt, alios præueniunt, alios ex aucto rerũ pretio deterrent, aç ſoli emunt omnia, quæ deinceps pro ſuo libito ſoli vendũt quam maximi. Ipſi nõ raro ingẽti ere alieno conſarcinato, conſtituto alibi domicilio, inde vero proſtituta fide, verſo ſolo, pfugi, & ſero aut nunquã redeũtes, creditores fraudãt, & ad deſperationẽ ac laqueũ ad gũt. Ipſi ſunt qui chirographis & obligationibus implicãt & expilãt ciues, debitorumq; radices adeo pfundas, laborioſas, funebres & ineuitabiles plantãtes, vt euelli neq̃ant: ſed in gyrũ pullulantes, & ex debitis debita germinãtes, ciuitates ſuffocãt & euertũt: ipſi interim fœnori & vſuris inceſſanter dediti, totius plebis ſubſtantiã deuorant: ipſi nonnunquã numiſmata p̃cidunt, ſemper autẽ monetæ valorẽ, vtcunq; ſuo lucro cõducere viſum eſt, nunc intendunt nũc remittunt, nõ absq; totius Reip. detrimẽto. Ipſi explorata principũ ſecreta, ciuitatumq; conſilia & patrios rumores hoſtibus renunciant; nonnunqua etiã pacta mercede principũ

vitæ

vitę insidiantur,ac nihil nō pecunię studio attētantes,facientes,patiētes & venale habētes.Omne eorum institutū non nisi mēdacia, fuci, sermonū nebulæ,explorationes, insidiæ,fraudes,deceptionesque manifestę.Hinc Carthaginēses eiusmodi expilatorib. seu fœneratorib. distincta statuerūt diuersoria,nec ea illis cū ciuib.volebat esse cōmunia: cętertū patebat illis in forū via. Ad naualia autē & secretiora vrbis loca,ne aspectus quidē cōcedebatur. Græci autē nequaquā intra vrbes recipiebant; sed quo ciues à periculi suspicione essent imunes,à pomerijs nō longe forū venaliū statuebant.Pleręq; aliæ gentes eos ad se accedere prohibuerunt, ꝙ mores deprauarent. Epidauri (teste Plutarcho) cū ciues suos Illyricorum commercijs improbos fieri animaduerterent, veriti à peregrinorum contagione,corruptis ciuium suorū morib.res nouas ciuitati suæ excitari, vnū inprimis grauē &circumspectū ex omni ciuium multitudine virū, in singulos annos eligebant, qui ad Illyricos accederet, & quæ quisq; suorum mandasset, mercaretur atq; contraheret. Vituperat mercatores Plato, quod optimos inquinēt mores,& apud bene constitutā Remp.lege cauendū cēset, ne exoticarum gentiū delicię in vrbem comportentur, ne quis à ciuibus minor quadraginta annis peregre proficiscatur: exteri autem ad suos remittantur, eo ꝙ istiusmodi peregrinorum contagijs, ciues veterē patrū parsimoniam priscosq;mores dediscant,& odisse incipiāt:ex quo vno vrbes plerunq; redduntur deterrimæ, omniq; fornicationū, adulteriorū,luxus& libidinū genere inquinatissimę.Ipse etiā Aristoteles iubet omnino

curam

curam habendam, ne quid ciuitates aduentitiorũ admixtione vitientur. Quin apud plerasq; Resp. antiqua lex erat, ne magistratum gererent, nec in senatum, nec in consilium admitterentur. Atque hæc de vsuris & vsurarijs, eorumque differentijs dicta sufficiant.

CAPVT XV.

De officialibus & præfectis, maxime autem de eorum electione.

VEMADMODVM, cum sacra sit persona regis, sui præsidium necessario postulat, ideoq; satellitibus succincti ac sepți sunt reges, qui propellant iniuriam, ne regnũ quod est quasi turris excelsa, in qua opes infinitæ reclusæ iacent, ad quam expugnandam certatim ambitiosi & seditiosi veniunt, si præsidium desit, occiso rege facili negotio ab audaciſſimis quibusq; occupetur. Tametsi n. ciues sufficiant ad defendendũ regem, tamẽ non sunt semper prẽsentes, vt propulsent hostem. Tametsi metũ ciuib. satellites incutiunt, verũ tamen id est, non in omnibus & singulis, sed duntaxat in malis, qui regum vitæ insidiantur. Tametsi tyrãnos animosos efficit custodia, tamen reges protegit, ne fiat iniuria. Tametsi virtus magis quã clypeus reges tegere debet, tamẽ cũ comes virtutis & regni, inuidia sit, ꝓpinde satellitiũ omnino regibus necessarium est tantum, quantum maiestas regis necessitasque ciuitatis postulat, in eoque requiritur fides ne pfidi, fortitudo ne ignaui, vigilia ne oscitantes, robur corporis ne fugaces & tergiuersantes fiant.

Pari

Pari omnino ratione cũ incõueniens ſit, regem ipſum iudicijs p̃eſſe, ibiq; pronũciare; ꝓinde officialib. & præfectis ad hanc rem op⁹ habet honeſtis & pijs, quos moderandis populis regendisq; ꝓuincijs præficiat, quorum omnium vna hæc eſt ratio, legibus vt pareant, & publice priuatimq; iuſtitiæ ſeruiant. In qua reddenda tria præcipue ſeruanda ſunt ab eis. Primum vt inſpiciant, quæ regis ſupremive magiſtratus voluntas ſit. Secundum, quid aut regni aut ciuitatis priuata iura ſtatuant. Tertium, quid iura communia & imperatorum ſanctiones decernant. Decreta enim regni legesque municipales, quas tum cõſtitutiones tum ſtatuta nominant, ciuilibus legibus in plerisq; pręferuntur, placitum regis illis, cum illa ius ſcriptum ſint, domini voluntas lex loquens. Quamobrem in cauſis grauioribus oportet vel regem ipſum, vel ſupremum magiſtratũ conſulere: nam qui aliter egerit, is cum ſibi plus arroget, quam quod ſuæ partes ferant, obedientię fines volens egreditur. Quod etiam ſeruandũ videtur, quoties cauſę dubię ſunt & leges ancipites. Adhæc non omnia comprehenſa ſunt legibus, & tempora nonnunquam legibus præualent. Quibus omnibus rex ipſe multo melius ac ſanctius proſpiciet, qui & ſingula cautius metitur, & pluribus ſimul conſulit. Ac vt ſummatim cõprehendam, adminiſtrorum ac præſidum vna fere regula eſt, ea vt agãt atq; obſeruent, quæ præſcriptis continentur & formulis cauta ſunt. Inſpicere autem hoc primum debent, vt cui muneri præfecti ſunt, eius teneant formulam, quam ſequentes peccare vix poterunt. Cũ enim formulis ipſis certa regula formaque præſcri-

pta

pta ſit,illis qui paruerit,hic vel obſeruātiſſimus neceſſe eſt inueniatur obediētiæ ac fidei cultor, difficilimumque ſit labi illum ac decipi in aliquo,præterquam ſi ſponte id velit, aut omnino iners atque ignauus fuerit.

Verum enimvero,vt hoc obiter dicamus, nō iniuria hoc loco quæri poſſet, Parendumne ſit vbiq; formulis, cum fieri poſſit & nonnunquam cadat, vt damno futurum ſit domino,ſi ad præſcriptū miniſter egerit. Itē ſi ex relicta mandati forma magna forte offeratur vtilitas,num committendum ſit,vt illam quaſi è manibus elabi ſinat. Qua de re & à veteribus ſæpe multumque dubitatum eſt. Fuerunt enim qui cenſerent, aduerſus traditam ſemel mandati regulam nihil prorſus agendum eſſe, etiam ſi fortuna aut caſus aliquis longe commodius agi poſſe pollicereturꝰ Quippe cum, ſi parum ſucceſſiſſet,(vt pœna lucnda non ſit) ſubeunda tamen culpa eſſet, quæ cui non pudenti beneque inſtituto grauis & acerba eſt? Atque vt bene feliciterque negotium geſtum eſſet, cauendum tamen exemplum, nec committendum vt corrumpendi mandati documentum præberetur alijs, quod eſſet in omni re adminiſtranda pernitioſiſſimum. Alij iudicauerūt,fortunā ſequēdam eſſe,amplectēdamq; occaſionem,quam Dij immortales obtuliſſent:nec timeri pœnam oportere, vbi rei bene gerendæ certa ſpes videretur. Quod quomodo ſine periculo & infamia fieri poſſit,vix video, cum fortunam,quæ incerta eſt, certo imperio mutari neceſſe ſit. Quocirca voluerunt, antequam ipſe aggrediare, illinc damnum, hinc emolumentum exactiſſime penſitari,

tari, & quaſi in trutina ſuſpendi, initaque ratione tum licere fasque eſſe aduerſus præſcriptum agere, vbi ex eo relicto incommodi parum, vtilitas vero adeo multa magnaque futura apparuerit, & ſpes quam poſſit firma certaque peragendi negotij. Parum enim prudentis eſſe miniſtri, occaſione non vti, dominique ſibi ipſi nimis tribuentis, qui nulla nec temporum nec fortunæ ratione habita, niſi quod ſemel imperauerit, & quomodo imperauerit, nihil aliud fieri omnino velit. Sed & Manlius Torquatus, is qui in filium, quanquam victorem, ſecuri animaduertit, deterrere cum primis poteſt eos, qui duri inexorabilisque ingenij habent dominos. Et Publius item Craſſus, quanquam minore in re, is enim conſul Aſiam prouinciam tenens, cum Leucas oppugnare vellet, ad architectum quendam Athenienſium, vt hiſtoriæ memorant, ſcripſit, imperans vt ex ijs malis, qui illic eſſent, maiorē ſtatim ad ſe mitteret, velle enim arietē ex eo facere. Faber, vt erat ingenio ſolerti, nō maiorem, ſed quem faciēdo arieti aptiorē iudicabat, miſit, exiſtimans conſiliū quoq; ſuum requiri. Quo facto conſul arbitratus, & ſuā & populi Romani maieſtatem deſpectū iri, ſi nō opera, qualis imperata eſſet, ſed conſilio dictis ſuis ſatisfieret, accerſitum illum ad ſe grauiſſimeq; increpatū virgis cædi iuſſit. Huic Publij Craſſi cōſulari iudicio ciuiles quoq; leges multis in cauſis cōſentiunt, ne quibus gerēdi negotij, peragendiq; mandati cura tradita ac permiſſa eſt, eorū improbitati locus atq; exemplū detur, ſi ſtatutum ſemel rem mutare libere atque impune licuerit. Verū cum ſint diuerſa negotiorum gene-

genera,quædamque magis requirant gerentis prudentiam, quam mandantis definitionem, præsertim vbi datæ formulæ nihil particulatim præscribãt: quas qui tulere,impossibile est,vt,quãdo quove modo futura quæq; res esset, aut prouiderent, aut definirent. Tolerabile certe fuerit,si ꝙ ex præscripti obseruatione futurũ est damnum,in gerendis negocijs minister prohibeat,cũ in administrãdis domini reb. non debeat fides vacare prudentia, ac difficile sit fidelẽ inueniri ministrum, qui idẽ prudens non sit atq; industrius. Cõstat in prætorio regum Neapolitanorum, vbi de regio censu, rationibusque cognoscitur, laudari ac probari solere ministros eos, qui, quanquam aduersus munerum suorum decreta, vtiliter tamen rem gessissent. Nã cum ferendarum formularum prẽcipua fuerit causa, vt recte, vt vtiliter, cum honestate tamen gereretur ærarium, ac neglectæ vtilitatis ratio exigi soleat: quis hoc pro loco tamen ac pro tempore non probet? vbi vtilitas magna ipsa præluceat, eamque speciem præ se ferat, quæ minime videatur spem frustratura.In quo tamen singula sunt circumspicienda metiendaque exactissime, & vtilitas ipsa quasi manu tractanda. Meminisseq; oportet in omni ratione reddenda, non minus prudentiæ quam fidei obedientiæque rationem habendam esse, sine qua mancæ illæ esse videantur. Et illud inspiciendum est, ne quid omnino agatur, quod sit contra principis ingenium illiusque offendat animum.Est enim minime prudentis, imo & temerarij aduersante domino audere aut tentare aliquid, licet id futurum esset per se lau-

da-

laudabile. Nam nec semper, nec vbique, nec apud omnes satis est recte tantum atq; vtiliter rem gessisse; & principum negocia non ex ministrorum sententia, sed suo ipsorum arbitratu gerenda sunt. Etenim miles, quamuis fortiter manum conserüit, tamē si contra ducis imperium cum hoste pugnauit, nonnunquam capite pœnas luit. Igitur & hoc diligentissime cauendum est, & probe videndum, ne, qua in re liberaliter ac magnifice agi à domino iussum fuerit, in ea modicum se aut sordidum aut parum certe splendidum pro illius imperio minister gerat. Legimus Iulium Cæsarem animaduertisse in panicerium, quod alium quam sibi panem apposuisset conuiuis. Alphonsus à nitore ac magnificentia ministros laudare consueuit, at modicos ac sordidos stomachari.

Cum autem præceptum omne partim imperet, partim vetet atque deterreat, atque altero opera exigatur, cauere alterum & continere iubeat, in illoque peccetur, imperatum quod sit, minime faciendo, in hoc contra imperium nitendo; prioris vitii non semper aperta voluntas, sed tum negligentia, tum ignauia causa esse solet: in posteriori late regnat nunc contumacia, nunc improbitas, & quæ vim obedientiæ labefactat, vt quasi demoliatur & euertat illam temeritas. Consueuit & in hoc quoque persæpe peccari, quod quidam, dum videri volunt quā obedientissimi, vltra præcepti vim nituntur, & supraquā iussum est agunt. Nonnulli præscriptum ipsum argutius interpretantur. Sunt qui nec statuti temporis nec datę regulæ ratione habita, tantum sint de re solliciti. Alii dum præcipere

principis imperium volunt, & illius voluntatem ſuſpicantur (quod tamen prudẽtis eſt aliquando) in eo labuntur, quod parum ipſi penſitant, an domino talis ſit ars placitura. Quid? quod dum videri ſolertes ſtudent, improbantur, vt qui velint præuidere magis quam oportet & ſapere, atque vbi fortaſse minime opus ſit, apparetque eos non tam ad vſum domini rerum, quam ad ſui opinionem, quæ agunt, referre. Interpretari vero præcipientis imperium, plerumque eſt calumnioſi & tergiuerſantis hominis. Vera namque obedientia aperta eſt, nec anfractus quærit, ſed ſua & recta pergit via. Cato Portius reprehenſus eſt, quod nimis effracte defenderet ærarium, cuius iura tuenda ſunt, remouenda tamen auaritiæ ſuſpicio. Petrus Baſildunus, homo maleficentiſſimus, dum regij ærarii locupletandi gratia diuina & humana promiſcua haberet, liberaliſſimi principis famæ non parum detraxit. Itaque Alphonſo mortuo vitam traduxit contumeliarum plenam, quippe quem veluti tabidum peſtilentẽq; omnes fugitarint. Atque hæc de officialium officio erga principem paucis præfari volui. Extant preterea ſingulares cõmonefactiones, hac de re, quas ſingulas huic tractationi inſerere non eſt noſtri inſtituti. Vnum tamen hic adiiciam, quod non tam in officiales quam in cæteros ſubditos competit. Nempe id quod antiquitus quibuslibet ſubiectis crebro inculcatum fuit: Qui obedientiæ in regem munus implere ſuum volet, duo ſibi ante omnia proponat: vnum, vt iudicet, quæ in illum contulerit, in patriam ſe conferre, quæ poſt Deum primũ

ſibi

sibi locum in nobis vēdicauit: alterum, vt sibi persuadeat, ad illius præscriptum viuendum esse, statuatque Regis imperium legem esse. Nam tyrannorum iussa plerumque iniuria summa sunt. Hæc duo qui sibi proposuerit, facile tertium adiunget, fidelis vt sit. Quæ autem fidelitate continentur, ea publicis institutis cauta sunt, quorum illa inprimis nota: Aduersus regem, sociosve, amicosve, ne cōiurato, neve illius iniussu clam palamve fœdus ferito. Arma ne tractato, neve tumultus excitato. Hosti, quisquis is est, regis consilia ne indicato. Si quis aduersus regem, sociosve amicosve molitur insidias, id tacitum ne habeto, iudicium facito. Hæc igitur aliaque item multa, quæ grauiora visa sunt (sunt enim perduellionis crimina) legibus cauentur, leuiora vero adeo non est referri necesse, vt ea ne ab aniculis ignorentur. Maximum autem & firmissimum fidelitatis fundamentum est amor. Nam si verum est illud, vt certe est: quem quisque odit, perijsse expetit, erit profecto & hoc verissimum: quem quisq; amat, saluum esse optat. Quāobrem qui ita sit affectus animo, vt regem optet incolumem, is necesse est, quę fidelis & obedientis hominis munera sunt, impleat.

Porro, vt eo, vnde digressi sumus, redeamus, non minor principis cura atque industria sita est in officialium electione, quam in eorundem debita tractatione, ne aut in commisso officio vacillent, aut plane eidem renuncient. Sit itaque hæc prima & præcipua principis cura, officiis præficere tales, qui officio concredito sint idonei, integri & candidi, ne muneribus se cotrumpi patiantur. Hunc modū

principes & Respub. bene constitutæ studiosissime curatunt. Imperatori Alexandro Seuero magistratum alicui tributuro aliquot diebus ante eligendi nomen diuulgari & publice proclamari more receptum erat: hunc in finem, si ille malus scelestatusq; iuueniretur, res digniori concredi posset.

Male itaque publicæ saluti consulunt principes ij, qui distributionem officiorum non virtute sed pecunia æstimant, eaque venalia exponunt. Quid enim hoc est aliud quam iustitiæ præponere auaritiam, omnemque iustitiam flagitiosissimis quibusque prostituere, ac eius loco summam iniustitiam in tribunali reponere. Fieri siquidem non potest, vt iudex dorophagus, id est, qui muneribus, quibus vel sapientum oculi obcæcantur, capitur, officio suo candide defungatur; ille præsertim qui munus suum caro mercatus est precio. Insetam autem hic quod grauissimus quidam auctor de hoc munerum nundinatione scripsit: Intrusio, inquit, hæc est, non electio (Verres rapacissime) quapropter quæstum honorem in ciuitate quæris, Remp. venalem ac sordidam ciuitatem facis. Vox illa explosa est (seditiose Antoni)

O ciues ciues, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos.

Explosa dixi? Imo recepta. Imo proh dolor probata nimium: nega si possis, nam hoc est verũ,

Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.

De Roma olim hoc dictum fuit, Omnia vænalia Romæ. Roma vrbs ampla est & spatiosa, sed nõ sola capax istius sententiæ. Quid vis pecuniose mercator? ambisne magistratum? dic quantum dabis?

bis? centum: heu nimis leue: ducentos dabo: ne id quidem placet: gradarium spadonẽ fortasse addam. Iungimus dextras? heus tu, iurabis deuote, te nihil dedisse; politicum hoc est, modo subsit lucrum. Politicum ais (scelerate) modo subsit lucrum? O Christe, si latius hoc malum serpat, quem lapsum & luem ciuitatis video? sed conniuere oportet, nam dies mali sunt, corrupti ciues. Non licet, non (inquam) licet vendere magistratum, dignitas enim, non pecunia, sed virtute emitur: at magistratus est dignitas, ergo non pecuniæ sed virtuti debetur. Non fero hanc vocẽ; modo subsit lucrum: nam iuste rem acquirere est vere luctum; sed pecunia emere magistratum non est verè lucrum. Pergis adhuc impie, modo subsit lucrum? Quod tuum non est, non debes vendere. Sed magistratus est bonum ciuitatis non tuum: ergo magistratum non debes vendere. Impudens es, si adhuc pergas, nam ciuitatem ad hastam figere, est immane scelus: sed emere vendereque magistratus est ciuitatem ad hastam figere, ergo emere aut vendere magistratus est immane scelus. Rationem quæris? Audi:

Vendere iure potest, emerat ille prius.

Hinc fit vt pecunia non prudentia, quæstus nõ virtus, affectiõ hominis non moderatio æquitatis in ciuitate regnent. Et cætera quæ sequuntur.

Hinc Ludouicus XII, rex Galliæ dicere solitus est, Officiorũ emptores ea quæ integra vili pretio eorũmissent, particulatim mensurata maximo pretio distrahere, Aristoteli Lycurgus in eo non probatur, quod sanciuit, vt qui publico munere (cui

potius idonea persona etiam inuita sit præficienda) dignus esset habitus, idem ambiret. Quid dicturus foret, si officia intermediante pecunia distribui videret?

Etsi autem laudabile & glorioſum fuit apud Carthaginenses & emere magistratus, & plures eodem tempore sustinere. Hoc tamen nihil probat. Sunt enim in hoc reprehensione digniſſimi. Qua de causa etiam Polybius Carthaginensibus Romanos præfert, quod Carthagine officia lautiora donationibus obtinerentur: id quod Romæ in magno vitio erat & capitale. Vt autem in virtutum præmio dissimiliter senserunt, variarum circumstantiarum genera subinde obseruantes: ita quoque media pro assequendo fine hic aliter atque illic oportuit esse comparata. Suprà diximus cuiuis magistratui præficiendos esse idoneos, quibus & officia, & eorum conditiones essent conspicuæ: Hic itaque non possum non commemorare officiorum distributionem à regibus Chinæ obseruatam. Hos enim primo minora, deinde maiora, denique ampliſſima conferre officia ferunt, eo, vt præfecti gradatim quasi, longoque rerum vsu aptiores & prudentiores facti euecherentur.

Non hæc dicta volo, tanquam leges è tripode Apollinis profectas, à quibus recedere non liceret: eo enim allego, vt prudentiam, quam præelectiones magistratuum requirunt, quantum in me est, iuuarem. Multi autem principi sunt modi, quibus iustitiæ subditorumque administratores exploret, vtrum sint pii, & oneri ferundo.

Hoc

Hoc autem à viris bonis & sani iudicii ediſcat: vix enim credi poteſt, quam expedita, quam accurata ſit iis iudicandi facultas, qui nullis ducti affectibus, nec ſpe nec metu impediti iudicant. Virtus hominis ex rebus præclare & fortiter geſtis elucet: Hæ enim ex animo ſingulari virtute prædito promanant, hominisque affectus ita frænant, vt gratiam & fauorem neutiquam captet, atque in aſſequenda gloria & honore non poſſit non eſſe ſui ſemper ſimilis. His conducit experientia, cum eorum acumen in rebus arduis expiſcamur.

Inſpicienda tamen præterea eſt animi modeſtia, quam arguunt conſtantes vitæ actiones. Nam animus bene conſtitutus & conſtans concinne & ordinate operatur. Argumento etiam eſt liberalitas: qui enim ex re familiari ad largiendum procliuis eſt; vix præſumitur in adminiſtrandis alienis iniuſtus.

Præ cæteris autem in omnes caſus plurimum momenti in fama ſitum eſt: Ea enim vere ſi non omnia, at certa pleraque refert: Maiorem etiam iis, de quibus ſpargitur, cõciliat auctoritatẽ. Hinc Spartani in electione magiſtratus aliquot ſelectos non procul à populi concione, in domum quandam abdiderunt. Hinc ſorte miſſa præconis voce competitorum nomina proclamabant: interim ſtudioſiſſime obſeruantes geſtus & applauſus populi ad euocatorum nomina. Cuius autem fauor apud populum maximus erat (quod facile colligere erat ex populi geſtu)

dignus declarebatur, qui ad præsens officium adhiberetur. Plerique enim, qui communi plebis suffragio creantur, sunt quales vulgo censentur.

Curandum vero, vt in dignoscenda viri virtute pauperum suffragia, ditiorum votis præponantur. Opulentiores enim pluscule afficit ambitio. Pauperes autem de virtute Reip. salute, & cuius gratia æmulantur, plus cogitãt. Recordor hic rei alicuius gestæ, quæ non est prętereunda. Electo Romæ papa Marcello, Iaponensis quidam Bernhardus nomine sursum deorsum sub electionis horam concursabat, læta voce ingeminãs: præclarã esse & laudabilem electionem: vnde hoc sciret percontantibus; Ex nimia, respondit, pauperum lætitia.

Ætas etiam tum alibi tum hic potissimum est obseruanda. Quæ enim in iuuenibus animorum sunt vehementiores perturbationes & affectus, ineptos eos reddunt ad gubernandum alios. Qui enim parere, seque ipse compescere nescit, qui ille recte aliis imperabit.

Sed hic Scipionis virgulam non effugiam, si iuuenes ab administratione magistratus excludam. Sed vicissim Catonis cẽsuram timeo, si admittam. At non succensebunt iuuenes spero, modo ea, quę dicturus sum, attente audire non recusauerint. Dico igitur, puerilem & iuuenilem ætatem senili grauitati subiiciendam esse: nam illam parere, hãc regere & imperare decet. Sed, proh dolor, sunt omnia iam versa & transuersa, susque deque acta & transacta omnia: Appii & Catones vt cæci & delirantes senes explosi silent: noui oratores & senatores fiunt. Paris ante Nestorem iudicium dicit:

sed

sed attende, is pomum Veneri, non Iunoni, non Mineruæ dedit: magis ergo è re Troianæ ciuitatis fuisset, si pueri atque iuuenes senili imperio obtẽperassent, & vt in illa, ita in omni recte administrata Rep. fieri quidem debet. Naturæ enim ordo flagitat, vt iuuenes sub disciplina senili viuant, quippe natura à minus perfecto ad perfectum progressa iuuentutis vtile obsequium & senectutis illustre imperium docet; & sane hoc verum est: nam iuuenes quasi teneriores plantæ sunt, quæ ne in curuum crescãt, senectutis baculo fulciri ac sustentari debent. Expedit ergo vt iuuenes ad tempus magistratu careant, ferulamque disciplinæ prius ferant quam magistratum gerant. Ac quemadmodum sæpe nauis aut fluctibus immersa, aut scopulis allisa perit, in qua gubernatores nauigandi imperiti sunt: ita ciuitas illa cadat necesse est, in qua inexperti iuuenes ad puppim sedent: è re ergo ciuitatis erit, si iuuenes ambitiosi magistratu careãt, Porro, quorsum Romani augustissimum suum regimen senatum, id est, quasi ex senibus conflatum concilium appellarunt, si imberbis iuuentus ad magistratus ciuiles admitteretur, cuius ratio affectio, cuius experientia cæcitas atque ignorantia & propter æstum caloris, & propter defectum ætatis ducitur. Insuper natura hoc omnes docuit, scilicet iuuenes esse quasi filios, quorum est obedire, & senes esse patres, quos imperare decet: non est ergo decorum, vt iuuenes magistratuum officio defungantur in senes. Postremo omnia testimonia tam humana quam diuina hanc rationem imperandi ac parendi laudant, damnantque contrariam, Cõ-

cludã ergo illud quod ſacræ literæ me docuerunt: Væ regno, cuius rex puer eſt, væ ciuitatî, in qua iuuenes magiſtratum gerunt. Quoniam ergo hæc ætas ſit vicina lapſibus, affectibus ſubiecta, implicata erroribus, raro conſtans, raro prudens, raro experta rerum; expedit vt potius filiorum more ſenili diſciplinæ ad tempus obſequantur, audiantque illud Ciceronis, 1. Offic. Eſt adoleſcentis maiores natu reuereri, exque eis deligere optimos & probatiſſimos, quorum cõſilio & auctoritate nitatur, ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenũ conſtituenda & regẽda eſt prudẽtia. Hinc ſapiẽter Plutarchus dixit: Iuuẽtus imperata faciat, ſenectus imperare debet.

Olim non admittebant legislatores ad Reip. adminiſtrationem, niſi qui eſſet opulentus. Hæc enim opinio animis eorum inſidebat, pauperiores & egenos in mulctis aliisque eius generis modum transgreſſuros, adeoque quæſtui ciuitatem habituros; diuites vero pecuniis aut affectibus minus circumagi, quin & diuites plerunque maiorem rerum experientiam habere exiſtimabant; inſuper ſplendidius ac honorificentius in ciuitate ſe gerere, multoque liberalius, ac magnificentius viuere quam pauperes. Verum hæ rationes parum habent momenti. Conſultius quidem eſt, fateor, globum ciuitatis diuitibus honeſtis quam pauperibus tametſi bonis committere. At omnem aditum ad magiſtratum honeſtæ paupertati intercludere, id vero iure improbatur. Virtus enim eum, quia ea præditus eſt, per ſeipſa animum frenare docet; quod niſi fecerit, parum in expellendo vitio profecerit: ſiquidem auaritia, ſimul-

ac radicibus actis in animo hominis inualuit, fœdius seducit diuitem quam pauperem. Hoc enim cupidine habendi aliquid duntaxat flagitante, ille omnia omnino in suum commodum conuertere conatur; Atque iterum necessitate pauperiorem ad aliquid delinquendum vrgente: ille auaritiæ (siquidem omnium malorum radix est) impulsu nullibi modum seruare potest.

Auctoribus quidem maximis & regendæ Reipub. scientissimis, ad istam sententiam vti possem: sed ego vnum tantum Platonem adhibebo; apud quem Socrates in 3. de Repub. libro, cum fabula quadam de hominibus armatis è terra editis, ad patriæ charitatem & mutuam inter se beneuolentiam ciues impulisset, tum deinde sic institutum sermonem continuauit. Audi, inquit ille, reliquam partem fabulæ. Omnes qui in eadem ciuitate viuitis, fratres estis. Sed Deus cum vos informaret, iis quidem, qui nati & apti sunt ad imperandum, aurum immiscuit, iis autem, qui principibus in communi salute defendenda operam nauant, argentum; agricolis autem atque reliquis opificibus, æs & ferrum. Ita fit vt cum ab eodem principio ortum habeatis, vobis similes plerumque generetis. Euenit tamen vt ex aureo parente interdum argentea soboles nascatur: ex argenteo aurea. Et similiter omnia ab aliis vicissim oriantur. Iubet igitur Deus, vt principes ipsi primum ac præcipue adeo magnam curam suscipiant inuestigandi & inspiciendi, quid in animis liberorum suorum immistum sit, vt nihil omnino diligentius animaduertant. Quod si æne-

æneum aliquid aut ferreum, insitum in filiorum sensibus inspexerint: non impediantur misericordia, quo minus illis munus eorum naturæ conueniens assignent: & ad opifices aut agricolas dimittãt. Sin ex illis aliquid rursus aureum aut argenteũ extiterit, honoribus afficiãt: & alios quidem ad vrbis custodiam & imperium: alios autem ad vrbis auxilium & militiam euocent. Insideatq; in eorum mentibus, fuisse olim oraculo prædictum, ciuitatẽ tunc omnibus bonis euertendam, cum ea ferri aut æris custodiæ commissa fuerit. Hæc Plato de principis officio, per Socratis personam disputauit. A quo reliqua omnino præclare, illa postremo diuinitus dicta sunt: omnes ciuitatis opes funditus interituras, cum æs & ferrum, hoc est, ingenium humile omniq; virtutis præsidio nudatum, Reip. gubernacula tractanda susceperit. Ob id igitur non solum homines industria & ingenio excellentes ex agris ad vrbis custodiam euocandos, sed etiam amplissimo genere natos, si degeneres extiterint, in infimam turbam coniiciendos esse statuit. Quod si verum est, omnia ornamenta, quæ cogitari possunt, virtutis excellentiæ deberi; princeps, qui Socratem audire voluerit, eos qui indigne patiuntur virtutem, in quocunq; hominum genere eniteat, omnibus ornamẽtis illustrari: omnium primos in agros deportandos, armentisq; præficiendos esse decernet. Nam si virtutis studio ipsius Reip. salus atq; dignitas continetur: is certe, qui virtuti aduersatur, Reip. opes infringit: & communem ciuitatis gloriã labefactat. Quamuis autẽ non possit princeps efficere, vt abiectus animus atq; demissus ad

veram

rerum maximarum gloriam adspiret. Potest tamē magnum animum & excelsum debitis ornamentis afficere.

Porro sublimius aliquando expendendū est, an iudicem extraneū, an vero indigenam habere expediat. Ac sane vt quod res est dicam, periculosa admodum est in Reimp. peregrinorum admissio. Periculosum est (vt inquit ille) angues in sinum, & peregrinos in vrbem sumere: nam vt illi calore recreati mordent, ita hi libertate donati ciuitatem perdunt. Hinc Aristoteles: Qui inquilinos, inquit, aut aduenas recipiunt in ciuitatem, hi fere omnes aut certe plurimi seditionibus conflictantur. Sed vt hoc ipsum argumentis probem, consideremus quamlibet gentem, quæ proprios suos mores & ceremonias habet, si ergo alterius gentis populus in aliam ciuitatem migret, sedem non animum mutari dicimus. Hoc dato sequitur (meo quidem iudicio) grande periculum, ne receptis peregrinis antiqui mores ac leges in nouos & peregrinos commutentur. Sed quid citius parit seditionem quam legum morumque mutatio? Quid ergo periculosius quam peregrinorum in vrbem admissio? Præterea, quorsum natura pares se cum paribus congregare docuit, si alienis moribus homines in ciuitatem traheret? Non vult natura, vt oues cum lupis, non vult prudentia, vt ciues cum peregrinis iocentur. Philosophia enim hoc suadet, quod contraria in eodem non possunt cohabitare loco: at peregrini maxima ex parte infesti sunt ciuibus, quibus cum versantur. Huc adde, quod sicut locustæ segeti sunt, ita sunt aduenæ

uenæ ciuitati: nam vt illæ vastant & consumunt granum segetis: ita hi fructum ciuitatis vorant: quippe etsi rami sint eiusdem plantæ, à radice tamen non salutarem succum, sed venenum hauriunt, quo tandem infecta tota planta cadit. Sic Apolloniatæ, vt domestica hic exempla taceam, qui in Ponto Euxino habitant, peregrinorum seditione sunt agitati: Syracusani in suum malum seditiosos hospites susceperunt: Amphipolitæ receptis Chalcidensium colonis à patriis sedibus pellebantur. Sed quid in istis externis hæreo? Nonne populum Dei admissi hospites vt sentes & spinæ vulnerarunt? Certum est Salomonem peregrinis fœminis in idololatriam incidisse.

Verum enim vero non nego, interdum peregrinos iudices ac magistratus re ita poscente adsciscí posse. Sic peregrini iudices Florentiæ, Lucæ, Genuæ, alijsque Italiæ ciuitatibus ob Gibellinorum & Guelphorum simultates & machinationes, quibus vulgus se adiecerat, inuecti sunt. Florentia enim post obitum Friderici II. in pristinam libertatem asserta, aduersisque partibus aliquo modo pacatis, sopitisque domesticis bellis, ne diffidentiæ & contentionum opinio inter iudices existeret, dati sunt duo iudices, at peregrini, qui in causis ciuilibus ius dicunt. Alter horum, populi dux dictus, alter vero potestas.

Cum indigenis vero id mali plerumque coniunctum est, quod sibi facile persuaderi patiuntur à cognatis aliisque familiaribus, vt ipsorum præcipue habeant rationem, nec committant, vt iniuriam aut cladem aliquam accipiant, sed vt

aliis

allis anteponantur. Contra vero de extraneis timendum est, ne non imparatiores & infirmiores se videntes potentioribus coniungantur, spe certa freti fore, vt lapsi ab illis erigantur.

Mallem itaque inter vtrumque medium arripi, ita vt nec plane extraneus, nec inde, vbi officio præficitur, oriundus adhibeatur, sed alio ex loco, qui nihilominus principi pareret, accerseretur. Vnde recte à Marco Aurelio sancitum est, ne quis terræ suæ gubernator esset, & à Philippo Formoso Galliæ rege, ne quis vbi natus est, iudex esset.

CAPVT XVI.

De mediis, quibus iudices & magistratus, vt in officio suo fidelitatem præstent, retinentur.

NON satis est principi summa ptudentia elegisse iudices: requiritur enim insuper, vt etiam cogitet, quomodo eos retineat in officio, ne se abstrahi patiantur. Multoties enim contigit, vt, si ita liceat dicere, columba in coruum, & ouis in lupum transformaretur. Ne quicquam reperitur, quo animus hominis exquisitius, quam permissa ipsi magistratus potestate, cognoscitur. Tum enim verum efficitur illud: Honores mutant mores. Rarique inueniuntur, de quibus vere dici queat: Vir bonus ille est, cum fucum facere male factis possit, nihil tamen indecorum patret, honesti & æquitatis pulcritudine pellectus.

De imperatore Vespasiano legimus, quod præfectos vrbium & prouinciarum præsides tanta diligen-

ligentia & seueritate cohibuerit, vt in modestiæ & iustitiæ studio non habuerint pares.

Distincti vero sunt modi, quibus de fide & diligentia eorum reddimur certiores. Primus est, vt salaria ipsis promte persoluantur, addita hac comminatione, ne largitionibus se dementari sinant. Huius admodum studiosus est rex Chinę. Ita enim victu, habitatione, armis, ministris, cæterisque ad tuendam status dignitatem necessariis prospicit: vt securi curarum domesticarum omni animi impetu in defensionem iustitiæ, munerisque administrationem ferantur. Adeo profunde seuera hæc comminatio eorum animis est infixa, vt, nisi ieiuni & sobrii, tribunali insidere & ius dicere vereãtur. Si quis autem sit tenuioris valetudinis, quam vt tantisper ieiunium perferat, licitum est electuario aut alio pharmaco vti: vinum vero bibere omnino est interdictum.

Secundus modus in eo cõsistit, ne princeps suis officialibus & præfectis plenam det potestatẽ pro lubitu pronunciandi: sed, quoad eius fieri potest, præscripto legũ subiiciat, sententia definitiua libera sibi reseruata. Leges enim & statuta faciũt, vt raro, qui ea vere attendunt, errent: secus tamẽ fit, negotiis in vniuersum ipsis permissis & demandatis: variis enim obnoxii sunt perturbationibus. Quid quod præsides plena sibi iudicandi copia facta minorem adhibent diligentiam, quam præsens causa legumq; præscripta requirunt. Verum progrediamur.

Romani, ne forte accusarentur, metuentes, sponte repressi & quasi refrenati sunt. Erant enim

ciues

ciues ambitiosi & inuidi. Neque quisquam tam potens erat, cui non esset aduersarius, qui non omnibus modis cõpetitoris honori officere tẽtaret. Hoc modo nõ tantum simultates sunt sublatæ, verum etiã iniuria, quã acceperant ciues, vindicata est.

Plurimum etiam conducunt, si grauius in eos animaduertatur, qui iniuste pronuntiarunt. Vnius enim iniusti pœna infinitos sæpe officij sui admonet, atq; ab iniustitia absterret. Cambyses rex Persarum præsidio Sisamni, qui pecunia corruptus iniustam tulerat sententiam, cutem detrahi eamque tribunali insterni iussit. Postea trucidati filio Otani in eandem sedem collocato mandauit, vt patris exuuias intuens recte iudicaret. Quot putas crudelitate huius supplicij perterritos, ne & ipsi iniqui iudices deprehenderentur, cauisse?

Nõ desunt principes, qui certas ad hoc personas eligunt, quos syndicos aut visitatores appellãt. Sed hic periculũ subest, ne eiusmodi exquisitores corrumpantur munerib. Quod ipsum commouit Cosmum, archiducem Toscanię, vt clandestinos aleret exploratores, qui tanquam aliud agentes passim se insinuabant, subditorũ dicta & facta accurate notantes. Quicquid etiã iniquius à iudicibus vel præfectis auditu vel visu exploratũ habebant, principi detulerunt. Et hęc ratio magis arridet, quam quæ de syndicis est.

Verum enim vero non nimiam semper fidem clandestinis istis exploratoribus habebit princeps, plerunq; enim in veritate vacillant, & quo negotium gnauiter se gessisse videantur, haud raro admodum mentiuntur, cum alioquin etiam cordati viri,

Perſicum, barbarum & tyrannicum eſſe pronuncient, ſubauſcultatores & otacuſtas cõſtituere, qui omnibus rebus & agẽdis & dicẽdis aures admoueant, qui in omnẽ cætũ ac congreſſum hominũ callide ſeſe inſinuent, qui vitę & fortunis ciuiũ malitioſe inſidientur. Quis n. tutus foret, ſi tales in Rep. nebulones viuãt? Quis liber, ſi tales ſcorpiones magiſtratus alant. Peſſima pars ſeruitutis eſt, ſubeſſe ſeruis: at tales carnifices in domo, in mẽſa, in ſinu alere, eſt iugum ſeruitutis intolerabile; adeoq; ſeruilem metum in animis ſubditorũ hoc parit, quin etiam flamas ſeditionis ſæpe mouet, quę ſane à rege debent eſſe alieniſſima. Tyrannorũ hoc eſt, exploratores, & (ſi liceat nouum verbũ effingere) intelligentiarios habere, qui dicta factaq; ciuium notent, ſuisq; tyrannis referant & declarẽt. Id q ſatis factũ fuit Syracuſis, hoc Hiero atrox ille tyrannus fecit. Prętera tumultuante Marte iſtos habere licet, florente pace minus. Adde quod rex ſuſpicioſus in ſuos ſubditos eſſe non debet, atq; ita agere, contra libertatem naturæ eſt, cõtra dignitatem ciuilem, ſine exemplo bonorum & contra legẽ charitatis. Quippe vt cancri inter roſas, lupi inter oues: ita exploratores inter ciues manent; hoc autem libertas, hoc honor ciuitatis, hoc lex amoris & charitatis negat. Poſtremo ſi melius ſit in Rep. apertos habere hoſtes q̃ diſſimulãtes amicos, & ſi ſubauſcultatores iſti ſint blandi diſſimulatores, qui ſub eſca hamũ & virus gerunt, nemo eſt quin videat, admodũ iniuſtũ & periculoſum eſſe, tales in Rep. tolerare. Cęterum animaduertendum eſt, vſum venẽni aliquando etiam inter ſalutares medicinas admitti. Vt ergo ex vipe-

viperinis carnibus mithridaticum: ita ex serpētinis istis auscultatoribus aliquando vtile subsidium in ciuitate nascitur. Sed caute hic adhibenda est distinctio temporum, in quibus istæ hyænæ è suis latibulis & antris prodeant. Præscribunt quida politici nostræ ætatis duo tempora, nimirū vel quando intestinæ seditionis est vehemēs suspicio, vel quando ab externo hoste facta inuasio. Huc quoque addunt vtile esse hoc genus sophismatis, si in suspectis & vicinis nationibus obscure & occulte adhibeatur. Speculatores & auscultatores in bello sacra philosophia approbat, eosdemque prudentia Lacedæmoniorum (qui sæpe istiusmodi vulpeculas Athenas miserunt) antiquitus approbauit. Ac iusta est etiam illorum praxis nostro tempore, si modo causam honestam habeat, iniusta vero, si solam speciē & laruam virtutis gerat. Iusta ergo princeps habebit causam, si eiusmodi emissarios prudere, eaq; quę scire sua interest, cognoscere intēdit. Atq; tum, vti supra dictū, satius est, per exploratores quam per syndicum aliquid expilcari.

Vnicus enim syndicus pecunia facile flecturi duo quoque: quamuis rarius. Multi autem propter sumptus principi sunt intolerabiles, aut populum exhauriunt, id quod de exploratorib. dici nequit. Ignorantur enim vulgo, neq; etiam se innotescere cupiunt: quapropter inuicem colludere, principique fucum facere & imponere nō possunt: omniaque minori sumptu princeps per eos conficit.

Alij principes ita rem aggressi sunt, vt ipsimet prouincias suas perlustrarent, causisque subditorum āuditis, vita moribusq; inferiorū magistratuū

cognitis intereſſent negotijs aut reuiſerent. Hoc præ cæteris maximè frequentauit Imperator Traianus, qui maximam imperij Romani partem præſens inuiſit.

Arithbertus rex Longobardorũ ob iuſtitiam ſatis celebris alieno habitu aſſumto ſæpius in cõciones prodijt, quid de ſe & officialib. ſuis vulgus ſentiret, exploraturus. Et, vt quod res eſt dicã, omnino decet principes ipſosmet cauſas ſubditorũ cognoſcere. Prædicti enim modi interdum fallunt, vt & ipſi præfecti.

Principes, quí ſubditorum cauſas alienis tantum oculis & auribus excipiunt, aliorumq; delationib. nimiam fidem adhibent, multis modis ſupplantãtur, & fraudes, quibus à rei veritate abducuntur, ſunt innumeræ, plane vt in humanam induſtriam non cadat illas amoliri.

Nobilis quidam, cui aulici mores perſpectiſſimi erant, taliter olim ad me loquebatur: opus eſſe regi veritatem cauſarum plene cognituro vt nonnúquam ſit ſurdaſter, ne nugis aſſentatorum & delatorum captus aberret: viciſſim vero ſi in excelſa turri ſit conſtitutus, vt prætereuntes tanquam in ſpeculo propoſitos queat obſeruare atque dignoſcere. Quando vero hæc fieri nequeunt, eſſe è re regis, ſi interdum exploratores mittat, ſi diebus faſtis foro interdum præſit, ſi interdum cauſas ipſe exaudiat, mutatoque habitu hinc inde euagetur: ſic enim fore aſſerebat, vt vel ab inuitis à nihil tale opinantibus veritatem ediſcat.

More laudabili vſurpabatur ab imperatore Tiberio, vt vbicunque ſederet aut præteriret, iudi-

ces

ces commonefaceret officij, fideliter eo vt fungantur, leges tueantur, conſcientiam ne onerent, litigantium actiones anxie perpendant, inculcans. Imitantur hoc etiamnum duces Venetiani. Non infrequens erat imperatori Auguſto, multos auctores euoluere, gnomasque plurimas & Reipublicæ conſeruandæ vtiles ſibi decerpere: decerptas prefectis ſuis transmittere: prout quemq; his aut illis ad inſtructionem indigere cognouiſſet.

CAPVT XVII.

Singulares quædam de iure & iuſtitia commonefactiones.

MVLTA quidem occurrunt, quæ de iure exacte callere non eſſet incommodum: ſed verba tantum de duobus faciamus: neq; hoc tanquam præcipientes, verum duntaxat admonentes.

Inprimis autē requiritur, vt ius ſibi vbiq; cōſtet: deinde vt mature ſine inutili mora definiatur.

Supra de artificio iudices in officio fideles retinēdi diximus: ſed nō ſufficit aſſuefeciſſe præfectos, vt iuſtitiæ lancem æquo libramine geſtent: ſi ipſimet principes libre iugum pulſent, id eſt, fontes dimittant, nec deportandos & extremo ſupplicio dignos è medio tollant.

Clementia quidē maximum eſt in principe ornamentum. Iudicum enim eſt ex iuris preſcripto & legum ſententia decidere: principum autem iuris rigorem æquitate mitigare. Miſerationem autem principi moueat, non quidem reſpectus perſonarum, ſed eiuſmodi circumſtantiæ, quæ neq; iuſtitiæ neq; ſaluti Reip. fraudi ſint.

Digitized by Google

Iustitiæ quidem nullo modo. Ea enim amussis & regula est omnium politiarum. Iis autem veniam dare, qui delicta suæ ignorantiæ prætextu excusare nequeunt, non est misericordiam adhibere, sed potius iniustitiæ patronum esse.

Neq; Reipublicæ. Siquidem subditi tributa cẽsusq; potissimũ eo nomine pendunt, vt à maleuorũ iniurijs immunes, vitam tranquille ac pacifice degant. Clementia autem nullo iustitiæ & Reip. respectu adhibita rerum confusionem parit & imperiorum certissimam tandem ruinã. Delictorum enim, quę latronibus & facinorosis condonata sunt, Deus vindictam à principibus sumit: cuius rei satis documenti sunt Saul & Achabus.

Afferendum & hoc est: Caueat princeps ne temere à cõstituta pœna recedat. Ioannes Vega, regius Siciliæ vicarius, multis aliquãdo deprecationibus solicitabatur, vt è primorib. illius regni quẽdam ob parricidiũ capitis damnatũ, clam tolleret; & pro clandestina illa iustitiæ administratione caperet triginta millia coronatorũ. Verum satis digne & grauiter respondit: Iustitiæ locum nullum esse, nisi in destinata sede exerceatur.

Altera commonefactio est de iuris sententia non protrahenda. Et hoc est quod omnes litigantes misere expetunt: quemadmodum ex libellis supplicibus, quorum infiniti quotidie ad principes magno agmine conuolant, videre est. Et, vt aperte dicam quod res est, dilatio iuris sæpe bonis suis ita exuit multos, vt quamuis bonam foueant causam, & secundum se pronunciatum iri certo sciant, tamen cum vident, rem nimis diu protelari,

ri, ſumtusque indies accreſcere, quibus exponendis non ſufficiunt, actionem deſerunt, nec litis definitiuam ſentẽtiam expectant. Quoniam ſumtus ſæpe ſortem & caput excedunt. Memini Lutetiæ quondam de ſex coronatis litigari: At finita lite ſexaginta florenos, qui lite pendente impenſi fuerant, pars victrix ab eo, contra quem ſententia lata fuerat, poſtulabat. Cum itaq; tanti ſumtus pro iure obtinendo fiunt, avide quidem iuris ſententiam expetũt pauperes, at fruſtra. Quapropter rem controuerſam amittere, quam in tanta dilatione iudicis ſententiam expectare malunt.

Porro quorumnam hominum malitia actiones ita protrahantur, notius eſt, quam vt pluribus hoc loco aperire opus ſit. Sunt nempe vt plurimum ij, qui artem placitatoriam ſiue aduocatoriam, vt aiunt maxime neceſſariam, ſuaſorio cooperimento ſubdole adornatam, plenis buccis ampullant; quæ ſane ars non eſt fere alia, quam ſcire iudicem perſuaſione demulcere, & ad omne arbitrium vti: ſcire iuribus ac inuentis gloſſis ac cõmentis, leges quascunque pro libidine fingere & refingere, vel iniquis quibusq; diuerticulis illas ſubterfugere, aut fraudulentã litem prorogare: Sic citare leges, vt peruertatur æquitas, ſic gloſſatorum aſtruere auctoritatem, vt ſubuertatur ſenſus legis mensq; legislatoris. Atq; in hac arte plurimum momenti habet, altũ vociferari, audacemq; & in litigando clamoſum & improbum eſſe. Isq; habetur aduocatorũ optimus, qui plures allicit ad litigandũ, & promiſſa ſpe vincẽdæ litis in iudicium impellit, ſtimulatq; impijs cõſulijs: qui venatur appellationes, quiq; eſt

egregius rabula ac iurgiorum auctor, quique garrulitate ac linguæ viribus nihil non possit clamare: sed & vera & iusta vno modo dubia & iniqua facere: iustitiamque ipsam suismet armis profligare, peruertere, prosternere. Sed & ea etiam quæ non sunt rerum, scilicet priuationes & silentia, pretio exponunt: nam vt nullus eorum loquitur, nisi ad mercedem; ita nec tacet nisi ad præmium, exemplo puto Demosthenis, qui cum Aristodemum fabularum auctorē interrogasset, quantum mercedis vti ageret accepisset, & responderet ei, talentum. At ego, inquit Demosthenes, plus accepi vt tacerem. Causidicorum siquidē lingua tam damnifica est, vt nisi vinciatur muneribus, fieri nō potest, vt non noceat. Ad horum autem classem referuntur etiam quidam notarij, quos tabelliones vocant, qui omnium fidem & licentiam ac potestatē apostolica & imperiali auctoritate se obtinuisse prędicant. Atq; inter hos sunt illi, qui forū egregie norūt perturbare, miscere lites, cōfundere causas, supponere testamenta, instrumēta, rescripta, diplomata; tum egregie fallere, decipere, & vbi opus est, peierare & falsum scribere, omnia audere & cōstruendis dolis, fraudib. technis, calumnijs, laqueis, captiunculis, insidijs, tricis, ambagib., circūuentionibus se à nullo vinci patiūtur. Nullus prętera notariorum tam integrū, quod votāt, instrumentū pscribere potest, quin rursus litem cōtestari necesse sit, si quis velit contradicere aduersarius. Nam aut aliquid omissum dicet, aut falsum, aut fraudem subesse, aut aliam exceptionē opponet, qua instrumenti aut notarij fidem impugnet. Atq; hæc sunt illa

illa iuris remedia, ad quæ litigantibus confugiendum esse docent: hæ illæ vigiliæ, quibus iura subuenire dicunt. Huc spectant etiam vastissimi quidam gigantes, qui contra Iustiniani edictum, tot glossarum, commentariorum, expositionum ingétia innumeraque volumina, vnoquoque illorum aliter atque aliter interpretante genuerunt. Præterea tot opinionum procellas, tot vaferrimorum consiliorum ac cautelarum syluas infelicissima fœcunditate parturierunt, quibus aduocatorum instruuntur nutriunturq; nequitiæ, qui tam celebri illorum iurisperitorum per singulas periodos & paragraphos, nomenclatura pudorem suum obstringuut, ac si non potius rationibus constet veritas, quam confusis testimonijs ex tam nugantium opinatorum colluuie adductis, penes quos tanta laus est contentio atque discordia, vt qui non dissenserit ab alijs, qui nescierit nouis opinionibus aliorum dictis contradicere, ac iudicata omnia in dubium reuocare, & bene inuentas leges per ambiguas expositiones ad suâ figmenta adaptare, is parum vel nihil doctus habeatur.

Cæterum veris ac candidis iuris iustitiæque patronis nihil hic derogamus, quin potius summopere colimus & veneramur. Iniquissimam illam ac tetterrimam legum prostitutionem, id quod boni omnes nobiscum queruntur, duntaxat execramur ac damnamus.

Ac sane operæ omnino pretium facturi forent, si qui viri eruditiores, in hoc rerum omnium statu perturbatissimo, de remedijs, quibus confusionibus hisce atq; inde nascentibus incommodis obuiari

uiari posset,serio cogitarent,modumq; statuerent, quo & res controuersæ citius diffinirentur, lataq; sententia diffinitiua executioni etiam mature mandentur. Tentatum id quidem sæpenumero à bonis ac eruditis viris,tentatur adhuc dum hodie. Bene sperare iubet ipsius rei facilitas. Euẽtus, Deo fortunante,omnium bonorũ desiderio satisfaciet.

Iulius Cæsar, quantumuis bellorum dumetis implicitus, non tamen erubuit de eiusmodi rebus cogitare. Quamobrem cum ius ciuile dispersum videret,eruditioribus viris id negocij dedit, vt vtilissima quæque decerpta in ordinem redigerent. Quin & Vespasianus magnam adhibuit diligentiã in promouendo iuris processu:adeoq; quibusdam selectiorib. potestatem succinctiori iuris processu vtendi dedit.

Nec minor enitebat cura in Tito Vespasiani filio, qui odio dilationum vetabat, *De eadem re pluribus agi: & queri,de cuiusquã statu vltra certos annos.* Rex Hispaniæ nõ ita pridem ad senatum Mediolanensem scripsit, si quem scirẽt, qui haberet expeditiorem &breuiorem in iure procedẽdi modũ,eumq; commonstraret, rem sibi accidere gratissimam.

Leges & statuta plura sunt, quam vt enumerari queant: sed forsitan tantopere non obstarent, nisi vitiata hominum consuetudo dissimiles & discrepantes opiniones aut explicationes introducendi & speciosо colore fucandi inualuisset, & nisi veritati tenebras offundere, & liquida reddere illiq da didicissent. Hinc etiam fit, vt nunquãm deterior iuris fuerit cõditio, vbi tamen plus, quam antehac vnquã, de eo laboretur,quam hodierno tempore.

Haud

Haud tamen est pernicies maior, atq; sunt ipsi doctores, quibus assidua negòcia facessit calamus. Quamuis enim sæpenumero exiguam iuris intelligentiam habeant, numerum tamen complent. Adeo vt plerunque, non qui optima, sed numero plura adduxit, causam obtineat. At potius in defendenda veritate ipsam iustitiam magis quam auctoritatem, magis vim argumentorum quam verborum volubilitatem ponderare decebat.

CAPVT XVIII.

De liberalitate, & primum eleemosynis.

LIBERALITATIS vis magna est in conseruando & muniendo quolibet statu. Conspicitur autem in duobus: Vno: in subleuanda pauperum inopia: altero: in promouenda virtute.

Non est quicquam in amplissimo hoc mundi theatro, quod conuenientius sit regi, quod pulcrius, & ad extrahendam pietatis famam cõmodius, quam si pauperum inopiam leuet. Decantatissima est passim in sacris literis immensa Dei misericordia, paternaq; cura, qua pios & exulantes respicit, mireq; tuetur. Similem earum omnibus, qui in imperio sunt, quam seueriſſime commendauit.

Neq; quicquam meo arbitratu fingi potest, cuius vis maior sit ad animos priuatorum principi deliniendos & devinciendos. Hebræi sibi persuasissimum habebant, quas conferebant eleemosynas, neruum & vinculum fuisse stirpis suæ conseruandæ, propagandæ, imo quibus felicissime ad honorum fastigia ascendisset. Ita videmus præstantissi-

tissimos principes, qui Christianismo addicti fuerunt, beneficentissime eleemosynis egenorũ miseriam subleuasse: quales fuerunt Constantinus, Carolus Magnus, Theodosius & alij plures.

In quorum numerũ iure referendus est Robertus rex Galliæ, qui eleemosynarum largissima erogatione suum imperium non tantum roborauit, sed etiam in familiam Hugonis Capleri, cuius erat filius, deriuauit. Semper ille mille pauperes alebat, proprijs sumtibus curans, eos secum transportari, vt apud Deum pro rege deprecarentur. Ludouicus IX. qui ad annos 44. faustis auibus imperij clauos tenuit, semper centum viginti, sed quadragesimarum tempore centum quadraginta pauperes alere solebat. Prætereo iam Ludouicum illum, ducem Saphoiæ, qui in conferendis eleemosynis in pauperes, in cibandis famelicis, vestiendis nudis, alioq; modo subleuandis non habuit parem.

Tametsi vero liberalitas omni tempore multũ decoris adferat: tamen quoad præsens institutum in certis casibus non caret sua virtute & efficacitate: potissimum ingruente publica calamitate, fame, annonæ caritate, peste, terræmotu, incendijs, inundatione, hostili impressione, bellis, aut similibus, quibus animi hominum consternantur.

Titus perfectissimum illud exemplar & idæa boni & præclari principis (vnde & voluptas hominum dictus est) tempore pestis alteriusve calamitatis non tantum cura sua paterna se exhibuit misericordem magistratum: verumetiam opinionem de se conceptam dictis & factis confirmauit: idque per literas consolando afflictos, aut quoad licuit, remedijs auxilijsque opitulando. Ne-

Digitized by Google

Neq; vero vlla calamitas quantumuis maxima deterreat principem, quo minus saltem specimina quædam suæ commiserationis edat. Sic factitabat Cæsar Augustus, cum dux suus Varus magnam illam cladem in Germania accepisset. Ioram rex Israelis obsessa vrbe Samaritana magnaq; annonæ caritate glisente, cilicio se induit iram Dei sua resipiscentia placatum: condolentiamq; ob communem calamitatem testatum, &c.

Commodior ansa beneuolentiam subditorum captandi, principi præberi nequit, quam publica illa miseria. Tum enim tanquam seminarijs, beneuolentia sua (vt ita dicam) disseminata, amorem subditorum cordibus implantabit: nihil dubitans, quin amœnissime efflorescat, largissimosque fructus effundat: plane vt centuplum emolumentum sit sperandum.

Quo quisque principum in sublimiori statu est, eo magis officium suum id requirit, hoc studiosius id imitabitur. Priuato enim priuatus vrgente necessitate suppetias ferre: sed publicam calamitatem solus princeps auxilio suo potest subleuare.

Esto autem, in eiusmodi casu vt priuatus inopiam publicam velit subleuare; princeps tamen non committet, se hoc casu ab inferiori præueniri palmamq; liberalitatis sibi eripi. Quid quod maximo cum periculo coniunctum est, si tota Resp. vni alicui priuato adeo sit benefactis obstricta. Mature admodum hoc suboleuit Romanis: ideo enim Cassium, Manlium, Capitolinum, & Gracchos trucidarunt: quod benigna & effusiore largitione commeatuum tempore famis, partim quibus-

busdam legibus arctius populum Romanum, quã ciui conueniebat, obligassent.

Permultum autem ad conciliandum subditorũ amorem, & vehementius eorum animos inflammandos facit, si magistratus nonnunquam occasiones, quæ variæ interdum offerũtur, negligat, eo fine, vt subditi paucioribus oneribus premantur. Marcus Aurelius bellum gerens cum Marcomannis, ne subditi grauius, inuectis nouationib. afflicti exhaurirentur, maluit omnia vasa argentea & aurea, omnia clinodia & gemmas, vniones, artificiosissimas picturas omniaq; aulęa, quæq; ipsi pretiosissima in delitijs habębantur à maioribus suis coaceruata & relicta publicæ præconis voci subijcere & diuendere: atque inde pecunia confecta bellum illud grauissimum & diuturnum gessit.

CAPVT XIX.

Quomodo virtutis studium liberalitate excitetur & propagetur.

LIBERALITAS non tantum paupertũ tenuitati subsidia affert: sed etiam multum ad instaurationem & culturam virtutis confert. Neq; enim liberalitatem comitatur inuidia, quoniam in personas dignas confertur. Quin & hoc admodum præclarum in ea cernitur: quod est sapientum promotrix, artium liberalium cultrix, sapientiæ auctrix, religionisq; orthodoxæ, quæ summum decus & ornamentũ politijs omnibus addit, feliciſſima propagatio. Maius est hoc: quod ea subditos principi arctissime obstringit. Qui enim literarum humaniorum dotibus aliarumq;

rumque rerum, quarum honestas cũ vtilitate coniuncta est, peritia sunt cumulatiores, ij quasi capita populi sunt, ad quorũ placita & cõsilia vulg⁹ se cõuertit. Si itaq; reges & principes beneficẽtia alijsq; officijs sibi deuinxerunt peritos illos viros, fieri nõ potest, quin pariter cum his etiam populum sibi oligarint. Ita omni tẽpore principes ac viri illustres viros illos, qui singulari sapientia præcellere credebantur, adamarunt, & hoc ipso virtutis studiũ auxerunt. Alexander Magnus edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem, pingeret, aut alius præter Lysippum duceret ęra fortis Alexandri vultum simulantia. Cæsar Augustus, quamuis ab omnibus in magna existimatione habitus, noluit tamen nomẽ suum nisi à viris laudatis laudari: Vnde etiam prouinciarum pręsidibus seuere edixit, ne suum nomẽ poetarum aliorumque auctorum scriptis inseri, adeoq; non tam nomen, quam auctoritatem obscurari paterentur. Imperator Theodosius, vt quidam volunt, amplificaturus artes liberales, aperuit Academiam Bononiensem: doctoribusque plurimis & stipendijs ampliſſimis Romanæ Academiæ accessionem adiunxit. Imperator Iustinianus, quãuis literarum expers, ea sapientia valebat, vt literatos studiaq; humaniorum artium maximo fauore prosequeretur. In hoc negotio multis parasangis cæteros fere omnes superauit Carolus Magnus rex Galliæ. Nam (vt nihil hic referam de ludis literarijs amore & emolumento Græcæ & Latinæ linguæ ab ipso passim institutis) Academiam Parisiensem, & Patauinam fundauit: Bononiensem etiam, quæ fere iam conciderat, restauauit. Qua potuit dili-

gen-

gentia, præclariſſima quæque ingenia ad virtutem accẽdit, artes liberales in lucẽ pertraxit, omnemq; virtutum chorum nitori ſuo reſtituit. Neq; tanta induſtria caruit inſigni vtilitate: ſiquidem omnes virtutes tum temporis tanquam maturitatis perfectiſſimum vigorem aſſecutæ ſunt, vt quaſi miraculi loco habeatur, ſummæque apud omnes ſemper fuerit admirationi. Hoc virtutis amore nõ minus quam gloria bellica, vt Carolus Magnus diceretur, aſſecutus eſt. Imperator Conſtantinus duces, Muſarum & Gratiarum alioquin exors, maximis laudibus ſtudia humaniora efferens in ſummis delitijs habuit eruditos: adeo vt nonnunquam diceret, malle ſe ex artibus quam adminiſtratione imperij inclareſcere & nobilitari. Otto III. ſummam omnium admirationem in ſe cõuertit, dum iuuenis adhuc liberalibus artibus beneficẽtiſſime promotis, doctos vnice diligeret.

CAPVT XX.

Peculiares quædam cohortationes de liberalitate.



RIA in exercenda liberalitate obſeruanda veniunt. Primum: Ne conferatur in immeritos. Si enim indignis opem ferimus, non modo beneficia peſſime collocamus, verum etiam ipſi virtuti, ijsque qui bene meriti eſſent, inſignem inferimus iniuriam. Hinc eſt, quod ſubditi principib. ſuis in immeritos prodigis magis quam liberalibus, beneficentiam obſeruantes, alia etiam meditãtur, quibus apud principem gratiam inire, eiusque munificentiam ſoli alioqui virtuti

tuti iure debitam se adepturos sperant. Basilius Macedo reuocatis omnibus donarionibus, quæ ab intercessore suo ex publico erario indiscrete etiam in indignos collatæ essent, publice proclamari iussit, vt dona, si qui illegitime & indigne accepissent, restituerent.

Secundum est: Ne nimijs largitionibus liberalitatis modum excedat. Princeps enim nimius in erogando, eodem gradu diu haud subsistere, neq; quin tyrannorum modo in aliena bona inuolet, sibi temperare potest. Nero imperator intra annos quatuordecim vltra 10000000. coronatorum donando insumsit. Quo autem largior esse posset in assentatores, re familiari viros bonos exuit, opulentioresque ad extremam paupertatem redegit: non alia ductus ratione, quam vt vappas & nebulones, infimæque conditionis homines ditaret, & ad honores perduceret. Itaque Galba iustis stimulis impulsus vniuersas donationes post Neronis obitum irritas fecit.

Denique in minimis poni non debet: Ne liberalitas simul & semel effundatur in bene meritos, sed successiue. Cui enim pauca dedit liberalitas, ne ille bona spe tenetur, fore vt paulo post splendidiora accipiat; interim agnoscens, se benefactori multis modis deuinctum. In quos autem nimia & exupetantior fuerit, nonne putas eum alia media, quibus ad luctũ sibi paret viam aliam, tẽtaturum. Quemadmodum enim tenues, continuæ tamen pluuiæ, terram felicius humectant, quam subiti densique imbres: sic vis liberalitatis legitime adhibitæ tam in conseruanda quam retinenda gratia, amore re-

munerationisq; promtitudine eius, qui beneficia accepit, arctior est & efficacior.

Cæterum cum tanta liberalitatis & magnificentiæ vis sit in viro principe, vt ex hostib. amicos, ex alienis suos, ex infidis fidos faciat, peregrinos quinetiam & in extremis terris agentes ad sese amandũ alliciat; non incongruum me facturum arbitror, si aliquanto amplius hic de ea verba fecero. Siquidẽ princeps ita se geret, vt ab omnib. ametur; id autẽ assequetur liberaliter agendo, vt & à singulis & ab vniuersa multitudine publice priuatimque charus habeatur. Vt autem honestior ac dignior liberalitatis ipsius forma appareat, fœdam ac deformem auaritiæ faciem prius detegemus, ac quã indigna sit viro principe, ostendemus. Etsi enim cupiditas habẽdi est naturalis, vnde auaros longe plures quã largos inuenias, tamen cum non heroicæ indolis indicium, sed deprauatæ naturæ vitium sit, ob id ab omnibus bonis odio habetur. Nam & iniuria afficit quos minime decet, dum sua illis aut insolẽter aufert, aut dolo subtrahit, & perperam parto sic parcit, vt nec sibi ipsi commodi sit, nec quibus maxime prodesse debeat, illud communicet, nec publice priuatimve beneficium vllum conferat. Cumq; insanabilis propemodum morbus sit, fieri videmus, vt in senibus, qui pleriq; omnes tenaces sunt, cum ætate simul crescat, & quanto minus ad viuendum spatij supersit, tanto plus instruendis intenti opibus, timidius necessaria promunt; quinetiam sæpenumero, quos adolescentes ac iuuenes videris profusiores, eos ingrauescente ætate astrictiores factos intelligas. Quamuis autem auari oẽs maxi-

maxime cupidi sint, teneanturq; ingēti auiditate, sintq; ad rem attentiores, ac supra quam oportet ac decet, pecuniæ inuigilent, cui etiā seruire videātur, sunt tñ aliquot eorum species: neque enim per auaritiam vno tantūmodo peccatur, neque ad habendam rem omnibus idem est consilium. Sunt.n. qui reb. suis parcētes, summo etiā studio rei familiari conseruandæ intenti, & quā potest minimum de suo impēdentes, ab alienis cōtineant, bonitate quadā naturę ita victi, vt re sua cōtenti, nihil turpe, nihil contra leges contraq; humanitatem habendi gratia faciunt. Hos nominare parcos cōsueuimus, eamq; animi institutionē maiores nostri parsimoniam dixere, quę in priuatis quibusdā tenuiq; in re constitutis ac laborantib multitudine liberorum, humanisque necessitatibus circumuentis, laudari merito potest. In regib. vero ac principibus, adeoq; ijs, quorū res est opulentior atq; auctoritas maior, quomodo laudari possit tam minuta diligentia, q̄ panis etiā miculas colligat, nequaquā video. Sergiū Galbam, qui Domitio succesit Augusto, quanquā alieni non appetentem, iure tñ ætas illa plurimum carpsit, q̄ suæ quidē pecuniæ parcus cum esset, publice etiam auarus foret: neq; enim aut secula illa, dignitasq; senatoria, aut opulentum Galbæ patrimoniū cā parcēndi ac cōseruandi diligētiam, nec aurea sella tanta è publico auaritiā patiebatur. Didij Iuliani, maximi & potētissimi viri auaritia qs ferat? q̄ porcellū leporēve domo ad se missum in triduanas partiretur cœnas; sæpe etia cū nulla religio aut abstinēdi causa subesset, leguminib. oleribusq; solis cōtentus cœnaret. Quo vt nō min⁹ sordid⁹, sic

fortaſſe magis accuſandus Pertinax Auguſtus, qui inter priuatum & imperatorem nihil intereſſe putauerit, dimidiatas lactucas, carduos etiam dimidiatos apponere conuiuis ſolitus: ac ſi quando ad amicos de cœna mitteret; binas tantũ offulas aut paucula poma; atq; vbi opipare magis egiſſe videri vellet, gallinaceos lumbos mitteret. Quid .n. principe indignius, quam vt, qui tam late imperet, animũ tam anguſtũ etiam in viliſſimis rebus habeat?

Porro parſimonia quæuis ſordida merito omnibus bonis ſuſpecta eſt, potiusque auaritia quam parſimonia dici meretur. Sunt autem ſordide parci illi, qui in vtendis pecuniis nimis effracti ac minuti atque etiam conciſi, & vt, ita dixerim, exangues ſunt, quorũ exoleta ſemper veſtis, mẽſa tenuiſſima & ſordida, ſupellex exilis eaq; carie exeſa, aut ſi qd forte in domo ſplendidiuſculum fuerit, ab vſu ipſo ſepoſitum, demum domeſtici omnes ſumtus perquam tenues & emendicati; & minutiſſimarum rerum importuna diligentia & cura; quos etiam ſeipſos accuſantes videas apud Comicos, quod ſe geniumq; ſuum comparcendo defraudent; qui tametſi nihil ex alieno rapiunt, non tamen id faciunt honeſti gratia. Ac ſi quis tenacitatis cauſam ab ipſis quærat, hoc ſe excuſare ſolent, nempe, ſi dando rẽminuant, ad turpia facinoroſaq; impellantur. Sed reuera hoc magis timent, ne ſi ab alienis non contineant, non poſſint tueri ſua, dum alios in ſe prouocant: diffidunt autem ipſi ſibi, atque ab inferenda iniuria manum cohibent, ne ipſis rurſus inferatur, adeoq; ob metum, non ſponte cõtinent. Atq; hi partim tenaces adſtrictiq;, partim aridi attenua-

tenuatique cum sint, ipso nomine præ se ferunt de suis fortunis aut nihil aut quamminimum, cum sua omnia tam arcte atq; districte teneant, atq; ex arido quidem nullus manet succus, nihilq; prorsus effluat, ipsiq; vt attenuati atq; abiecti, de minima ac viliſſima re, nimis anxij atq; solliciti sint, quorũ qui clamores sunt, vbi quid è mensa decidit, vbi quid è penu minus parce promtum atq; administratũ est. Eorum quam ridicula vita sit, quam etiã miserã, Euclio ille Plautinus docet, qui aquam plorat, cum lauat, effundere, qui vnguium pręsegmina à tonstrina domum referat.

Verumenimuero excusationem propemodum meretur hęc tenacitas, in ijs pręsertim, qui tenuioris sunt fortunæ, domesticaq; rerum omnium penuria premuntur: at in viro principe nequaquam, quippe qui ab omni tenacitatis aut auaritię genere debet esse alieniſſimus, scireq; ac meditari sępius id, q̃ vulgo dicitur: nihil dare, nihil alteri de suo conferre, nihil publice priuatimue impertiri, omnino abiecti ac degenerantis esse animi. Ac constat ex historijs, auaritiam principũ vt plurimum certiſſimam ipsorum interitus fuisse causam. Ostendit id exemplo suo Persa, vltimus Macedonũ rex, à Paulo Æmilio superatus ac captus. Nam à reliquis militibus desertus paulo antequam caperetur, magnarũ promiſſionum spe paucos quosdam Cretenses secum retinuit: promiſſorum pignus fuere data aliquot aurea vasa. Cum autem Cretensium præsidio in tuta se loca recepisset: pollicitus se pecuniã daturum, vasa à Cretensibus recepit, & cum vasis pecuniam quoq; retinuit. Itaq; ab ipsis etiam Creten-

sibus destitutus, cum nullo alio quam auro comite in Samothraciam profugisset, ab Æmilio captus, Romam in triumphum, quemadmodum tanta auaritia dignum erat, perductus fuit. Nam cum in bello pluris aurum quam homines fecisset, tãdem experiẽdo cognouit, aurum se, quia homines, quibus aurum defenderet, non habebat, vna cum libertate ac regno amisisse. Idem accidit filio Tygranis, regis Armeniæ. Cum enim Tigranem Pompeius deuicisset, & is ab eodem Pompeio in regnis, quæ ante possidebat, restitutis, in Romana castra ad salutandum Pompeium venisset, maiore natu filiorum prosequente, à toto exercitu amanter exceptus, & à Pompeio cœnæ honore dignatus, post epulas Pompeio totique exercitui ingentia munera contulit. Cum autem postea filius quoq; inuitatus esset, respondente eo, se tanti cœnam emere nolle. Indignatus Pompeius custodiri eum iussit, ac Romam in triumphũ duxit. Nam patre eius ob liberalitatem in regnis relicto auarum filiũ, qui abiecto erat animo, vna cum regno libertate quoque priuauit. Ridiculũ est quod de auaro quodã legit, qui cũ particula hordei singulis ab equis clam subducere è præsepibus consueuisset, secreto quodam aditu ad stabulũ à se facto, tandẽ à magistro stabuli pro fure deprehensus, in tenebris digne vapulauit.

Neq; tamen hæc eo à me dicuntur, q̃ statuam, heroicum esse, abligurièdo omnia dissipare; quinimo non tantum desipientis aut potius dementis; verumetiam flagitiosi hominis esse dico. Tametsi autẽ Aristoteles putat, tyrannos ac reges prodigos minime dicendos, quod tam multa possideant, vt dan-

dandis vel vtendis illis vix abijcere modū valeant; q̄ quidem, vt ipſe putat, non eſt facile ſatis. Tamen ipſi ſcimus, Alphonſum, Neapolitanorum regem, licet plurimis & populis & nationibus imperaret, ac pace ocioq; permulto frueretur, faciendis tamē ingentiſſimis ſumtibus, edendis magnificētiſſimis ludis, ſpectaculisq; & omnis generis rerū effuſionibus eo proceſſiſſe, vt conflato ingenti ære alieno, cum ſatisfacere creditoribus nequiret, tandem decoxerit, ac dolore iraq; permotus, regij cenſus miniſtros plerosq; mulctę nomine, pene bonis omnibus ſpoliauerit. Domitiū Neronē Auguſtum ſumtus īmoderatiſſimi quo redegerint, cui eſt ignotū? Quocirca opulentiſſimi etiā reges, dum p̄fundunt ſua, dum nullam facultatum rationem habent, ipſi quoq; eo deuenire, quanq̄ minus ſæpe, aliquando tñ ſolēt, vt exinanito ærario rei familiaris anguſtijs preſſi, atq; ad rapinas cōuerſi, ad tyrannidem dilabantur, cuius rei maximū exemplū Nero, de quo paulo ante dixi, præbuit. L. Commodus, Antonini Auguſti filius, erga alios quanquā parciſſim⁹, luxuriæ tñ immoderatiſſimus ſumtib. ſeq; ærariumq; ita exhauſit, vt deficiente pecunia, quo itinerarium ęs exigeret, in Africā ſe ad conſtituendā prouinciam transmiſſurū finxerit. Alphōſus rex, vt magnā auri ſummā à ſacerdotib. exigeret, traiecturum ſe eum exercitu in Græciam aduerſus Turcas ſolēni voto, facta etiam re diuina, publicę profeſſus eſt. Vides quo imperatoris optimi atq; opulentiſſimi filium, quo regem præſtantiſſimū effuſio cōpulerit? Turpiſſimū eſt omnino fallere, in regib. vero lōge turpius, p̄ſertim q̄ſtus gratia. Idē hic Alphōſus, quan-

quam esset, vt dixi, profusior, huiusmodi tamẽ homines cisternæ rimosæ persimiles dicebat, quas vt nullus impleret imber, sic hos nulli, quãuis magni ꝓuentus rerumq; cõpendia, exatiarẽt, fieriq; ꝓpterea vt haud multo post dissipando exhausti egerẽt.

In quibus illa vehementer sunt reprehendenda, ꝙ in homines indignos, in ministros fœdissimarũ voluptatũ, in adulatores, in mimos, in contaminatissimos quosq; sua congerant, ab honestis ac ꝓbis viris manum subtrahentes, eos autem diuitijs honestantes, qui diuitijs minime digni iudicentur. Quocirca familiaritates flagitiosorũ hominũ sibi adiungunt, quibus etiã sese totos dedunt, voluptatibus capti atq; assentationib. deliniti. Varius Augustus, qui Heliogabalus dictus est, quemque vt omniũ effusissimũ; sic etiam inquinatissimum iure possumus dicere, libidinũ suarũ ministros in senatum legit, sine vlla ætatis ratione, quasi parũ esset, honores ipsos ac magistratus vendere; at quam ob causam, vt haberet vnde anserũ iecinoribus canes, phasianis ac psittacis leones pasceret, vt in lucernis balsamũ ad lumen nocturnũ intingeret; qui cum è familiarib. quidam ei diceret, Quid malum, nonne paupertatẽ exhorrescis? Atqui, inquit, quid melius, quã vt ipse mihi hæres sim meæq; vxori. Eiusmodi igitur homines, ni in ipso cursu habenas cõtineant, breui in præceps delati, multisq; simul vitijs obruti, pessum eant necesse est,

Cum igitur neq; auaritia, quippe quæ abiectum atq; effractum, neq; prodigalitas, quæ dissolutum animum arguit, in virũ principem cadere debeat, restat vt liberalis viri nomen insectetur, cum enim

libe-

liberalitati maiores noſtri nomen inde fecerint, q̃ libero homine maxime digna eſſet, quodq; ij, qui ea vterentur, potiſſimũ libere agerent, (cũ pecunię ſeruire auaros putarent) liberalitatẽ viro principe maxime dignã eſſe per ſe liquet. Liberalis autẽ viri nomẽ aſſequetur, ſi in pecunijs adipiſcẽdis ijsdemq; dandis & cõferendis cũ delectu modũ adhibuerit. In quibus etiam erogandis, vt prodeſſe quamplurimis ſtudebit, ſic in comparandis nocere nemini, nec à recto honeſtoque recedere. Itaque & capiet ipſe quidem & emolumenta quæret, fortunasque ſuas non negliget, nec per incuriam perire patietur. Idem quoque libenter admodum de ſuo tribuet, atque hæc omnia cum delectu atq; menſura. Erit autem ita commodus alijs, vt iuſtitiam prudentiamq; retineat, ſine quibus liberalitas nulla eſt. Quæret igitur & capiet, & rem familiarem tuebitur, vt habeat vnde det. Quid enim dementius, quam quod libenter atq; honeſte facias, non id curare, vt diutius & erga plurimos poſſis facere. Quocirca & rei familiaris cõmodis operam dabit. Qua in re qui effuſi ſunt, peccant, dum ſua hinc per negligentiam, illinc per effuſionẽ perdunt, & in danda pecuniæ rebusque familiaribus opera honeſtatem ſequetur, quam auari plerunque aut cæci cupiditate non vident, aut præcipites calcant. Idem conferendis etiam muneribus promtus ac pronus erit, à quibus auari non modo abſtinent, ſed metu, ne ipſis deſit, minutiſſimis etiam ſumptibus faciendis animo deficiunt. Eum quoque in munerando delectum habebit, vt à recta ratione non declinet, à qua prodigi quam longiſſime aberrant.

Nam & quos minime oportet, & largiore quam oportet manu ꝑsæpe donis afficiunt, vt aut paruá aut nullam, interdum etiam parũ rectam, tum eorum quib. donant, tum ſuam ipſorum qui donant, rationẽ habeant. Etenim, vt dixi, liberalitatis fons exiccãd⁹ nõ eſt, & honeſtas vbiq; ipſa amplectẽda. Cumq; donãdi ratio eo ſpectet, vt quib. poſſit, & ſæpe & multũ ꝑſit, nõ eſt in alios ita ſin⁹ excutiẽdus, vt ſui ipſi⁹ imemor videatur, quin ſeq; ac ſua ſic colat, vt habeat, vnde ſubminiſtrare ac ꝑdeſſe alijs queat.

Cum autem liberalitas in danda pecunia mediocritas quędá ſit, adeoq; ſine delectu eſſe nequeat, (neq; n. retineri medium ipſum ſine recta ratione poteſt, è qua delectus manat) ꝓinde eiuſmodi erit delectus, vt & quid det, & quantũ etiá det, & cui & quando, atq; etiã quomodo & quam ob cauſam, diligenter conſideret, in quibus omnibus cum rectam rationem ſecutus fuerit, illud etiam videbit, ne à fine ipſo, qui liberalitati propoſitus eſſe debet, turpiter deflectat.

In habendo igitur delectu, quo vndiq; ſibi liberalitas conſtet, videre etiá atq; etiam oportet, cui det, in quo ne peccetur, & ſua ipſius & illius perſona conſideranda eſt: deinde quæ ſint illius merita, quæ expectatio, ꝙ ſequatur vitę genus, quib. delectetur, quæ etiam ætas. Itẽ, ſi ciuis, peregrinus, hoſpes, familiaris, propinqu⁹, vetus an nouus amicus, & talia quædam, quæ perſonæ ipſi videntur adiuncta, quæq; nulla ſunt ratione negligenda. Sic Marcus Aurelius ad paternum patrimonium cum ſorore diuidendum à matre vocatus, vniuerſum ſorori cõceſſit, auitis tantum bonis contentus, nõ ignora-

uit

uit virum se, illam vero & mulierem & sororē esse. Quid mirum, cum in imperio cōstitutus, nihil magis aut timuerit aut deprecatus sit, quam auaritiæ infamiam, quam vt deterrimum malum & imperij labem detestatus semper fuerit. Scipio is, cui postea Numantino fuit cognomen, integram Fabio fratri hæreditatem concessit. Agesilaus, quæ ex Agidis bonis delata ad se essent, cum intelligeret, cognatos suos inopia pressos, cuncta ex æquo cum illis diuidere maluit, licet iure ac ciuium iudicio ad se tantum peruenissent. Ælius Adrianus notum sibi olim in militia, cum scabie laborantem animaduertisset in via, corpusque ipsum parieti atterentem, quod seruum, à quo curaretur, nullum haberet, statim & seruis illum donauit, & ad victum necessaria ministrari iussit. Idem cum intelligeret quosdam, qui Romæ docuissent, propter ingraueſcentem ætatem muneri amplius satisfacere non posse, ætatis ac diuturnæ professionis ratione habita, eos diuitijs honoribusq; honestauit ac vacare vitæ reliquū iussit. fœminis etiam plurimis, vnde familiā honeste alerent, salaria cōstituit, nescias, liberaliusne an magis cōsiderate. Antoninus cognomento Pius, quos prouincijs profecissent, eos & locupletauit, & ornamentis consularib. donauit, rhetoribus ac philosophis non solum solaria, verū etiam honores ac prouincias decreuit. Huius quātum in delectu studium fuerit, quod nōnullis, quos otio abuti cerneret, salaria è publico pberi vetuerit, dicens, nihil esse iniquius, quam in eos Remp. beneficam esse, qui nihil ipsi in Rempublicam cōferrent laboris ac beneficij. Ob munificentiam & stu di-

ſtudium erga doctos non immerito etiam prædicatur Sigiſmundus imperator;& quod literatos reliquis, qui generis claritate duntaxat nitebantur, prætulerit. Interrogatus aliquando à principibus, qui literas oderãt,cur homines obſcuro genere natos,ob literarum commendationem tanti faceret? grauiter reſpondit, ſe iure illos colere, qui cæteris ſingulari dono diuino antecederẽt;illos à ſolo Deo poſſe creari,verum in ſua poteſtate eſſe,vt titulis& prædijs nobiles faciat, quoscunq; velit. Alexander Seuerus non modo literatorum genus omne,verũ etiam aruſpices, architectos, & in quocunq; ingenij aliquid eluceſceret,ſtipendijs proſecutus eſt, Amicos autem & quos bene de ſe meritos intelligeret,etiam ad petendum inuitabat. Quid eſt,inquiens, quod nihil petis? an me tibi vis fieri debitorẽ? pete, ne ſit quod priuatus de me querare. Non ſolum autẽ deligebat, aduerſum quos liberalis eſſet, ſed etiam prouocabat,quos liberalitate ſua dignos putaſſet. Probus Auguſtus eum ſe erga tribunos, centuriones, milites geſſit, vt in plurimis victorijs, præter tela & arma, nihil ſibi è præda retineret, quam inter milites partiebatur. Quid enim turpius, quam imperatorem ipſum in partienda præda, ſocium ſe militum ſuorum facere? cui præter gloriam nihil aliud è bello reportandum videatur.

Porro peccari hac in parte duplici modo ſolet: vno, ſi nec dantis nec accipientis ratio habeatur altero, ſi in improbos & minime dignos benignitas exerceatur. Quocirca ſapientiſſime ab Alexandro Seuero dictum eſt, Malum pupillum eſſe imperatorem, qui ex viſceribus prouincialium homi-

nes

ties nec necessarios nec Reipubl. vtiles pasceret. Hæc igitur prima lex in exercēda liberalitate teneatur, vt proborum improborumve delectus habeatur, neque enim aliter recta ratio teneri potest.

Cæterum iam secundo loco, Quid detur, considerandum est, cuius rei quem aut meliorem aut maiorem magistrum adhibere in consilium possumus, quam eundem hūc Alexandrum, qui honesto loco natos, & magistratibus atq; honoribus functos, quos inopia rei familiaris laborare intelligebat, dum tamen neq; per luxū patrimonia absumsissent, neq; inopiam simularēt: alios alijs cōmodis, agris, seruis, armentis, vt quem egere intellexisset, iuuabat. Quinetiam magnificas domos à se extructas, integris atq; incorruptis viris, amicitia secum iunctis donabat: vt non modo quid daret, sed quib. etiam daret, exacte adeo pensitare visus sit, vt histrionibus atq; in scena se exercentibus, nihil aureum aut argenteum, quin perraro numos dederit. Non commendamus Opilium Macrinum, qui in tribuenda annona, cum esset largissimus, auri tamen parcissimus foret. Illud reprehendi iure nequit, quod auri atque annonæ delectum haberet. Quo circa tum principes vrbis, tum ipsi Augusti hanc rationem secuti, militi donatiuum, populo congiariū dabāt. Aurelianus Augustus tunicas viritim per populū distribuit, lineas etiā vestes. Quinetiam cum frumentum, oleū & porcina congiarij nomine dari tantum consueuisset, vinū etiam dandum decreuit. Cimon Athenienſis amoueri ex agris suis septa atq; vacerras iussit, quo poma fruges que ijs qui egerent, ciuib. ac peregrinis, legere liberior

rior facultas esset. Quinetiam si quem natu grandiorem, qui secum congrederetur, sordide ob paupertatem indutum cerneret nouis statim vestibus donabat. Alexander Philippi filius in Asiam profecturus, non ante nauem ascendit, quam rebus amicorum egregie pensitatis, vt enim cuiq; commodius visum est, alij villam, alij prædia, quibusdam portoria, aut annuos è domibus prouentus dono dedit. Ecce, quam exacte, quid cuiq; darent, & hic & illi dimensi sunt. Quocirca diligenter videndum est, vt quæ dono dantur, & dante & accipiente digna sint. Neq; enim aut grammatico cataphractus equus, aut militi argento intectus Homerus cõuenit. Neq; qui dat ignorare seipsum debet.

Præterea, & tertio, consequens etiam est videre, Quantum dare, & cui datur, accipere satis sit, in neutro enim peccandum est. Rogarat Alexandrũ magnum aliquando Perillus, vt se ad parandam filiæ dotem iuuaret. Cui cum Alexander quinquaginta dari talenta iussisset: & Perillus, decem sibi satis esse dixisset; Alexander respondit, quanquam tibi, qui ea acceptturus es, decem satis sint, mihi à quo dantur, ea non sufficiunt. Magno enim liberaliq; animo non tam honesti amici necessitatem, quam fortunæ suæ vires metiri voluit. Idem cum dispensatori mandasset vt Anaxarcho, philosopho daret, quantum popposcisset, petijsset autem postea centum talenta: veritus dispensator tantam summam dare, nisi id ante regi significasset, & propterea ei Anaxarchi postulatum declarasset: respondit Alexander, Anaxarchum nosse eum se habere amicum, qui hanc summam & longe etiam maiorem

rem dare & posset & vellet. Idem superato Dario, cum in itinere videret Macedonem agasonem, qui mulum defessum auro onustum agebat, à mulo in humeros suos sarcinam transtulisse, verentem quia Alexandri aurum illuderat, ne eo amisso quoque vitam perderet; & tamen ipsum quoq; agasonem sub onere, quod ingens erat, deficientem, vltra progredi non posse; agasoni vicinior factus dixit: Vt tibi hic labor minus grauis sit, in tabernaculum tuum hoc aurum deferes, quia iam hac hora tuum esse iubeo. Hoc non multum fortasse Alexandro, at mulioni multo nimium fuit. Alfonsus è nauicula in mare prolapsus, beneficio remigis liberatus est. Huic meriti gratia quotannis, dum viueret, duodecim vncias pendendas ex ærario statuit. Satis hoc remigi, parum tamen regi, tale præsertim ob meritum, cum nullam ei præsentem pecuniam numerari tum iussisset, ac sæpenumero etiam ob leuissimas causas atque alijs magnam pendi imperasset. Igitur, vt mensura retineatur, sine qua actiones nostræ rectæ esse nequeunt, quanta & dantem & accipientem summa decet, exacte pensitandum est; præstat tamen de linea aliquantulum excedere.

Cum autem sine tempore fiat nihil, quarto tempus quoq; vti cæteris in rebus, sic hac in re seruandũ est, qua ratione & munera ipsa gratiora sunt, & voluntas dandi maior quodammodo propensiorq; videtur, cũ maiore etiam accipientis vtilitate. Põpeius Atticus fugientẽ è patria Ciceronẽ, sestertijs ducẽtis & quadraginta millib. donauit. Cedenti Italia Bruto, sestertia centũ millia muneri misit. In

Epiro

Digitized by Google

Epiro agenti ſeſtertia trecẽta numerari abſens iuſſit; familiares quoſdã Marci Antonij ex vrbe profugientes, quibus rebus egere intelligebat, ſponte iuuit. Nam in P. Volumnium tam multa contulit, vt plura proficiſci à parente non potuerint. Antoninus Pius cum fame plures Italiæ vrbes laborarẽt, frumento comportando ex vrbe ſubuenit. Non minore cura Adrianus, cum intellexiſſet, populos quoſdam peſtilentia affligi, tempus ipſum hæc omnia maiora gratioraque reddidit. Quinetiam à principibus ciuitatum & à regibus ſeruari illud ſolet, vt ſolemnibus quibuſdam feſtisq; diebus liberalitatem publice exerceant; adeo temporibus obſeruandis decorum quoddam magis emicat.

Porro,& quinto,in dando quoq; videndum eſt, ne quid in vultu,geſtu, verbis appareat,quod liberalitatẽ ipſam perinde ac labes aliqua inficiat. Vnũ illud Alexandri exemplum docere nos abunde poteſt,quid in vultu ipſo dantis, quid etiam in verbis poſitum ſit,vt magis magisq; gratificetur. Offerenti militi caput ab ſe truncati in pugna hoſtis; apud noſtros, inquit, aureũ poculum huiuſmodi virtuti ſolet eſſe præmium;quod te capere oportet; renidensq; ſtatim ſubditit: dẽ more quidem vacuum, aſt Alexander meri plenum illud tibi propinat. dubitem,gratiusne hoc militi,an poculum ipſum fuerit. Quocirca videndum eſt,ne qui accipit, triſtem datorem aut verbis minus gratis vtentem animaduertat. Ex ijs enim liberalitas ipſa gratiam, aut omnem, aut magna certe ex parte amittit.

Quanq̃ autẽ illa& prima &maxima cauſa eſſe debet,pdeſſe nimirũ,ac benefacere,&quidẽ gratuito ad-

ad hanc tamen causam & (sexto) aliæ quædam adiungendæ sunt, quæ principem liberalem, hominem esse, ac rerum humanarum memorem declarent, alienisque necessitatibus commoueri, & graues hominum casus miserari. M. Aurelius Antoninus labentibus vetustate oppidis auxilium tulit, tributa, vectigaliaque, vbi necessitas cogeret, remisit. Alexander Seuerus compluribus oppidis, quæ terræmotu corruissent, instaurandis ædificiis tum publicis tum priuatis, pecuniam è vectigalibus subministrari iussit. Quam honestiorem sequi causam potuere, quam vt in publica iactura publice benefacerent ciuibus? Liberalitati ac gloriæ Alphonsi regis plurimum detraxit, quod aliquot in Samnio oppidis terræmotu collapsis pene ad oppidanorum internecionem, iis, qui reliqui erãt, remissionem tributorum petentibus, ita respondent; an qui vita excesserant, cuncta secum sua detulissent, soluerent igitur tot bonorum hæredes relicti. Quanto præstantius Alexander Macedo, qui plurimos ære alieno circumuentos liberauit, ingenti summa creditoribus exoluta. Sic Tiberius II. imp. Græcus vtilem omnino ac piam rationem in dispensandis thesauris habuit. Is enim quicquid longa auaritia Iustin. II. antecessor ipsius in imperio congesserat, egentibus largitus, largissimas pauperibus erogauit eleemosynas. Cum vero ob eam liberalitatem à Sophia Augusta obiurgaretur: Confido, ait, in Domino, nec deerit pecunia fisco nostro, modo pauperes eleemosynas accipiant, & capriui redimantur. Magnus enim thesaurus stips pauperũ. Nam hi sunt thesauri illi nullis obnoxii

periculis, quos ipſe dominus colligere iubet. Veniamus ad priuatos ciues. Cimon Athenienſis, quos in foro inueniſſet, indigna egeſtate preſſos, iis ſtatim de pecuniis, quas ad manũ haberet, ſubueniebat. Anicetus Cyreneus captum ab Æginetis Platonem, pecunia ſua redemit, ac liberum cum honeſto comitatu remiſit in patriam. Ecce quã pię & honeſtæ cauſæ, quæq; ſummã præ ſe ferunt humanitatẽ. Quocirca maxime accuſandi videntur, qui in proſequendis hiſtrionibus & donandis ſcurris multi ſunt, qui non ſolũ in eo peccãt, quod quibus minime cõuenit, & ſupra quã decet, largos ſeſe exhibẽt, ſed quod cũ leui & paruũ honeſta cauſa moueantur; leues ſe & parum cõſideratos oſtendunt. Quo in genere horũ temporum ii maxime peccãt, qui in ornandis bonis ac de ſe benemeritis mirifice parcunt. Neq; tamẽ ii ſumus, qui nihil hiſtrionibus q; qui artes tractãt ludicras, conferendũ pro tẽpore ducamus, quãdoquidem & his interdũ delectarinõ dedecet, ſed ita quidẽ conferendũ, ne bonis ac benemeritis fiat iniuria, alliciãturq; alii ad id vitę genus infame, dũ turpiſſimas artes in pretio eſſe intęligunt. Sigiſmundus Auguſtus Burrã Hiſpanũ celebrem ſcurrã, quodam in conuiuio, argento onerauit adeo, vt ſub põdere iã deficeret; an cui mirũ videri debet, ſi Burra mercede tanta adductus è iuriſconſulto ad ſcurrã tranſierit? Nihil eſt autẽ homine dignius, quã hominũ calamitatibus moueri ac ſuccurrere, neq; aliud, in quo vberiorẽ ſibi gratiam cõparet benefaciendi ratio atq; voluntas: nã hominũ neceſſitates ridere, illisq; cũ poſſis, minime ſuccurrere, quid eſt aliud, quã hominẽ exuere, ac ferarũ induere immanitatẽ? Quocirca factũ Se-

leuci

leuti regis vt impiũ, immane ac ferũ quis est qui nõ abominetur? Hic Demetrio à se capto, quãquã socero, petẽti tamen Tyrũ Sidonẽq;, in quib. agere vitã posset, cũ ipse ab Indo mari ad Syrię littora cũcta teneret, dare omnino recusauit, adeoq; inops animi, & supra quã dici potest, à misericordia alien⁹ fuit, vt maximo regi ingẽtib. fortunę malis pstrato, socero deniq; intra latissimos regni sui fines vix angustũ hospitiũ cõcesserit. At cõtra, quis nõ piũ Antigoni factũ & memoratu dignũ, summis etiã laudib. efferat? qui Aleyoneũ filiũ Pyrrhi ad se caput deferentẽ, baculo percussit à se rececerit, vt barbarũ vt pollutũ inclamans, quodq; aspectu ipso fœdari nollet, chlamydem ante oculos obduxit, miserabilẽq; Pyrrhi, quanquã hostis, mortẽ multis lacrymis prosecutus est. Antigoni etiam aui ac Demetrii de quo dictũ est, patris miseriarũ inter lacrymandum recordatus. Ne quis autẽ pietatẽ hanũ fictã putaret, Helenũ Pyrrhi filiũ multa humanitate cõplexus, in Epirum remisit. Hæ igitur causæ, vt honestæ, vt pię, vt perhumanæ, quoties ad vtendã liberalitatẽ mouere videbũtur, mirũ est quantã cõmendationẽ pariant. Populo Neapolitano magis magisq; acceptum fecit Alfonsum, quod in virgines, quæ Deo initiarentur, liberalis esset, pecunia templis oblata, quam virginibus dotis nomine dari mos esset.

Cũ itaq; ex his quæ iã dicta sunt liquido appareat, liberalitatẽ ad gloriã comparandã & totius generis ornamentũ cõsequendũ principi apprime esse necessariã, multosq; ad regni fastigiũ hac virtute peruenisse, sine qua neq; suas opes firmare, neque gloriam vllam consequi quisquam potest, neque vlla est virtus, quæ maiores amicitias & studia malora

pariat atque conseruet ; proinde id maxime sibi propositum habebit, siquidem amplissimum dignitatis nomen obtinere contendit, vt dando, largiendo amplissimisque beneficiis complures afficiendo sibi deuinciat. Ne autem longius excrescat oratio, finem huic primo libro imponemus, reliqua, quę de liberalitate nosse pareſt, in caput quartum libri secundi transferentes, vbi copiosius de hac, vt & de aliis virtutibus principi necessariis, agemus.

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De prudentia & mediis ad eam necessariis.

AGAMVS nunc de iis, quæ principi ad conciliandam auctoritatem prosunt: At eiusmodi duo potissimum sunt: Prudentia nimirum & fortitudo. Hæ sunt tanquam immotæ sublicæ, quibus merito omnis politia debet esse suffulta. Prudentia principi est oculorum vice: sine quibus nulla re apte defungeretur. Consiliis prudentia, at viribus fortitudo armat. Prudẽtiæ est imperare, fortitudinis vero imperata facere. Prudentiæ est res arduas & periculosas gubernare, at fortitudinis illas discutere. Prudentia res disponit: hæc vero perficit. Ingenium acuit prudentia

dentia: at fortitudo fortium animos reddit erectiores.

Huc referri potest Emblema XIII. quod doctissimus vir Adrianus Iunius in suo eleganti libello emblematum inseruit. Ibi enim depingitur geminum Mercurii simulacrum, alterum iuuenta florentis; alterum maturo senio venerandi. Quo veteres, vt ipse explicat, innuere voluerunt, eum, qui recte Rempublicam aut regnum sit administraturus, coniunctam cum prudentia fortitudinem habere debere, quasi alterum inutile sit absque alterius ope. Ideoque inscriptio rectissime conuenit: PRVDENTIA CVM ROBORE CONIVNCTA.

Vegetius astruit; nihil magis principem decere, quam vt intelligentia & rerum peritia omnibus præstet, Vtile sane illud & commodum principi, cum etiam plura negocia incumbant. Tam autem inprimis illi necessarium quam vtile est tenere omnia, quibus ad interiorem perturbati animi, motumque cognitionem ducatur; de quibus pleniſſime agit philosophia moralis: vt & ea, quæ prosunt ad administrandum Resp. de quo similiter libri de politiis confecti legendi sunt. Occupata enim est philosophia moralis in affectibus, sine quibus nemo viuere potest, cognoscendis. Politica autem scripta docent, affectus & perturbationes vna cum suis effectibus, quos in regendis subditis sæpissime exerunt, apte regere, eosque nunc coërcere nunc laxare, prout in rem præsentem visum est.

Principis est bella mota gerere: adeoque etiam rei militaris peritia esse insigne. Exploratum itaq;

habeat, qualis debeat esse dux belli: quid militem deceat, quomodo dele tus sit habendus, & si quæ sunt alia. Neque plane alienus sit à scientia eorum, quæ faciunt pro administranda re militari: nimirum Geometriæ, Architecturæ, omniumque quæ ad alia mechanica requiruntur. Hac peritia præ cæteris claruit Iulius Cæsar.

Hæc autem non ita intelligi debent, quasi princeps his nō secus vt alius opificum incumbere debeat. Eatenus autem habeat illarum rerum intelligentiā, & eatenus in iis versetur, qua nihil admittatur contra decorū, nimirū, vt ab iniusto iustum, à malo bonū, & ex multis optimū secernere ac sequi possit. Indignū itaq; est principis persona, velle pōtes conficere, tormēta fundere, puluerē bombardarū terere, aut in extruēdis munitionib. ipsummet occupari: dignissimū autem, si artifices, qui prædictas aliasue artes se tenere profitentur, prudenter adhibere norit. Cum autē eloquētia inter eas artes numeretur, quæ merito semper in Rep. plurimū dominatæ sunt, & sine quib. ciuilis status nō potest diu permanere, adeoq; eloquentiæ magnitudine ingentem sæpissime gloriā multi sint consecuti; omnino decet principē etiā hac arte esse instructū. Quando vero nec eloquentia consistere, nec quidquam efficere potest sine cognitione rerū naturalium, ex quibus artificiosarū rerū fundamenta petenda sunt: necesse profecto principes & reges habent in illis ita esse versatos, vt suum quoq; iudiciū, si res postulet, prudenter & apte in illis interponere queant. Laudabilis enim intelligentia & notitia de vniuerso hoc pulcherrimo, omnibusq; quę in eo

conti-

continentur, natura, motu cœli, proprietatibus, quæ insunt corporibus & simplicibus: de generatione & corruptione: facultatibus, partibus & essẽtia animę, efficacitate herbarum, plantis, lapidibus, metallis: de naturis animalium, de ortu imperfecte mixtorum, qualia sunt pluuiæ, nebula, grando, tonitru, fulmen, fulgetrum, nix, Iris: origo fontium, fluuiorum, lacuum, terręmotus, de reciprocatione, id est accessu & recessu maris. Horum, inquam, notitia reficit animi vires, excitat ad sublimiora, acuit mentem, perpolit rationem.

Hinc primordia sumit doctrina de administranda Rep. hinc existit magnanimitas rerum gerundarum: vt videre est in Alexandro Magno. Hinc illa dea Suada eloquentia: in quem modum de Pericle extat; dubium enim, an magis fulminarit & tonuerit, quam perorarit: Constat tamen eius eloquentia vniuersam Græciam quasi præstigiis fascinatam, populumque ad eiusmodi, quibus maxime refragaretur, persuasum. Præstantissimus autem hic orator auream hanc eloquentiam non ab oratoribus, sed optimis philosophis, qui tum temporis florebant, hausit.

Tanta vero ediscendarum rerum multitudo bonum principem non absterrebit. Ne desperet neque de ingenii facultate, neque de tempore. Quæ enim in hominem priuatum difficulter, aut sane nunquam caderent, ea à principe citra laborem facili brachio confici possunt.

Ac multa quidẽ sunt, in quibus principi ad cõparandam eruditionem permultum situ est: sed plurimũ sibi vendicant conuersationes virorũ, quorũ

eruditionis ſplendor famæque integritas paſſim nota eſt. Tales ſunt mathematici, philoſophi, duces, præſidiarii, oratores & alii; quorum opera & ſtudio in menſa idque breuiſſimo tempore plus proficit, quam multis menſibus in ſcholis aſſequi potuiſſet. His ſemper aliquam conferendi & disceptandi materiem proponet, ſiue id fiat equitando, ſiue inambulando, ſiue alia quauis arrepta occaſione. His exercitationibus ita acuet & præparabit eos, vt nunquam accedere audeãt niſi inſtructi & parati: quid quod mutua æmulatione de palma decertando optima & vtiliſſima quæque in mediũ afferre enitentur?

Qui itaque principes tempus (quod plerique hominibus nauci, rudibus, preſtigiatoribus & morionibus fallunt) in tam nobili ſtudio poſituri ſunt, næ ii exiguo temporis curſu doctrinas nobiliſſimas, quas ſcire permultum prodeſt & ad exacuendum ingenium, & ad regendum ſubditos, memoriæ infigent. Ecquis fuit occupatior laboribusque vnquam diſtrictior quam Alexander Magnus, & Iulius Cæſar? iidem tamen nunquam à bonis literis refugerunt, pari pretio calamum & haſtam habentes. Carolus Magnus nullum tempus à negotiis vnquam habuit vacuum. Quid vero interea? nihilominus virorum, qui artes, quarum ille ſtudio ducebatur, profitebantur, auditor fuit ſtudioſiſſimus.

Idem in Carolum Sapientem regem Galliæ quadrat. Eius enim amor erga literatos, aſſiduitas in euoluendis ſacris, dicẽdo vix exprimi poteſt. Quid dicam Alphonſum X. Caſtiliæ regem, qui inter ſum-

ſumos labores, ſtudiaq; plurima, ſacras literas vna cum commentarijs, quadragies relegit? Quid Alfonſum I. regem Neapolitanum, qui omnium regum occupatiſſimus, dicere ſolebat, indoctum regem eſſe coronato aſino ſimilimum. Ea autem tam diligenti artium cultura aulam ſuam omnesque imperij fines omnium rerum & doctrinarum peritiſſimis viris repleuit. Similiter huic fecit Franciſcus I. rex Galliæ.

Laudabilem illum imperatorẽ Traianum nihil veritum, quo minus à Plutarcho p̃ceptiones de imperio laudabiliter & vtiliter adminiſtrãdo, earũq; veritatẽ per exẽpla inſigniora cõprobata peteret, opus ſibi illud gratiſſimum fore aſſerentẽ legimus.

CAPVT II.

Quod principi conueniat tam veteres quam recentiores hiſtorias memoria tenere, & quomodo eas ediſcat.

PRVDENTIÆ & adminiſtrationi rerum politicarum ſupremam perfectionis manum addit experientia; quã iure optimo illarum matrẽ appellare licet. Multa, n. de quibus in dicaſterijs otioſi conſultant, videntur ſapientiſſime definita eſſe; cum tamen in opus deducenda ſecius habeant. Multa videntur confectu facilia, eadem tamen facilitate euentui nõ reſpondentia. Aut enim plane contrarium euenit, aut impoſſibilitatem ſero arguit.

Habemus autem experientiam duobus modis: aut ipſi, ſine adiumento aliorum: aut ex alijs tantũ. Primus modus arctiſſima regione tenetur, ratio-

ne tum loci tum temporis. Nemo enim duobus locis simul esse, neq; pluribus eodem tempore intentus esse potest. Est itaq; vt ex omnibus, de quibus experientia certior factus est, meliora ceu succum in prudentiæ vtilitatem desumat.

Quæ vero experientia aliorum beneficio haberi potest, similiter duplici ratione cõtingit: Aut enim ex viuis aut ex mortuis. Quæ ex viuis contingit, quamuis ratione temporis adeo magna non sit; multas tamen regiones multaq; loca complecti & cognoscere potest. Legati enim, exploratores, negotiatores, mercatores, milites & alii, qui aut voluptatis aut negotiandi causa multa loca peragrarũt, casibusq; interfuere plurimis, de variis & ad institutũ ac munus nostrũ vtilissimis nos erudire possunt.

Plura tamen docent mortui: qui historias & res suo tempore gestas scriptis mandarunt. In iis tanquã in synopsi ob oculos ponũtur, totius humanæ vitæ curriculũ, terræq; climata sigillatim. Sũt profecto historiæ tanquã amplissimum theatrũ, quale quis animo vix conciperet. Hic aliorũ sumtu accõmodatissima quæq; decerpere licet: naufragia spectare sine horrore: bella sine periculo: populorum mores, bonasq; politiarũ cõstitutiones sine labore & sumtu. Hic oculariter quasi exhibentur reuolutiones, id est, primordia, media & termini, causęq; quibus accreuerint & decreuerint, imperiorũ, regnorum & dominatuum. Hic certa adferuntur argumenta, quamobrem hic pace, alter armis gubernarit: quamobrem his pax, illis bella ad honorum fastigia inseruierint: quãobrẽ hi sumtu incredibili nihil, illi minore at legitimo plurima perfecerint.

Tanta

Tanta vtilitas hiſtoriis ineſt, vt Lucullus bello Mithridatico præfectus nullo præterea comitãte magiſtro ex ſcriptis hiſtoriis, in itinere diurna nocturnaq; manu ab eo verſatis, maximam diſciplinę miljtaris periciam aſſequeretur, adeo vt tum facile vinceret omnes bellorum duces. Et vt ad recentiora exempla tranſeam, Mahometes II. imperator Turcicus, primus eorũ, quos magnos Turcas nominarunt, nunquã in conſpectum hominũ venit ſine antiquo hiſtoriographo, quẽ in manib. geſtabat. Selymus I. ardentiſſimo ſtudio Alexandri Magni & Iulii Cæſaris res geſtas legendi tenebatur; Hinc etiam motus eorum hiſtorias in Turcicam linguam trãsferri curauit: quibus etiam & feruore animi & celeritate expediendi non fuit abſimilis.

Huc etiam referri poteſt poëſis. Scriptum extat de Alexandro Magno, quod Homeri poemata magna cum voluptate ſæpius relegerit. Pleraq; quidẽ poetarũ fictitia ſunt cõmenta: ita tamen adũbrata, depicta, viuisq; coloribus expreſſa, vt animos legẽtium ad imitanda ſuorum heroũ facta inflammẽt, atq; vt quã proxime ad eorum facinora accedant, commoueant. Sic de Ferdinando duce Peſcerenſi proditum eſt, ipſum in iuuentute ſua hiſtorias Romanorum lectitantem tanto deſiderio ad gloriam adipiſcendam exarſiſſe, vt celeberrimus poſtea dux belli euaderet, id quod omnibus conſtat.

Sermo autẽ mihi eſt de ſolis illis poëtis, qui Heroici vel Lyrici nominantur: qui verbis ſonantibus & plenis venuſtoq; carmine heroũ fortitudinẽ cecinere, eorũq; laudes ad ſydera vſq; euexere. De quorũ grege ſunt Homerus, Pindarus, Vergilius. Quod reli-

reliquam poëtarum turbam attinet, non equidem laboro, siquidem impudicis & petulantibus carminibus diuinam versificandi artem Musasque poetarum præsides plus dehonestârunt, quam celebrarunt; vix eorum aliquem legeris, quin te ad effrænatam amoris libidinem aliaque flagitiorum genera abreptum iri persentiscas.

CAPVT III.

Quot modis principes subditorum ingenia, & naturam, præsertim ex habitu regionis, explorata habere queant.

AEQVE necessariũ ac vtile est bono principi nouisse subditorum ingenia & affectus. Hinc cũ petenda sint imperãdi rationes, à capite, quod aiũt, eas arcessam[a].

Tenendum est autem inprimis, naturam, proprietatẽ, & inclinationes hominũ pluribus modis deprehẽdi posse: nimirũ opportunitate loci, ætate, fortuna, educatione. Quoniã autem de institutione & educatione multi scripserunt, & Aristoteles in Rhetoricis suis de ætate & fortuna optime suo more disseruit, ob id illis sepositis de æstimãdis hominib. ex patrii soli ingenio, tãtũ hic disceptabim[b].

In quauis regione considerandũ est, vtrũ septentrionem an meridiem; vtrũ orientem an occidentem spectet; an sit plana, an montosa; an ventosa, necne; quẽadmodũ enim mediũ vbiq; celebratur, ita quoq; in præsenti negocio nõ est contẽnendũ.

Populi intra Boream & Austrũ interiacẽtes, mediũ frigoris & caloris tenent, adeoq; temperatiorẽ meliorem q; crasis constitutionem habẽt. Cæteris enim populis animo & intelligentia præstant, im-

periis

periisq; accõmodatissimi. Videmus enim maxima quæq; imperia eiusmodi populorũ fuisse: ceu Assyriorum, Medorũ, Persarum, Catainorũ, Turcarũ, Græcorum, Romanorũ, Gallorum, Hispanorum.

Septẽtrionales animosi fortesq; sunt: sed stupidiores. Cõtra vero versuti & vafri sunt meridionales, sed meticulosi & timidiores. Septentrionalium corpora respondent animis: sunt enim procera, crassa, succulenta, robusta. Meridionalia autẽ strigosa, macilẽta, fugę quã conflictui aptiora. Illi sunt simplices & aperti: hi malitiosi & insidiosi. Illis animus leoninus est: his mẽs vulpeculæ. Illi tardiores, fideles, constantes: hi impetuosi, leues. Illi hilares frontisq; exporrectæ: hi melancholici. Illi vino: hi Veneri indulgent.

Quibus vero medium inter vtrumq; obtigit, illi quoad gestus, sunt ciuiliores: quoad naturam, cauti, prudentes, non versuti nec fallaces, fortes, strenui, non furiosi & feri.

Hinc Septentrionales suo robore confisi aut aristocraticam habent Remp. aut monarchæ vel regi, quem sibiipsi elegerunt, parent. Exemplo sunt nostra tempestate Trãssyluani, Poloni, Dani, Sueci. Quamuis vero plerique Septentrionalium hæreditariis principatib. submissi sint: non tamẽ hoc inde fit, quod monarchiæ perfectione delectẽtur: sed potius quoniam monarchia cæteros dominatus ad se quasi allicere & attrahere facile potest.

Sic Galli, tametsi suo regi parent, nihilominus ab eo postulant, vt comiter & humaniter non secus atque à fratre tractentur. Quod cum facere recusat, illico audit: A page, facesse hinc.

Scoti

Scoti hactenus, quod fere incredibile est, centũ sex habuerunt reges: quorum tamen plurimos ipsi peremerunt. Angli gesserunt ciuilia bella, quoties reges nouitios demortuorum loco suffecerunt.

Populi meridionales, quod contemplationibus & meditationibus profundioribus intenti essent, facile imperii onera sustinuerunt, religione & idololatria commoti. Hinc existit astronomia. Hinc pharmaceutria. Hinc sacrificuli, gymnosophistæ, Brachmanni, magi in maximo semper fuerunt honore. Saracenicum imperium, cuius fundamẽta & fulcra sunt, idolorũ cult⁹ pernicios̃issimus, absurdę & impię leges, quas tamẽ è cœlo demissas amẽtissimi opinabantur, in Arabia primo exortum est.

Sciarissus, dum se eremitam iactat, adeo fascinauit simpliciores, vt rex Marocci & Fessæ salutaretur. Magnus Nego, quẽ alias Preter Ioannem nominant, hoc obtinuit à subditis suis, vt tantum non adorent, nullam enim corporis sui partem præter pedes conspiciendam præbet. Videmus etiã, qui in religione discrepantes fouerunt sententias, omniũ subtilissimos & acutissimos in Australib. regionib⁹ vixisse: cõtra autẽ meridionales stupidiores & simpliciores. Illorum quidã Iesu Christi saluatoris nostri diuinitatẽ, quidam humanitatem, quidã Spiritum sanctum à Filio procedere negarunt, alii alios fidei articulos impugnarunt. Hi vero spinosiorib. & sublimioribus cõtrouersiis emissis impugnarũt ieiunia, vigilias animarũ, pœnitentiæ ritum, aliaq; quibus caro domatur, qualia sunt, vagæ libidines & scorta sacerdotum, iurisdictio papæ, & similia.

Qui vero mediũ inter Austrum & Boream incolunt

colunt, ii medii in gubernando sunt seruantiores, iustitię nimirũ & sapientiæ. Hinc propriarũ legum iurisq; promulgatio, optimæ politiæ, artesq; & pace & bellis vtiles apud eos inuentæ sunt. Populi qui incolunt extrema versus meridiem & septentrionem, vbi intensissimum frigus & ęstus est, crassiores sunt & aliis insipientiores; corpore exigui, moribus agrestes. Illi enim præ frigore quasi rigent, hi feruore quasi enecti. Hinc ab altero phlegmatis prædominiũ acriorẽ sensum aufert, tanquã sine sensu fere obstupescat: alterum vero melancholia animali bruto fere similem reddit.

Quæ hactenus dicta sunt de populis eis æquinoctialem circulum habitantibus, eadem citra illũ degentibus applicari debent.

Orientales, qui ad Solis ortũ habitant, natura sunt beneuoli & tractabiles, liberali forma & pceri: occidentales autẽ sunt morosiores & inhumaniores.

Occidentales & meridionales, ceu sunt Hetrusci & Geneuates, sunt acris & subtilis ingenii, sed subdoli & versuti. Contra verò occidentales & septentrionales simpliciores & aperti.

Qui regiones ventis expositas incolunt, ii ventorũ naturam imitati impetuosi sunt & turbulẽti: qui verò aërẽ tranquillum & à vẽtis minus agitatũ habitant, ii plerunq; sunt cõpositi ad constitutionẽ aëris, tranquilli, mites & propositi tenaces.

Montosi sunt rudiores & ferociores, qui autem valles inhabitant, effœminati & delicatiores. Sterilis regio plerunque parit ingenia præstantiora, artificiosa, seuera, studiosa: fertilis autem voluptatis & otii clientes. Maris accolæ multa exercent commercia cum extraneis, adeoque magis

gis versuti, vafri, vbique suo commodo intenti. Seiunctiores autem à mari & fluuiis, aperti sunt & constantes, fideles, etiam partio facile contenti.

CAPVT IV.

Peculiares quædam commonefactiones ad prudentiam maxime necessariæ.

CERTO certius sit principi, non esse ex omnibus cõsilijs aliud vtilius, quam ne occasiones emolumentum aliquod insigne spondentes dimittat. Itaque non confidet in amicitijs: non in cognationibus: non in confœderationibus: alijsve, nisi cum singulari aliquo emolumento sint coniunctæ.

Omnibus malis principio vehementer obstet. Confusiones enim cum tempore pariter crescunt, & nisi mature impediantur, facile intalescunt.

Quod si mali exorti vis tanta sit: vt omnino retundi nequeat: deserenda est ad tempus. Tempus enim omnium rerum, earum denique naturæ vicissitudinem adfert, vnde vulgo dicitur, Annus nõ ager producit.

Non autem sunt omnino negligendæ paruæ confusionum scintillulæ. Omnis enim tranquillitatis & pacis perturbatio initio parua est, sed suis progressibus vsq; augetur, adeo vt tandem extremã minetur deuastationem: non secus atq; vapores & fumi, acie oculorum non animaduertente, sensim in sublime elati & congregati in densissimam tandem resoluuntur tempestatem.

Res ardnæ vno & eodem tempore non sunt accumulandæ neque perficiendæ: nam.

Pluribus intentis minor est ad singula sensus.

Regi

Regi itaque caute & prudenter acturo etiam atq; etiam opus est sub primis administrationis annis omni nouatione supersedere. Itaque poëta Ariostus regem Franciscum laudaturus eiusdē imprudentiam inconsiderate taxauit, vbi ita cecinit, in hanc sententiam: Franciscum nempe primo regiminis sui anno in Lombardiam profectum esse, regni corona capiti ipsius nondum valide firmata ac robore fulta.

Ladislaus Caroli III. regis Neapolitani filius, cū vix pedem patrio regno immisisset, mox ad regnū Vngaricum, quo accersitus erat, occupandum se conuertit. Commodum autem Zaram venerat, cū resciscet Vngaros animum mutasse, membra imperii conspirasse, & Sigismūdum regem Bohemiæ Vngarico regno præfeciſſe,

Vir sapiens interdum tempori concedit, eiq; seruit. Horrendis enim & procellosis tempestatibus commodissime resistitur cōtractis velis. Huius nō fuit alter obseruātior Philippo rege Macedonum. Hic enim primis imperii annis vndiq; se septum & inclusum hostibus videns non sine sui suorumque iactura magna expeditione contra illos facta, at pauco milite debellauit. Hoc facto erexit suorum animos, spiritusq; adauxit, hostibus autem certissima fortitudinis specimina edebat. Laudabilis est Venetorum prudentia, quod à Ludouico rege Vngariæ eiusq; confœderatis oppugnati cesserunt: sic enim se suaq; muniebant. Contra veto, cum regi Galliæ eiusq; confœderatis arma inferentibus cedere nollent, maximis periculis semet immersērūt.

Nihil magis reprehensionē in principe, qui sapiēs

videri vult, meretur, quã si rebus suis cœcę fortunę permissis securus agundorũ degit. Singularis & incõparabilis in hoc euitãdo imperatoris Tiberii fuit industria, de quo enim traditũ est: *Immotũ aduersus eos sermones fixumq; Tiberio fuit, nõ omittere caput rerum, neq; se in casum dare.* Nostra tẽpestate ex celeberrimis belli ducibus huc annumerari possunt, Prosper Columna, Ferdinandus Toletanus dux Albæ, Fabius Magnus, aliique. Plus tamen in hoc genere rex Hispaniæ Philippus excellit.

Subitæ & inopinatę mutationes caueri debent. Parũ enim felici euentu clauduntur: nõnunquam euentus respondet: admodum tamen mobilis & inconstans. Carolus Martellus regno Gallico inhians, nolebat sibi statim regium titulum attribui: principem se vocitans Gallicæ nobilitatis, cũ antea diceretur *Maior domus*. Hac humilitate filio suo strauit viã, qua deinde in regno patri succedere admodũ procliue erat. Ita Cæsares ex perpetuis magistratibus summi plebis tribuni: hinc principes: & demũ imperatores, vt nũc vocantur, cõstituti sunt.

Vbi de proposito deliberatũ est, mature facto opus est. Mora enim modo plures confusiones parit, modo pauciores: vere itaque dicitur,

Tolle moras: nocuit semper differre paratis.

Prisca nouis, tranquillitas perturbationi, semper præferenda sunt. Ita enim incertum certo, periculosum tuto postponitur. Meminerit etiã princeps identidem prçceptionis, quã Demetrius Phalereus Ptolomeo Philadelpho documẽti vice subiecerat, Plurima nimirũ in libris inueniri, quæ alius dicere ipsi non auderet.

Poten-

Digitized by Google

Potentiorem Remp. armis non inuadet, nisi certissima spe victoriæ proposita. Tantus enim amor libertatis est, tantasq; in animis, qui liberi aliquandiu vixerunt, egit radices, vt illas resecare sit difficile, extirpare difficilius, imo difficillimum. Decreta enim & senatus principum plerunque vna cum principibus occidunt & euanescunt: sed Rerumpfere perpetuo durant.

Omnino autem princeps à bonis ecclesiasticis abstinebit. Vix enim ac ne vix quidē, ni abstinuerit, sacrilegi nomē effugiet. Quicquid dicat, quicquid prætendat, magna tamen cum impietate eiusmodi sacrilegia coniuncta sunt, adeoq; ad ditandū fiscum nihil facient. Exemplo sint duces Mediolanenses, Florentini, reges Neapolitani, & deniq; Venetiani. Hi enim dū ecclesiis lites diuersimode intenderūt, conatu tamen irrito; magnam quidem opum vim pendentibus litibus impenderunt, fortunarumq; suarum iacturam passi sunt, rebus interim ecclesiæ florentibus. Et quamuis aliquando summi pontifices auctoritati ecclesiæ eiusq; iurib. vim inferūt; ab aliis tamen eorūdem successoribus vicissim restituūtur in integrum.

Cum vicinis & finitimis non est armis continuo confligendum, ne & illi armis assueti fiant pugnaciores. Agesilaus Lacedæmoniorum rex à Thebanis in prælio vulneratus audiuit minus suaue acroama, nimirum, tandem præmium ipsi obtigisse admodum dignum, quod assiduis bellis armorum vsum ipsos docuisset.

Iisdem strategematis capitalis Christianismi hostis aduersum Christianos principes vsus est.

Continua enim bella cum iis non geſſit: ſed paulatim modo hunc, modo illum aggreſſus eſt: nunc hanc munitionem, nunc illud imperium ſibi ſubiunxit. Ne autem & ipſi diſciplinæ militaris periti euaderẽt, induciis factis aliorſum exercitum ſuum abduxit. Neque tantum temporis indulſit noſtratibus, vt longo armorum vſu animoſi, alacriores & bellicis laboribus ſuſtinendis redderentur aptiores. Ditione, vrbe, aliave munitione occupata, de pacis conditionibus & induciis quamprimũ ſolicitauit. Neq; inutiles fuere ipſi eiuſmodi techne: Effecit enim, vt ſuus exercitus peritiſs: & veteranorũ militum flore excelleret: noſtratum vero tyronibus & inexercitatis conſtaret. Nunquam enim illi eſt immunitas ab armis: noſtri vero principes nihilominus, quam in armis vt eſſent, meditati ſunt. Ex his conſequitur rem longe ineptiorem cõmitti à principe, ſi ſuos ipſius ſubditos diuturno & cõtinuo bello affligat. Animi enim eorum exaſperati indies magis magisq; abalienantur. Tametſi enim primo aggreſſu cladem & damnum accipiãt, quod dolere & nocere poteſt: tacite tamen id deuorant, concoquunt, parturiunt & pernicioſiſſimum tandem enixi fœtum rebellione & ſeditionibus, principem deſpicatui habent. Hoc Sigiſmundus in Bohemico, at rex Hiſpaniæ in Belgico bello edoctus eſt. Non eſt enim populus tam fatuus tam vecors, vt ſua ſponte nulla adhuc dum iniuria laceſſitus contra principem inſurgat, ſiquidem perfidia & inobedientia nunquam ab ignominia, infamia & odio eſt ſeparata. At armis ſemel ſuſceptis, repagulisq; obediẽtię perruptis, metuq; iure expetiũdi poſi-

posito, certissimæ subsequuntur seditiones & factiones. Alexander Iudæorũ rex sex continuos annos bello infestauit subiectos, amplius quinquaginta millibus hominũ cæsis. Verum oleum & operã perditã nec euentũ votis respõsurum serius animaduertens cum demũ interrogaret, quo pacto sublato bello ad concordiã redacti coalescere queant? Responsũ satis insuaue accepit: Nõ nisi, inquiunt, morte tua. Hic tãdem animum ad media, quæ initio tentasse decebat, frustra applicabat.

Non est, vt princeps omni ex parte confidat pace, adeo vt vsum armorum plane velit intermittere. Quid enim pax inermis neque potentia septa?

Vero verius est, ad quoduis institutum plus momenti in conficiendi celeritate, quam in potentia situm esse. Celeritas enim improuiso obruit: potentia autem aut cautionibus aut defensionibus anteuerti potest. Celeritas hostium ordines interturbat & dissipat: potentia autem fundit & perdit. Quiuis autem nisi plane ab intelligentia sensuque disiunctus colligere potest, longe facilius esse vires ante dispersas & labefactatas, quam quæ bene & ordine adhuc constitutæ sunt, pessundare & deuastare.

Persuasum etiam sibi quiuis certo habeat in rebus arduis & sublimib. deliberandũ esse diu, quod semel statuendum est. Vehementia enim vi, at lenitas cunctãdo, iustitia & causæ bonitate freta, tẽporis progressu debilitat ac frangit. Minoris autẽ laboris est, rem iam dum labefactatam & quasi vndique perfossam humi deiicere: quam omnia simul & semel inuertere.

Instandum est omnibus modis, vt quæuis occasio, quæ instituto alicui accõmoda esse potest, captetur, nec elabi temere permittatur. Omnibus enim in rebus plurimũ habet momẽti temporis & opportunitatis obseruario, quã alias occasionẽ appellamus, quæ propriissime est cõueniens harmonia & tẽpestiuitas circumstantiarũ, quibus res gerundę leuãtur. Ea siquidẽ, nisi à fronte capillis prehendatur, vbi occiput prehensuro semel obuertit, calua inibi prehendentis manus excutit. Hac vigilantia, occasiones diligẽter obseruando, vsus fuit Philippus I. rex Macedoniæ, dũ ex discordia & dissensionibus Gręcię ciuitatũ occasione arrepta imperiũ suum mirũ in modum adauxit. Idẽ fecit Amurathes I. Imp. Turcicus, qui studiosissime tãquam è specula Gręcorũ simultates & intestina odia obseruãs, illarũ ductu quasi per gradus imperii sui Europæi fines incredibiliter extẽdit. Et vt summatim dicam; neq; vis neq; celeritas laudabilẽ sortitur euentum, nisi duce occasione gubernetur.

Ad imperii eiusq; membrorũ grauiora & arcana consilia nemo admittitor, qui extero & peregrino magistratui fauet. Nõ enim adducor vt credã, hunc fidelẽ & taciturnũ fore, q cũ alieno magistratu, cui officiis aut aliis quibusq; modis deuinct[a] est, colludit. Expediendorũ administratio siue executio ei, qui in cõsultationib. ea suis suffragiis probare noluit, nõ demandanda est. Quis enim contra mentẽ animiq; intentionẽ dextre aliquid expediat? Huius veritatẽ pugna ad Lepanthũ cum Ochialo, qui velitationẽ & cõflictũ dissuaserat, cõmissa, satis superq; testatum facit. Si quid facto opus est, mature deliberа;

bera: formā autē modūq; gerēdi negocii noli adeo ſtricte prēſcribere. Executio enim rerū deliberatarū, occaſioni, tempori & aliis circumſtantiis, quæ in quasuis horas mutantur inſeruire cogitur. Quod ſi executioni metam præfigere velis, nihilo plus ages, quam quod miniſtris turbatis omnia negocia intricabis & perplexa reddes. Non cōſultabit princeps, quomodo fugę ſe dando laborē ſubterfugiat, periculisq; ſe eximat, quin cōtra audētius ito, & remis velisq;, quod aiunt, cōtinuare conator. Fugientem enim hoſtis inſequitur, at reluctantem fugit. Caue plus cū nobilib. quā ignobilibus, aut cōtra, conuerſeris. Sic enim qui alioquin vtrisq; dominatur, diſpari illa cōuerſatione, alterutrius dūtaxat dominus cōſtituetur. Cui fidas vide, iis autē nunquā quos aliquādo offendiſti; imo nec iis quos à te læſos opinaris. Vindicta enim feruida eſt & potēs, quibusuis etiā minutiſſimis occaſiūculis intēta. Docent hoc exempla comitis Iuliani & Caroli Borbonēſis. Cū aulici illi, qui fere nunquā à latere principis diſcedūt, ſui ipſius emolumēti impendio ſint ſtudioſi; nō eſt committendū, vt abſentium, quorū cauſa maiores ſumtus faciēdi ſunt, quiq; plurib. negociis ſunt obſtricti, nulla ratio habeatur. Aduerſus multitudinē diſcrepantem â ſentētia principis, nihil violēter ex abrupto princeps attētabit aut ſtatuet, vt enim maxime multitudinis furorē violēta illa eruptione retundat, parū tamē obtinebit, quin potiꝰ oīum in ſe odia cōcitabit. Imitabitur ergo in huiuſmodi efferatæ multitudinis procellis boni naucleri ingenium, qui ventos, quos in puppi habet aduerſos, è latere intercipit; eodem modo princeps ſe ſponte &

libenter largiri ſimulabit, quod absq; aliqua labe adimere atq; impedire nequit.

Cæterum cũ ſub finẽ libri primi, nos hoc capite, de liberalitate prolixius acturos promiſerim⁹; itaq; iam porro proſequemur. Nam & hæc prudẽtiæ nomine continetur: nec quicquã ad beneuolentiam, & quod aptiſſimum eſt ad quiete viuendum, caritatem cõciliandam accommodatius eſt ipſa liberalitate, teſte Cic. lib. 2. de finib. Quo etiam reſpexiſſe videtur Alfonſus Siciliæ rex. Interrogatus enim, quid ſeruaret ſibi, qui tam multis tam multa donaret? Ea, inquit, ipſa quæ dono, cætera enim in meorum numero nõ habeo. Quo innuere voluit ſapientiſſimus rex, munera liberaliter in alios collata ſempiternam ſui memoriam apud eos, in quos collata ſunt, relinquere.

Porro liberalitas cum erga alios ſit, ea aut publice, aut priuatim, aut promiſcue in multos exercebitur. Si publice, aut erga vniuerſam ciuitatẽ prouinciamve, aut erga tribũ aliquam, quæ pars eſt ciuitatis. Huius exemplum eſt Cimon Atheniẽſis, qui ſingulis diebus domi menſam iubebat parari, in qua, quicunq; Laciadas eſſet, diſcumberet, volebat enim tribulibus ſuis domum ſemper patere. Illius egregium præbuit exemplũ Põponius Atticus, qui publicã Athenienſiũ inopiam ſuis ſumtib, ſæpe ſubleuauit. Hoc liberalitatis genere duobus vti modis poſſumus; aut numerãdo, vt cũ Alexander plurimos, qui ære alieno preſſi erãt, ingenti ſumma pro ijs ſoluta liberauit; aut, quæ debẽtur, remittẽdo debitorib. q̃ fecit Adrianus, qui aurum coronariũ Italię remiſit, prouincijs minu-

it,

Digitized by Google

it,multos etiam populos tributis leuauit. Nō minus etiā liberaliter Iulianus Augustus plurimis ciuitatib.debita lōga diuturnitate cōtracta cōdonauit.Quinetiam sua illis vectigalia restituit.Vtinam sint,qui nosse hæc nūc velint,nedū vt sequi curēt. Promiscue,in multos;vt cū Adrianus ingentē summam, quæ à priuatis debitorib. fisco debebatur in vrbe Italia, ,puincijsq; remisit,syngraphis etiam in foro D.Traiani patris incensis,ne vnquam ea summa posset repeti.Priuatim,erga singulos,siue ciues siue peregrinos,siue hospites;vndeHospitalitas dicta. Est autem nō modo priuatorum ciuiū, verum etiam vrbiū ipsarum summa laus, priuatas domos patere peregre venientibus. Quo in genere laudis L. Lucullus inprimis claruit, tum erga alios, tum erga Græcos summa hospitalitate vsus, vt Luculli domus Græcorum,Romam veniētium,quasi portus quidam esset. Quo genere liberalitatis qui vtuntur,quantopere laudādi sint,illud docet,quod maiores nostri hospitij iura sancta esse voluere; quodq; ad splendorem tum vrbium tum priuatorum ciuium iudicarent hoc non parum pertinere, in ædificandis domibus,illud imprimis videbant, vt hospitibus patere possent. Quocirca in hoc Alfonsi regis liberalitas & splendor mirum in modum videtur extollendus. Siquidem tum oratoribus populorum aut regum, tum claris viris ad se publico aut priuato nomine venientibus, & ædes exornari iubebat, & victū,quamdiu apud sese essent,lautissimum ministrari. Quinetiam nisi egregie à se donatos,abire nequaquam passus est,

De toto autem eo genere erogationis, quæ in

Deos pietatem prę ſe fert,illud principe loco dicẽdum videtur,finem quidem eſſe optimum,non tamen vt ſuperſtitio laudanda ſit.Muli etiam in ſubueniendis pauperibus ac mendicantibus, quæ erogatio Græce eſt ἐλεημοσύνη, peccant, dum auras inde aucupantur, facinoroſasque cogitationes ſuas, ac peruerſa conſilia, ſtipe in egenos conferenda occultare volunt.Itaq; quę laus eſſe poteſt,ad fictam aut inanem oſtentationem referre actiones ſuas? Nonnulli erogatione hac in Deos ipſos vtuntur, pecuniam, agros, fortunas vniuerſas,omnemque rem familiarem templis offerentes; quibus illud videndum eſt,nedum erga Deos pij videri volunt, iniuſti efficiantur,auferentes hominibus,quæ Dijs offerunt. Hoc enim quid eſt aliud, quã Deos ipſos auaros & iniuſtos exiſtimare?Inprimis autem Deo hominibusq;acceptũ liberalitatis genus exercent, qui aduerſus inopes & humana ope deſtitutas mulieres liberaliter agunt. Quid enim aut Deo poteſt eſſe acceptius quam imbecillum ſexum adiuuare? aut gratioris vtiliorisq; in ciuitate exempli, quam prohibere, ne quod vnum ac præcipuum mulieris bonũ eſt,pudicitia egeſtate expugnata diripiatur? Quocirca Romanus atq; Athenienſis populus,dici vix poteſt, quam grate, quam liberaliter fecerit, quam in publicam honeſtatem conſuluerit, cum alter Scipionis,alter Ariſtidis filiab.dotes è publico contulerit. Vrſus comes Nolanus ſingulis annis quibus Nolæ præfuit, ſatis bonam pecuniam puellis collocandis decreuerat,vnde & viuus maxime carus Nolanis fuit, & mortuus ab omnibus deſideratur. Proxima eſt, quæ in eos qui morbo ſimul & ino-

& inopia laborãt, cõfertur liberalitas. Quod enim beneficiũ maius, quam homini salutẽ pecunia sua procurare? quod illinc satis patet, quod & Romani tẽpla Saluti constituere, & Græci Ioui Soteri sacra publica faciebãt. Quin etiã T. Quintũ Flaminiũ, quod ab eo Græcię libertas restituta esset, Sotera in carminib. in sacrificiis, in põpis testabantur. Adolescentes quoq; quorũ augustiores sunt res, & in quib. ingenii vis & indoles aliqua ad virtutẽ prę lucet, pecuniis sustẽtare, vel inprimis cõmendandũ videtur. Quid enim vel priuatim beneficẽtius fieri potest, quã vadentẽ ad virtutes viatico suo iuuare? aut publice vtilius, quã sua pecunia suaq; opera id pręstare, ne naturę bona hominũ ope destituta pereãt? Alfonsus adolescẽtulos quosdã cũ intellexisset ob parentũ inopiã quib. cœperãt disciplinis cõtinuare operã non posse, eos in Galliã vlteriorem Parisios misit, pecunia statuta, quæ illis suo ex ærario suppeditaretur. Sic patrũ auorumq; nostrorum memoria clari quidã viri prędia ab se emta gymnasiis dedicauerũt, è quorũ fortunis paupertas adolescentiũ sustẽtaretur, qui philosophiæ aut ciuilis, iuris cognitioni operã darẽt. Nũ aut beneficentius aut vtili? excogitari liberalitatis genus potuit? Hoc autẽ quid est aliud, quã dare operã, vt multi semper sint, qui rerum ciuilium ac naturæ perscrutationi vacent? quam nolle pati ob ignorantiam rerum cognitione dignarum caligare res publicas?

Porro, cũ liberalis proprium sit, dare, idq; & rogatus & nõ rogatus faciat, quis dubitet, longe esse gratius, præuenire muneribus, quando & voluntarium magis videtur, excelsiorique ab ingenio pro-

proficiſci:&qui accipit,quod ex improuiſo aceipit, dantis voluntatem ac munus ipſum longe pluris facit,quodq; tanti ſe habere putet, vt etiamſi nihil petat,donis tamen ſe honeſtari ſentiat; hoc quoq; plurimum addit gratiæ. Cum autem alii naturali quodam pudore affecti, extrema quæq; parati ſint ſuſtinere,prius quam aliquid petere: alii ingenuitate quadã naturæ adducti, & palã & maiore quadam animi fiducia petant,nõ debet id committere liberalis, vt aut illorum expectet preces, aut dum hos ſatiat,in alios min⁹ vti liberalitate queat. Neq; enim liberalis eſt, in vnum, aut in pauciſſimos omnia congerere;nec iuſti,quæ multorũ ſunt commoda,in paucos ea conferre.

Quæ autem tum importune petentium,tum indignorum hominum ratio haberi debeat, prudẽtia monſtrabit.Nã improbe petentibus quis dubitet dandũ non eſſe? Donatellus Florentinus,ſtatuarius egregius,homuncio nõ inurbanus,cũ importune mendicãti ſtipẽ obtuliſſet, & ille diis acceptã diceret;tunc ipſe nõ diis,inquit, ſed tuæ importunitati,ne me efflagitãdo occideres. Craſſus ille dines vſus eſt præceptore Alexandro, à quo vt nihil ille vnquã petiit, ſic nihil ipſe Alexandro vnquam dono dedit. De quo quidẽ fertur, ſemel in itinere pileum cũ popoſciſſet,ex itinere reuerſum, ſtatim Craſſo reddidiſſe.Incõmoda ſane ac ſine vlla benignitate familiaritás. Alfonſus rex quã nouam induiſſet veſtẽ,ſtatim è familiarib. cuipiã deſtinabat, eamque haud multo poſt tradendã curabat. Quocirca verum nobis liberalitatis exemplum Adrianus præbuiſſe videtur, qui amicos, & quidem non

peten-

petentes locupletauerit, & petẽtibus minime negauerit. Vbiq; tamen ſuus habendus eſt delectus. Cæterum adeo omnium ad ſe amorem trahit liberalitas, vt in extremis terris conſtitutos, de quibus liberalitatis fama eſt, tametſi de commodis eius nihil nobis ſperemus, tamen beneuolentia laudibusque proſequamur; contra tenaces odio & obtrectatione. Eminebant vitia quædam in Nicolao V. pontifice maximo, item in Alfonſo rege; claros tamen atque amabiles faciebat dandi ſtudium. Machometum, qui ante annos aliquot Turcis ac Græcis imperauit, quanquam rebus geſtis maxime inclytum, tamen propter ſingularem auaritiam, quis eſt, qui non improbet? At patrem eius Amorathum liberalitas ſplendorque etiam apud hoſtes commendauit. Plurimos autem è cuiusque modi hominum genere donis afficere, quanquam eſt regum, ac ſi qui regibus ſunt pares, eorumque benignitas quam latiſſime pateat; tamen quibus minores facultates ſunt, hi reſpicere inprimis debent, vt ipſorum liberalitas quo rarior minusque plena eſt, eo exactior ab ipſis delectus habeatur eorum, in quos pecunias conferunt. Nam qui plurimum habent quod dent, iis fortaſſe concedendum fuerit, ſi quid, dum non multum tamen, in delectu peccent; minus autem opulentis in hoc peccare non facile permittitur.

Ad eum autem delectum, quo dantis voluntas manifeſtior appareat, ipſaque erogatio gratior habeatur, illud etiam adiungendum eſt, vt læta fronte, vt verbis pro loco, tempore ac perſona

quam

quam maxime accommodatis, quæ animi libentiam quandam declarent, & demus & dediſſe videamur. Alexander Seuerus, vbi quem de Republica benemeritum proſecuturus eſſet, ante illi gratias agebat, & ſuo & Reipublicæ nomine, quod ita quidem Rempublicam geſſiſſet, vt bene de ea meritus iudicaretur. Alexandro Macedoni legimus affuiſſe quandam in conferendis muneribus alacritatem, quæ ſola gratificari animum eius abunde poſſet. Iulius Cæſar locupletiorem ſe factum dicebat, quoties fortem & benemeritum quem donaret. Anicetus Cyreneus, cum remiſſam ſibi à Platone, qua eum redemerat, pecuniam ſenſiſſet, ea repudiata, Profecto, inquit, peccatum à me videri poteſt, quod maiore ſumma in Platonem exercenda liberalitas noſtra fuit. Quis non intelligat, hoc dicto liberalitatem illam, quanquam magna quidem fuit, tamen altero tanto factam eſſe maiorem?

Quocirca munera ipſa nonnunquam honeſtanda verbis ſunt, & dantis animus quam poteſt, erga eum, qui accipit, declarandus. Quod fieri quidem poteſt pluribus modis. Nam & munera ipſa quanquam magna, tamen ſi ad dantis voluntatem, ſi ad accipientis merita referantur, exigua quidem eſſe dicet: contra vbi minora illa fuerint, non munera ipſa, ſed eius qui dat, egregiam voluntatem, optimumque in accipientem animum conſiderandum, atque alia munera alio in tempore, & plura maiora expectanda. Laudat apud Maronem paſtor pocula il-

Digitized by Google

la illa quanquam fagina, tamen quod cælatum & quidem Alcimedontis opus esset.

Quid quod nec vbique palam atque in publico dandum est? quædam etiam per alium potius nonnunquam munera ipsa sic mittenda, vt qui ea mittat, ignoretur, seruandumque in quibusdam & erga quosdam tritum illud Christianorum prouerbium, Ignorare sinistram debere, quid dextra ipsa dederit.

Quin etiam liberalis viri cura eo progredi debet, vti amicorum, familiarium, ciuium necessitates, ac viuendi difficultatem reique familiaris inquirat angustias: quibus inuentis, nunc frumento, nunc pannis, nunc pecunia rebusque aliis eos iuuabit. Borsius Estensis, qui Ferrariam peregrini diuertissent, renunciari ad se volebat, demandata ministris quibusdam eius rei cura, vt qui ac quales essent, diligenter scisciarentur, ne qui erga notos abunde liberalis esset, erga ignotos & peregrinos parum benignus haberetur, ad quem multarum Italiæ vrbium exules sic profugiebant, vt ab eo nemo repelleretur.

Philippus Maria Mediolanensis, non solum aduersus hospites ac peregre venientes, multa liberalitate vsus dicitur, sed quem fortem & clarum virum in Italiæ vrbibus, aut finitimis in regionibus agere intellexerat, munera ad eum mittebat, & se & illo digna.

Quamuis autem illorum ratio inprimis habenda est, quorum fides, integritas, fortitudo cogni-

cognita est, & in quibus præclara ingenii vis elucet, adeoque dignis parata est benignitas, tamen nescio, quomodo interdum debet plus apud liberalem posse dandi ratio, quam accipientis indignitas. Quocirca etiam aduersus latrones, piratas & flagitiosos quosdam, imo etiam hostes nonnunquam liberaliter fortasse agendum videatur, quo eorum improbitas minuatur. Alexander regium esse affirmabat, à quibus male audias, in eos & sæpe & multum conferre; quod ab Alfonso rege factitatum legimus, offulam enim obiiciendam censebat oblatrantibus canibus. Inprimis autem clara & nobilis est illa Philippi Mariæ Mediolanensis liberalitas, & animi altitudo, qui cāptum nauali pugna Alfonsum cum duobus fratribus, altero etiam rege, multis item regulis, non modo liberos esse voluit; verum etiam nullum liberalitatis, comitatis, mansuetudinis genus in eos prætermisit. Quid enim pulcrius, quam quos armis viceris, eos liberalitate ac beneficentia deuincire.

Cæterum, quod si erga homines hominumque actiones illas quidem rectas atque honestas ita institutum esse oportet, qua pietate gratitudineque liberalis vir erga deos affectus erit, Republica præsertim bene atque ex sententia gesta. Agesilaus rebus feliciter gestis, biennio supra centum talenta, quasi decimam quandam Delphis Apollini consecrauit. Populus Romanus victorias suas quam omnes diis immortalibus ascriberet, declarant tot templa Romæ illis posita dedicataque, tot ludi à Cos s. voti

Digitized by Google

voti, tot ſupplicationes decretæ, tot ſacra in Capitolio priuatim ac publice facta. Quod ſi rectorib. vrbium propter iuſtã adminiſtrationẽ, parentibus propter procreationem educationemq;, amicis propter beneuolentiã & coniunctionẽ, nemo bonus nõ maxime gratus eſſe ſtudet; quinimo nõnulli etiam in animalia bruta, quorũ opera aliquando feliciter in rebus difficilimis vſi fuerũt, liberalitatẽ quaſi exercuerunt. Ferdinandus rex equum, quo egregie vſus aduerſus inſidiantes fuerat, freno liberauit, vacuumq; labore omni eſſe voluit, ſtabulario cuidam data paſcendi eius cura. Cui non eſt etiam abunde nota Alexandri gratia in equum illum ſuum, in cuius honorem vrbẽ ædificauerit de nomine eius dictam? Quibus equabus Cimon Athenienſis tertium vicerat in Olympico certamine, ijs ſepulcrum ſtatuendum prope ſuum monumentum curauit. Populus Athenienſis publica alimenta ad extremũ vitæ diem mulis decreuit, quorum laborioſis operis in Hecatompedo ædificando vſus eſſet. Et nos erga Deos ingrati erimus, quorum beneficia tam late pateant? vt ab eis tanquam perenni fonte, bona cuncta perpetuo quodam curſu profluant, vt ſi recte dictum eſt, vt quidem eſſe conſtat, timorem Dei initium ſapientiæ eſſe: recte etiam dicatur, pietatem erga Deum ac gratitudinem humanæ felicitatis initium eſſe. Nec eſt quod quis obijciat, Deum opis noſtræ minime indigere, ergo gratitudinem noſtram in Deum eſſe ſuperfluam. Sed attende. Non indiget viuentium gratitudine Vergilius, Silius tamen Italicus ſepulcrum eius quotidie pene inuiſebat atque adornabat ac muneribus. Quis

Digitized by Google

autem, qui modo aliquid è philoſophia deguſtauerit, non ſe Ariſtotelis manibus gratiam habere quam maximam intelligat, qua tamen ille nulla indiget. Quamobrem maximum mihi gratitudinis genus videtur, eo magis gratum ſe erga Deum oſtendere, quo minus ipſe gratia noſtra indiget.

Verum enim vero, cum liberalis nõ tantum largiri, ſed etiam capere ab alijs debeat, hoc enim ni fecerit, breui fons ipſe liberalitatis arefcat neceſſe eſt, etiam de hoc parum aliquid dicemus. Abſtinebit itaq; liberalis à quocunq; infami quæſtu, turpi emolumento, fœneratitio redditu, parum licito compendio; ab omni deniq; inhoneſta atq; illiberali commodorum adeptione. Ex ijs enim, quę turpiter parta ſunt, quæq; ex inhoneſtis cõmodis proueniunt, quomodo proficiſci dandi pulchritudo poſſit, nõ video, cum deceat inprimis mundas manus donantẽ habere, quas fœdari ex illiberali prouentu neceſſe ſit. Non puduit principem orbis terrarum Veſpaſianum ex vrina vectigalia colligere. Quid fœdius? Idem homines rapaces in prouincias atq; ad obeunda publica munia miſit, interrogatusque ab amicis, cur id faceret, reſpondit, eis ſe tanquam ſpongia vti: quia rapinis locupletatos ipſe poſtea ſpoliaret. Quid à viro principe alienius? Pertinax Auguſtus non aliter quam priuatus ac ſordidus ciuis mercaturas exèrcuit. Quid indignius? E Neapolitanis regibus quidam hoc exemplũ ſecuti prouinciales ad inopiam redegere, erepta illis mercaturę facultate. Quid iniuſti? Quid quod ſordidi etiam quæſtus nedum turpes declinan-

Digitized by Google

nandi. Videmus purpuratos quosdam oblata munuscula, petasunculos, altilia, poma, venalia exponere, lucrumq; ex ijs quærere, quibus familiares amicosque pascere par esset, nesciam, iniustius an sordidius comparatum hoc sit. Ex alea lupanarique, decreto etiam publico tributa exiguntur. Quid impurius? tametsi perditissimorum hominum ac mulierum damno exiguntur. Sic C. Caligula fœminarum mariumque lupanar in palatio condidit, ac misit, qui per vrbem cursitantes obuios, vt fructuosum vectigal principi redderent, inuitarent. Quamobrem nedum turpes sed etiam sordidi quæstus fugiendi sunt. Quid quod vt minuta quædam perinde ac maiora dona grato animo accipienda sunt, Artaxerxis exemplo, quem traditum est, nullum quamuis exiguum munus nõ læta fronte accepisse, quippe qui haustam è profluenti aquam iunctis offerentem manibus, aurea phiala & denarijs mille prosecutus fuerit; sic quędam quamuis legitime oblata, renuenda statim sunt. Antoninus Pius, cum institutus à quibusdam hæres testamento esset, vbi cognouit, liberos illis suos esse, repudiauit hæreditates. Ast longe aliter C. Caligula. Is enim post immensas profusiones ad auaritiam atque rapinas conuersus, testatores, vt ipsum hæredem scriberent, cogebat, quos postea, si superuixissent, veneno tollebat; ridendos ducens quod condito testamenta superuiuerent. Extat Aureliani Augusti epistola, cuius particulam inserere placuit, vt intelligant, qui imperant, ex oratione tanti principis, quam procul omnem à se auaritiæ

ſuſpicionem relegare debeant: Heraclemonem, inquit, occidi paſſus ſum, neq; enim mihi fidem ſeruaſſet, qui patriæ non pepercit. Diuitem hominem negare non poſſum, ſed eius bona liberis reddidi, ne quis pecunię cauſa locupletē hominē occīdi paſſum criminaretur, &c. Inſuper quædam etiam, licet absq; vlla capi reprehenſione poſſint, nonnunquā tamen recuſanda videntur, quod Athenienſis fecit Cimon, qui Perſam hominem, quod patrocinio vti ſuo vellet, pateras duas offerentem, alteram aureorum plenā, argenteorum alteram, ea acerbitate ab ſe reiecit, vt diceret, mercenarium ſe non eſſe, quin ſi ſua vti vellet amicitia, quæ ſecum detuliſſet, domum referret munera. Intellexit vir liberaliſſimus quid liberalem deceret. Ergo quæ capienda ſint, quæ etiam repudianda, vir liberalis videbit, ne qua parte ſibi ipſi deſit. Quinetiā vt quæ oblata ſunt munuſcula, ita ſibi grata eſſe ſignificabit, vt plurimi ea facere videatur: ſic in lucris, commodis ac prouentibus omnibus animum vultumque, quam poteſt, moderabitur, ne geſtire quæſtibus videatur, ſed ob id ſolum eos ſibi gratos eſſe, vt habeat, vnde ſubminiſtrare alijs queat. Atque hæc ſunt, quæ de liberalitate in genere inſerere viſum fuit, quatenus ea ad communem vſum multorumq; ſalutem transferri poteſt.

Extant vero inſuper & aliæ non minus vtiles quam neceſſariæ ad prudentiam, quæ vigere in principe debent, commonefactiones, quas etiam curtatim attingemus. Principio igitur fugienda eſt principi omnis adulatio. Aures enim adulantibus qui præbet, is omnino ſuus eſſe deſinet, ex aliorum aſſen-

assentationib. potius quam ex sua conscientia, seq; suaque ipse metiens. Ambitionem quoq; vt quæ multorum ac magnorum malorum altrix & parens est, ab aula sua eiectam exterminabit. Vrbium enim regnorumque pestis est ambitio. Recte imperator Romanus Alexander, quendam ex ijs, qui popularem auram tanto studio captabat, vt in ea honorum fines poneret, palo affigi iussit; excitatoque mox igni ex materia minime arida, faucibus fumo conclusis extingui, affirmans iure illum fumo perire, quod fumum & vendere & emere solitus esset.

Princeps qui sese hominem esse meminerit, nũquam superbia efferetur, æquabilitatem sectabitur, & cum omnia maxime è sententia cedere sibi videbit, tum maxime creder, præesse reb. humanis Deum, cui superbia ipsa mirum in modum displiceat.

Quæ promittas & cui etiam promittas videto. Non modo autem facultatum ac meritorum, sed etiam temporum atq; ingeniorum habenda est ratio. In quo & alia multa consideranda sunt, & illud maxime, quod nihil turpius sit, quam fidem non seruare: cuius tanta vis est, vt etiam hosti si data sit, seruare tamen eam oporteat. Et cum sit fides, vt ab antiquis definitur, dictorum conuentorumve constantia & veritas, nihil antiquius veritate ipsa principi esse debere, declarat id, q; à maiorib. nostris sapientissime institutum est, vt liber Euangeliorum, quo diuina cõtinetur veritas, diebus singulis osculandus principi offeratur, cum in re diuina adest, vt ex eo colendæ veritatis admonitus, meminerit studiosissimum se eius esse debere.

Inprimis autem ſtudere oportet, vt qui te adeunt, facilem eſſe intelligant. Nihil enim tam alienum eſt à principe, nec quod aliorum in ſe odium tantopere concitet, quam aſperitas, & ea quæ morоſitas dicitur. Contra vero in omni vita maxime laudatur comitas grauitate temperata. Atque vt verbis Titi vtar, non oportet quenquam à ſermone principis triſtem diſcedere.

Qui temperantem te ſenſerit, turpia nunquam petere audebit. O te fortunatum Marce Cato, inquit Cicero, à quo rẽ improbã petere nemo audeat. Tum pfecto principatu iſto dignus iudicaberis & boni regis ſpẽ pollicebere, cũ improbos inſectaberis, oderis intẽperãtes, reijcies mẽdaces. Admonitores quoq; voluptatũ vt peſtẽ pernitioſiſſimam fugito, ſunt.n. animi quamuis bene inſtituti conqnatores; quib. q delectetur, impoſſibile eſt illũ ſeruare aliquẽ vitę modũ. Huius erit impudica puericia, efœminata adoleſcentia, ſenectus infamis. Habebat Nero Claudius plurimos voluptatũ conquiquiſitores; quẽ tamen ipſe vitę exitũ habuit? quẽ & alij multi, ac fere omnes ab eo non diſſimiles,

Ambigam, quid fuerit in Scipione laudabilius, fortitudone in bellis gerẽdis, an in omni vita cõtinentia. Altera.n. bis aut ter hoſtẽ ſuperauit; altera ſeipſum ſemper. Quod fuit eo admirabilius, quod plurimi inuenti ſunt, & inueniuntur quotidie, qui hoſtẽ vicerint, rariſſimi q ſeſe, pſertim cũ victoria inſolentes intemperatosq; efficiat. Qui alijs pręeſt omnino vacuus eſſe debet affectib. Ira namq; rectum quod ſit, cernere minime patitur; odium ad iniqua impellit; amor iudicium impedit; trahit ad

vim

vim inferendam libido; stimulat ad vindictam dolor; inuidia præcipitem agit.

Prudens & pia admodū fuit admonitio Ludouici regis Galliæ, qui Sanctus appellatur, ad filiū successorem in regno, quę inter alias multas recensentur à Tilio, lib. 2. de rebus Galliæ, talis videlicet: Ita te gerito, vt confessarij necessariique & familiares tui possint te libere admonere mali, quod feceris, & docere facta tua. Merito igitur Arrianus laudat Alexandrum Magnum, quod sicut interdum præceps ad delinquendum fuerit, ita statim eum hoc pœnituerit. Quam artem etiam optime calluit Ludouicus XI. Galliarum rex perspicacissimus. Cum enim forte ob intemperantiam linguæ lapsus esset, & durior fuisset; mox agnouit culpam, & conuersus ad eum, quem offenderat: Non me latet, inquit, obfuisse mihi linguam; sed & profuit aliquando: nunc autem vt, quod illa peccauit, emēdem æquum est: ac simul, cum ad eum modum familiariter ageret, donum aliquod dabat non contemnendum. In quam sententiam recte Cominæus, Est profecto, inquit, magnum Dei beneficium, agnoscere quod vitiosum est, ac mentem ad meliora conuertere. Melior enim est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio, vt D. Augustinus ait.

Maxime autē hominis est, & eius præsertim hominis, qui principatū gerat, præsenti animo in aduersis vti, nec aduersanti fortunę succūbere. Sic Ferdinādus Calabriæ dux, cum initio regni sui, multorū simul procerū ac populorū, nonnunq; etiā integrarū prouinciarū ad Ioannē Andegauensē defectiones

nunciarentur, nunquam mutauit vultum, nedum vt animo consternaretur. In ipsos defectores nullo vnquam contumelioso dicto vsus. Nunciata rebellione magni cuiusdam viri, tametsi famæ suæ minime ipse pepercerit, hactenus commotus est, vt diceret, dolere se, quod talis vir & è tanta familia ortus, seque maioribusque suis indignum fecisset. Cæterum Christo gratias agere, quod ne minimam quidem ipse tanti patrandi facinoris causam ipsi præbuisset. Quid illud, nonne inuicti est, & ex aduersis etiam vires resumentis animi? Illud etiam in aduersis confirmare maxime nos debet, quod ad summa non nisi maximis cum laboribus & periculis peruenitur. Adhæc quotus est, qui aut patre, aut præceptore, aut domino ita facili & leni vti cupiat, vt obiurgari se ab illo nunquam velit? Sapienter igitur dictum est: Quos Deus amat, corrigit & castigat. Quapropter tenere hoc oportet, quod rerum humanarum & imbecillitatis nostræ moderator & rector Deus hoc maxime modo temeritati hominum consulat. Multos enim (quod quotidie etiam videmus) secunda fortuna præcipites egit, cum quibus quanto melius actum esset, si non plenis semper velis, sed aduerso interim vento delati essent. Quid quod non raro videmus, aduersas res magnorum præbuisse causas bonorum. Adde, quod nescio quo pacto parta ac retenta cum labore, magis nos delectant, carioraque multo habemus, quam si aut casu aliquo oblata essent, aut si curam eorum nullam habere nos oporteret.

Secundæ quoq; res sunt tanquam speculũ quoddam

dam nostri, quæ, vt de magistratu dicere solemus, qualis quisq; sit, apertissime ostendunt. Quamobrem tum maxime seruanda erit continentia, cum quicquid libuerit, licuerit. Cohibendus erit animus, ne efferatur, ne insolescat, ne obliuiscatur sui ipsius, atq; ita instituendus, vt se è libertate in seruitutem, è diuitijs in paupertatem, atq; ex alto atq; illustri loco in infima obscuraq; deijci aliquãdo cogitet. Bellerophontes, vt est in fabulis, cum equo illo alato ferretur, & sublimem teneret aera, præceps excussus est, quo casu, vt est in vetere versu, miser ac mœrens terris errauit alienis: q; euenire sæpissime ijs solet, qui secundis rebus inflati, superbe nimis & intemperanter agunt. Beatum illum Plato dicit, & Cicero refert, cui etiam in senectute cõtigerit, vt sapientiam verasque opiniones assequi possit. Præclare quidem; sed vt in senectute valeamus assequi, iacienda sunt fundamenta ab adolescentia, quibus bene iactis tanquam in domo bene ædificata, non est verẽdum vt corruamus. Optima autem fundamenta adolescentis sunt, ad sapientiã assequendam, si cum sapiens id ætatis esse non possit propter temeritatem, atq; inscitiam, qua nec videre nec agere res optimas valet; quod certe potest, si eorum, qui habentur sapientes, consuetudine delectetur. Quo de genere est illud Ciceronis, cum ait, ita se à patre deductũ ad Scæuolam, sumta virili toga, vt quoad posset & liceret, à senis latere nunquam discederet. Primum enim est, vt cõlere sapientes assuescat. Secundum, vt eorum dictis aures libenter adhibeat. Tertium, vt eorum se quam maxime similem esse velit: quorum non

modo facta sed etiam dicta imitari contendat. Ex quibus principijs vsus deinde progressionibus ad quam coutendit, sapientiam victor consequetur.

Diligendi sunt principi, viri primarij, atque in omni genere laudis probati, quorum consilijs & admonitionibus formetur. Hi de rebus grauioribus differentes audiendi sunt; quibus enim ad res gerendas melioribus vti potest magistris, quã ijs, qui multa & magna gesserunt. Alfonsus Calabriæ dux Antonio poëtæ incredibili quadã voluptate operam dabat. Quinetiam veterum ab eo scriptorum lectiones singulis dieb. audiebat, ac licet multis magnisq; interim grauaretur curis, nunquam tamẽ passus est, horam libro dictam à negocijs auferri. Mirũ est enim quantum valeat ad optimam vitæ institutionem assidua & diligens lectio. Nam si, vt Scipionem dicere de se solitũ scribit Crispus, maiorum imagines mirum in modum intuentes ad virtutem excitant: quanto magis illorum dicta factaq; imitatione digna, sæpius animo repetita & ante oculos posita, commouere debeant.

Neque illis assentiendum est, qui literas accusant, qui si propterea cõtemnendas ducunt, quod discendæ non sint tanquam nõ necessariæ, nisi eo quid sit, quod ipsi discendum putent. Quid est enim tam necessarium quam multa scire, atque ea tum in cognitione naturæ & rerum occultarum, tum in memoria rerum præteritarum & clarorum virorum exemplis posita? nisi si quid honestum, quid turpe, quid bonum, quid malum, quid expetendum: cõtra quid fugiendum, quid ægrotantibus iucundum, quid valentibus noxium sit, scire

re ipsi non putent necessarium: qua vero ratione lautius conuiuiū paretur, scire solum putent esse necessarium. Sin fortasse, q̄ sint indignæ homine, ij falluntur omnino, & quod dici solet, tota errant via. Quid enim homine dignius, quam inter cæteros excellentem esse? Excellere autem doctrina præditos, vel ex eo iudicari potest, quod in maximis gerendis rebus consilijsque capiendis, primum semper locum ij tenent, qui docti habentur. Neque enim pueros statim Grammaticis esse tradendos, à quibus erudiantur, consentirent omnes, si literæ indignæ illis futuræ essent, postquā viri euasissent. Sed sunt quidam, qui vt ignorantiam suam, de qua etiam gloriari audent, defendant, ipsi de literis literatisque hominibus male sentiunt, malo otio & langori dediti. Licet autem non omnes, qui inter doctos numerantur, nota careant, vitium tamen non ad literas, sed ad ipsorum ingenia referendum, quanquam literæ ipsæ propter celebritatem conspectius illud efficiant. Sed & hoc necesse est, vt & ipsi fateantur: ex ijs etiam, quos idiotas vulgus appellat, quique literas nesciant, plurimos esse teterrimorum vitiorum maculis respersos inquinatosque, qui quod aut alijs vt careant, illo certe non carent, quod indocti ignorantesque sunt, quo esse contemtius aut homine indignius quid potest? Vrbe pertertita, & quid consilij caperet incerta, metu Catilinæ, coniuratorumque aliorum; plebis patrumque communi consensu maturatum est ad consulatum demandandū M. T. Ciceroni, quanquam nouo homini & inquilino, primarijs ciuitatis

ed by Google

tis viris præteritis: videlicet non Arpinum aut maiorum imagines tantam ei expectationem comparauerant, sed insignes literarum tituli, & adducta è rhetorum scholis in forum senatumque eloquentia.

Sed non sit mihi lõgius nunc cum his certamen. Neque enim literæ patrocinio meo indigent, locus hic tantum attingendus fuit. Illud tamen nullo modo prætermiserim, quod Alphonsus victo captoq; Antonio Caldora, cum exercitu in Pelignos profectus, cum peruenisset in locum, vnde Sulmo poterat despici, percontatus, an ea, vt ferretur, Ouidij esset patria, & qui aderant affirmassent, vrbem salutauit, gratiasque genio loci egit, in quo tantus olim poeta genitus esset, de cuius laudibus cum non pauca disseruisset, tandem famæ eius magnitudine commotus, Ego, inquit, huic regioni, quæ nõ parua regni Neapolitani nec contemnẽda pars est, libenter cesserim, si temporibus meis datum esset, hunc poëtam vt haberent, quem mortuum pluris ipse faciam, quam omnis Aprutij dominatum.

Quoniam autem non semper agendis negocijs occupati esse possumus, & à libris secedẽdũ est aliquando faciendæq; sunt intermissiones, q̃rendaq; tũ animi, tum corporis laxamenta, videre oportet, vt cessatio omnis careat ignauia, ne cum relaxari quęrimus, desidiosi effœminatiq; efficiamur, eritq; ocium, vt sine negocio, sic absque segnitia Nam vt agrum quamuis vberi sit solo, prudens tamen agricola cessare patitur, qui tamen si diutius cesset, lentibus frutieibusque obsitus squalet: sic vbi animũ otio

otio torpere nimio patiemur, efficietur vt iure illa in nos dicantur: Pluma Sardanapali, Epicuri de grege porcum; & si qua dici aut fingi possunt indigniora opprobria. In hac cessatione dandus est locus aliquis iocis facetijsque, quibus animus recreetur; quod ait Laberius, Facūdum comitem in via pro vehiculo esse, ad istam quam dico cessationem transferendum. Adhibendi sunt etiam musici, qui tum cantu, tum chordis oblectent animū, & curas permulceant: dandum quoq; aliquid histrionibus. Venatio quoque & aucupium corpus animumq; maximè reficiunt. Augustus pila & folliculo, Alfonsus meridianis horis, arcu se cum iuuenibus, exercebant. Cyrus apud Astyagem auum puer equum agere, & concluſas horto feras iaculo ferire doctus, postquam adoleuit, aut aprū aut leonem in syluis petebat. Itaque non iniuria apud Maronem præcipue laudi datur Pico, quod esset equum domitor debellatorq; ferarum.

Omnium autem primum studere oportet, vt ab iis potissimum amere, quibus corporis ac rerum familiariū curam commiseris, quod faciens viues securior, & amor iste cum inter familiares altius egerit radices, latius postea euagatus, non modo inter populares subiectosque, sed externos quoq; diffundetur. Quem enim quisq; amat, eum, si fieri possit, viuere perpetuo expetit, nullique minus exercitu opus est: quanquam haud scio, an vlli sint maiores copiæ, quam ei qui plurimum ametur. Iure igitur videri potest dictum, quod Thomas Pontanus libenter vsurpabat, Amorem nunquam fecisse stipendium. Illud etiam eiusdem nō minus

pru-

prudens, Amorem inermem quidem incedere, dormire tamen loricatum. Ad conseruandum autem & magis indies augendum familiarium, & eorum, quos intimos habeas, amorem, illud maxime valet, vt amari se abs te intelligant. Vetus. n. est & prudens, Si vis amari, ama. Quod ex eo potissimum iudicabunt, si secundis rebus suis senserint te lætari, dolere plurimum aduersis.

Cæterum, non raro equidem accidit, vt principes vni tantum ex familiaribus, repulsis cæteris, fidant, eiq; veluti liberas habenas Imperij concedant; quod raro felicem solet habere euentum, atq; hoc morbo regem laborare, & turpe & periculosum est, semperque fuit. Nam qui vnum amat, videtur cæteros odisse: estque mera seruitus regnantis, impotens amor paucorum. Quò referri potest ex vita & literis M. Aurelij Imp. salutaris doctrina, quam Lucullus in expeditione contra Mithridatem in ænea tabula reperit, & in triumpho suo vna cum gaza regia Romam attulit, nempe: Non est sapientis principis, si sibimet accersit periculum, vt alterius, quem euexit, auctoritas conseruetur, neque vult secure viuere amabilis omnibus. Non est prudentis principis, qui in vnum omnia congerit, vt cæteri egeant. Non est iusti principis, si magis vnius cupiditatibus inseruire, quam omnibus gratificari cupit. Fatui est principis, si obnoxius est vni, contemtis reliquorum consiliis. Audax est nimium princeps, qui vt amet vnum, sese omnibus reliquis inuisum facit.

Multum etiam conferet humanitas, qua virtute

tute cum excelles, necesse est, non modo vt ab intimis tuis amere multum, sed à cæteris omnibus. Cyrus qua tempestate ob inopiam liberalitate vti minime poterat, benevolentiam suorum humanitate conabatur assequi, quippe quibus etiam in faciundo opere adiutor adesset ac laborum socius. Nam postquam regno Assyriæ potitus est, nullum in eos liberalitatis genus exercere prætermisit: cum non pecuniam, sed amicos, quibus ipse plurimum contulisset diuitiarum, suos esse thesauros duceret. Quanquam non modo familiares & amicos, sed è subiectis vnumquemque adeo lætaretur copia rerum abundare, vt boni regis proprium officium, quin & opus esse diceret, etiam ciuitates beatas efficere.

Cauendum autem maximopere est ab ijs vitijs, quæ his virtutibus dicuntur contraria. Non sentient te quidquam alieni, neque inhiantem ijs, quæ ipsi in deliciis & chara admodum habeant. Dominum enim cupidum necesse est rapacem fieri, iure iniuriaque vim inferentem, vt cupito potiatur. Hinc proscriptiones, exilia, cruciatus, cædes, &c. Adhæc quid magis alienum à regibus, aut ipsorum securitati minus conducens, quam quod cum ipsi præbere se cæteris debeant humanitatis exemplũ, difficiles & superbos agant? Inhumanitas. n. mater est odij, vt superbia crudelitatis, malus vtraque & vitę & principatus custos. Tradũt Massiniſſam, cuius olim in Africa late patens fuit imperiũ, cum ne filijs quidẽ fideret, corporis custodiam commisisse canibus, quos multos & feroces alebat. Quam hic securus vixerit, ex hoc vno plane iudicari potest, quod

quod canibus quã filijs plus fidei haberet. Quo vt nõ ſecuriores, ſic nõ minus infelices vixerunt Pheræus Alexander & Syracuſanus Dionyſius, quorũ alter ad Theben vxorem, quam perdite etiam amabat, cum introire vellet, barbarum quendam, & eum notis compunctum threicijs, vt Cicero refert, ſtricto gladio iubebat anteire, pręmittebatq; de ſtipatoribus ſuis, qui muliebres arculas perſcrutarentur, & ne quod in veſtimentis telum occultaretur, exquirerent. Alter vero, cum duas haberet vxores, Ariſtomaden & Dorida, neutrius vnquã complexus petijſſe dicitur, niſi veſtibus prius excuſſis. In cubiculum quoque, quod lata cinxerat foſſa, ligneo ponte ſeſe recipiebat. Quinetiam filias, à quibus ante tondebatur, vbi adultas vidit, veritus cultrum illis committere, candente carbone capillum ſibi aduri faciebat.

Porro prima ſpes, quam polliceri de te populis debes, illa ſit, vt delectari te præſtantiſſimorum hominum conſuetudine intelligant, quod certe ſperabunt futurum te eum, in quo ſint repoſita virtutibus præmia, quam tui expectationem magis magisque indies & concitabis & augebis, ſi quo maiorem quis virtutis opinionem præbuerit, hoc illum in honore maiore haberi abs te cognouerint. Quorum hominum etſi exiguus eſt numerus (virtus enim, vt cætera bona, rara eſt) idem tamen circa virtutem contingit, quod circa bonarum artium quanque videmus ſolere contingere. Vt enim, ſi aut poëticæ aut phyſicæ ſit honor propoſitus, magnus erit illorum numerus, qui clarere in eis ſtudeant: eodem modo plurimi vir-

virtutem vt assequantur, contendent, si præmia quoque, quæ virtuti debentur, vna se consecuturos speraverint.

Et quoniam fortuna principum in edito & præclustri sita est loco, præbetque sese spectandam omnibus; studendum est, vt dicta factaque tua omnia eiusmodi sint, quæ non modo laudem tibi atque auctoritatem pariant, sed & familiares & populares ipsos ad virtutem excitent. Ad quam nulla eos res magis excitabit, quam spectata ipsius virtus tua, & mores quam probatissimi.

Insuper oportet, teipsum vt cognoscas, intelligasque te gerere principis personam, quod intelligens, in omnibus tum dictis tum factis grauitatem seruabis atque constantiam. Cumque omnis tum consultatio tum actio sit de consilijs capiendis, aut de rebus publicis aut priuatis; in capiendis consilijs oportet multa audire, plurima circumspicere, causas singulorum, quæ dicuntur, exquirere: non statim assentiri, nec semper etiam palam improbare oculis, nutuque multa declarare, multa etiam pensitantem animo, vultu præ te ferre, sententias aliorum ita examinare, vt mentes dicentium videare velle introspicere, quod ipse sentias, aut non statim, aut solum paucis aperire, in dicendo cautum & breuem esse; pro rerum tamen qualitate parce reprehendere, rarenter & non nisi maxima ex causa obiurgare; laudare cum grauitate, iracundiam cohibere, tanquam maiestatis inimicam, in nullo ita efferri, vt quod aiunt, lineam transeas. Ex his igitur atque aliis, quæ natura, tempus, res & ars docuerit, de

Digitized by Google

quibus nulla certa præcepta tradi possunt, nascetur admiratio quędam, sine qua maiestas esse nullo modo potest.

Publicæ vero res (voco autem publicas, quæ ad quietẽ populorum & regni moderationẽ in pertineant) arte alia tractandæ sunt. Vrbium legatis conspectum tuum adeuntibus, mansuetum te & facilem prębebis, mãdata referentes eo vultu audies, vt fiduciam eis ad dicendum des. Cum vero dimittentur, ita eos dimittes, vt quæ honesta & iusta, facile abs te impetrari posse intelligant. Nec his cõtentus, honoribus quoq; & donis, quæ grata illis esse foreque cognoueris, honestabis atq; afficies. Quæ vero aut minus honesta, aut non satis æqua petierint, ea non semper, nec palam, nec tristiore vultu, aut grauiorib. verbis denegãda sunt, sed potius ostendendum est, non ideo te ea non concedere, quod nolis, sed quod illis inutilia iudices, quodq; ea ratione ipsorum rebus melius consulatur. Vbi autem de iure agitur, nullũ à te personarum discrimen habeatur, sed ipsarum legum personam induas, quæ eædem semper sunt omnibus. Populos etiam oportet tum literis, tum nuncijs, pro rebus temporibusque sæpius vt horteris, moneas, excites: nec semper expectabis, dum rogent quid, sed vltro & non rogatus beneficium conferes: præmia quoq; proponenda sunt ijs artibus, quas celebriores in ciuitate senseris.

Præsens eum te erga ciues geres, vt necessitatibus suis patremfamilias, iuri dicundo prætorem, ciuilibus simultatibus, dissensionibusq; cõpositorem adesse sentiant, gaudentem suis secundis ac ho-

florentibus rebus, dolentem aduersis, ac totis viribus pericula vimq; propulsantem, demumq; & præsentem & absentem eam te rerū suarū habere curam intelligant, vt tanquā dominū vereantur, colant vt patronum. In iudicijs autem seuerum, in responsis grauem & circumspectum sentiant, gratum in sermone, acrem in sententijs, minime tamen cōtentiosum. Sint verba vt sine supercilio, sic non absque grauitate & penso. In facinorosos autē & eos, quos pœnis afficiēdos leges sanxerint, sic animaduertas, vt nō hominē sed crimen insectari ac punire videare. His atque similibus amor cōciliabitur & reuerentia, fideles & diuturni maiestatis comites.

De priuatis quoque aliquid præcipiendum est. Priuata igitur, cum aut extrinsecus erga eos, qui priuati sint, aut erga teipsum sint contideranda, quem te gerere erga alios debeas; Lex hæc erit, vt peregrinos humaniter excipias, attentus audias, liberaliter tractes, in omnibus facilem te eis & benignum præbeas. Studeas etiam, antequam te adeant, quoad poteris nosse, quod sit suū ipsorum ingenium, quibus cum vixerint, quas artes fuerint secuti, quas etiam sequantur opiniones, factionesve, tristesne sint an hilares, suaues in sermone, an duriores, quæ afferant mandata, quid impetrare cupiant, publice veniant, an priuatim; mores quoq; nationum & studia sunt diligenter noscenda. His enim cognitis facile inteliges, quid agere teipsum oporteat. Adhibitos in cœnā laute accipies, inter discumbendum alloquere familiariter, multum te delectari illorum sermo-

ne ostendes, multa etiam ab ipsis de moribus nationum, de situ locorum, de ijs quæ inter peregrinandum memoratu digna viderint, audierintve, doceri studeas. Inuitandi sunt etiam ex ijs qui aderint, de rebus tum iocosis tum grauibus vt aliquid dicant, quod tum admirationem tum voluptatem pariat.

Cum vero in eum sermonem tecum venerint, vt impetrare aliquid abs te cõtendant, tum oportet vt liberalitatem munificentiamque præ te feras: & vbi aut dignitas tua, aut ea, quæ ab illis petuntur, exigerent, religionem, iustitiam, continentiam, mansuetudinem. Cum autem dimittendi sunt, blandis verbis & comi sermone alloquere: nec contentus ijs, quibus eos donaueris, multa quoque & ipse pollicebere, & per alios offeres.

E subiectis autem, quorum tibi aut ingenium aut fides, aut multa rerum experientia cognita fuerit, præficies magistratibus, prosequere salarijs; alium belli rebus, alium pacis designabis: bonis consilio & iustitiæ cultoribus, vrbiũ aut prouinciarum curam demandabis, probatæ fidei & ingenij minime varij præficies arcibus: administrandis pecunijs, thesaurisq; conseruandis, quos frugi, diligentes, industrios, abstinentes scieris. In hos seuerum, in illos facilem, pro causis, ingenijs, temporibus locisque te exhibebis, sciens summum ius summam interdum iniuriam esse, non raro etiam magis ex æquo & bono, quam iure agendum. Quædam etiam magis ignoscenda esse quam punienda, nonnulla etiam prætereunda tanquam ignores, aut in aliud tempus differenda.

Opti-

Optime etiam haberet, si vnumquenque è subditis domini cognoscerent. Nam vt bonis locus & gratia apud illos esset, sic malis improbisque paratum supplicium; quod quoniam tum naturæ humanæ imbecillitas non patitur, tum fortunæ inconstantia prohibet, cum præter opinionem plura contingant, præstandum est, vt si non omnes, plurimos tamen cognoscas, sciasque, quod nullus mercator in capiendis soluendisque numis ignorat, quanti quisq; sit expendendus.

Summa etiam cura attendes, vt quos iuri dicendo præfecturus es, auaritia, cæterisque malis libidinibus animum liberum atque inuictum gerant. Vim à te quoque ita prohibeas, vt nullius rei acriorem te, quam legum ac liberalitatis defensorem ostendas, nihilque, nisi quod iustum & honestum sit, ab vllo exigas.

Cum familiaribus quoque negligendum non est, qualis ipse futurus sis. Nam, vt est apud Iuuenalem:

———. *Lingua mali pars pessima serui est.*

Infamia enim, vt Nicolaus Maria Buzutus, eques Neapolitanus dicere solitus est, domesticũ malum est, quæ in domus penetralibus nata, vbi paulum modo adoleuerit, furtim se domo surripiens, orbem peruagetur. Quamobrem danda est opera, vt familiares quique aulici hodie vocantur, optime de te sibi persuadeant; quod his moribus artibusque facilime assequeris, si facilem, comem, benignum, liberalem erga eos te præbueris, facile condonantem peccata, ac recte facta in maius etiam extollentem. Si vnusquisque partes suas pro

miniſterio, opera ingenioq; ſuo valere apud te intellexerit. Si ex ijs, quę ipſe ſponte tua in illos conferes, ſibi polliceantur, te, & non rogatum maiora indies in ſe collaturum, & à rogato, quæ petēt, facilime exoraturos.

Ludouici Pontani grauiſſimi viri, & ſua ætate Iurisconſultorum principis, nobilis ſententia eſt, Neminem poſſe in literis clarum euadere, niſi qui plurima legerit, audierit, memoriæ mandauerit. Quam ſi ſubtilius intueri velimus, intelligemus, regem etiam bonum eſſe nequaquam poſſe, niſi ſæpe & multum legat, multos multa referentes audiat, lecta atque audita memoriæ mandet; quod etiam Homerus comprobare videtur, qui Vlyſſem, quem ſapientem effingere volebat, ab ipſo ſtatim operis initio his laudibus tanquam circumſcripſit:

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

Quamobrem ſi amari à familiaribus vis, ſi futuri boni principis expectationē concitare optas, id de te inprimis præſta, vt non vni ex omnibus addictus viuas, quod maxime alienum eſt à principe, ſed teipſum omnibus tanquam per vices partire, palam faciens, vnum te eſſe, ad quem referri omnia & velis & debeant. Vt enim male actum eſſet cum genere humano, ſi vni ſe Deus aut paucis admodum præberet exorandum: eodem modo male cum principum regumque familiaribus, ſi in tanta multitudine vni aut paucis admodum locus fidesque ſit. Nullus enim familiaribus maior eſt dolor, quam vbi cum principe ſuo veluti per interpretem agendum ſit. Oportet enim

enim qui amari à ſuis, & minime peccare in Rep. velit, plurimis oculis plurimisque auribus vt vtatur. Iacobus Caldora, dux ætatis ſuæ clariſſimus, dicere ſolebat, eo die multum ſe pecuniæ comparaſſe, quo multos audiſſet, cum multos audire, maximos theſauros eſſe duceret. Vultus etiã bonus, læta, vt dicitur, frons incredibile eſt quantũ adiuuent. Catum namque eſt illud, Dextera corpus paſci, animum vultu.

Totius autem maieſtatis fundamentum eſt, ſi tecum ità quidẽ viuas, vt minime à te diſſentias, in omnibusque tum dictis tum factis fidem vt teneas atq; conſtantiam, quodq; in alijs reprehendendum iudices, ſeueris in te iudex prius correxeris, animumq; prauis cupidinibus minime obnoxium geſſeris. Si quemadmodum poteſtate & imperio, ſic iuſtitia, pietate, conſtantia, moderatione, præcedere alios contenderis. Si vt fraudulenti & perfidi nomen abominabere: ita nec ſemper, nec omnibus tantam fidem adhibebis, aut in dicendo, aut in conſulendo, aut in alijs, quæ plurima in vita mortalium dubia & incerta contingunt, vt nõ exiſtimes poſſe aliquando eos decipi, errare, labi, cum veritas plurima habeat diuerticula. Patientia quoque æſtus, algoris, inediæ, non modo commendatur in principibus, ſed tanquam neceſſaria deſideratur. Cibo etiam & potu, vt cæteris corporis voluptatibus, maxime temperandum. Quid enim magis contra maieſtatem, quam qui alijs imperet, eum vino intemperantiæq; ſeruire? quod monſtro ſimile eſt. Si enim, vt eſt apud Naſonem:

Digitized by Google

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas & amor:

Quanto minus ebrietas & temulentia, quæ sordidis etiam hominibus maximo vitio datur. Somnus quoque immoderatus, & non concessæ viris delitiæ, omnino fugiendæ. Eneruat enim somnus, delitiæ effœminant. Principem namque in vmbra & plumis, vt aiunt, assidue agentem, multa vitia necesse est circumsistant, cum voluptatum titillantium nutrix sit culcitra, cui morbo multum adijciunt secreta cubiculorum cōclauia. Quamobrem recte ab Horatio dictum est:

Otium & reges prius & beatas
Perdidit vrbes.

Non parum etiam in gestu positum est. Sit igitur incessus non mollis, non concitatus, non dissolutus; medium inter hæc tenendum. Absit ab omni corporis motu rusticitas & petulantia, manuum complosio, & brachiorum cōcitata motio omnino inepta. Quid vultus illa contortio, quam vitiosa? quid risus profusio, & cachinni pene singultantes quam turpes? quid capitis cū ceruice quassatio, quā vulgaris? pene dixerim, equis hinnientibus magis conueniens. In oculis quoq; non paruam natura posuit motuum animi declarationem. Quamobrem ab eorum motionibus omnis erit abijcienda leuitas atq; impudentia: & cum nulla corporis pars vacare debeat continentia, oculos maxime oportet principem habere continentes; nihil fœdum, varium, crudele, inuidum, vanum,

in

Digitized by Google

in illorum appareat motu atq; obtutu, nihil in ſupercilijs, nihil in fronte.

Veſtitus quoque & totius corporis ornatus aptus & decens, multum conferet & ad retinendam & ad augendam, quam dico, maieſtatem: quem etſi mutari oporteat, pro locis, negotijs, cauſis, ætatibus, temporibus; non enim idem eſt ſenũ, qui & iuuenum: idem belli, qui & pacis: idem aduerſis, qui & ſecundis rebus: idem in iudicijs, qui etiam in ſpectaculis: danda tamen eſt opera, vt nos & vbique & ſemper ij ſimus, quos eſſe conuenerit: neu inter triumphantes pullati, in funerum vero pompis ſericati, diuerſicoloresq; incedamus. Vtinam autem non eo impudentiæ peruentum eſſet, vt inter mercatorem & patritium nullum ſit in veſtitu cæteroq; ornatu diſcrimen. Sed hæc tanta licentia reprehendi poteſt, coerceri non poteſt: quanquam mutari veſtes ſic quotidie videamus, vt quas quarto ante menſe in delicijs habebamus, nũc repudiemus, & tanquam veteramẽta abjiciamus. Quodq; tolerari vix poteſt, nullum fere veſtimenti genus probatur, quod aliunde non fuerit, adductum, in quibus leuia pleraq; in pretio ſunt.

Sit igitur cultus, qui dignitatem augeat, nõ formam venuſtet, licet forma ipſa de cultu plurimum capiat adiumenti, ac nonnunquam etiam quæ inſunt è natura vitia, cultus acceſſione aut minuantur aut contegantur. Sed quo pertineat muliebris & in adoleſcente & in ſene cultus, nimiaque in comando diligentia? quis probet contortos in annulum capillos, & ad humeros vſque deiectos? quis non horreat prominentes in collo aut brachijs ſe-

tas: quanquam hæc quarũdam nationum propria sunt. E cultu enim venustatem quærere, mulierum est; horrorem autem, barbarorum.

Porro cum duo tantum sint, quibus ab animãtibus cæteris magna cum excellentia differamus, animus & oratio, sitque oratio index eorum, quæ animo aut conceperimus, aut sentiamus, omni arte studendum est, talis vt oratio sit, quæ nihil obscœnum, stultum, temerarium, inuidum, superbum, leue, cupidum, libidinosum, immite, animo cogitationibusque inesse indicet tuis: sed quæ præ se ferat in serijs rebus grauitatem, in iocosis leporẽ vrbanitatemq;, in dubijs circumspectionẽ, veritatem in iudicijs & seuetitatem, in aduersis ac tristibus fortitudinem, in lætis prosperisq; mansuetudinem, facilitatem, humanitatem.

Sint verba rebus conuenientia, quibus etiã accedat vultus, & totius quoq; corporis motus aptus ac decens. Cauere autẽ oportet, ne verba ipsa sint plebeia, aut peregrina, aut militaria. Plebeia namque sordida sunt & ridicula: peregrina licet interdum nouitate ipsa placeant, tamẽ non sine dicentis audiuntur reprehensione: in militaribus vero inest temerarium nescio quid & inconditum.

Ipsa tamen oratio sit minime cõcitata aut trunca; lenem esse cupio & fluentẽ, quæq; simplicitatẽ quandam indicet, &q velit, paucis, apte tamẽ colligat: quanq̃ nonnunquam res ipsa exigit, vt impetum faciat oratio, & tanquã manũ conferat, ac nũc feriat, nunc minetur Sed quoniã nõ sine quibusdã iræ stimulis, & concitatione animi vehementiore fieri hoc potest, quandocunq; continget, vt in dicen-

cendo reprehensorem obiurgatoremve agere necesse sit, quoad fieri possit, obiurgatio ira vacet: quæ vbi est, maiestas nullo modo retineri potest.

Vocem nobis ipsa natura nascentibus dedit, cui tamen ex arte non parum accedit adiumenti, maxime autem probatur clara & suauis, nec languēs, nec canora, quam tamen nunc demittere, nunc tollere, proq; affectibus animi aut inflectere aut mutare oportebit, vt non solum rebus verba, sed vox quoq; vtrisque conueniat.

Latissimus sane se hic offert campus & ad disserendū & ad præcipiēdū. Posset enim hic dici, qualē conueniat esse in cōuiuijs principē, qualē in ludis, qualem in ceremonijs, qualē in iure dicundo; insuper qualem eius regiam esse oporteat, aut quib. instructam ornamētis, apparatibusq; & si quę sunt alia; quia verò ista nō paucis aliquot paginis possent comprehendi, sed iustum volumen requirerent; proinde omissis superfluitatibus, contentusq; his, quæ iam dicta sunt, ad alia progredior. Poterit tamen lector, plura de hac re cognoscendi cupidus, caput nonum huius libri his adiungere.

CAPVT V.

De arcanis & taciturnitate.

QVi arduis & serijs negotijs ad bellum aut pacem attinentibus adhibetur, ei nihil æque est necessarium, quam taciturnitas. Hæc enim consiliorum successus largitur felicissimos: qui alias detectis deliberationibus varie impediti multis difficultatibus inuoluerentur. Quemadmodum enim cuniculi

sub

ſub munitionibus acti atque puluis tormentarius in magna quantitate admõtus, ni hoſtibus prodãtur, magnum habent momenti ad expugnandas munitiones; ſecus vero ſi prodantur: eodem modo arcana principum conſilia, quandiu apud multitudinem ſilentio ſupprimuntur, facile in effectũ deducuntur: contra vero vbi iuſto citius diuulgãtur, fine ſuo defraudata difficilime conficiuntur. Aut enim hoſtes aut inuidi contraueniunt, rationes quibus illa eludant vndiq; conquirentes.

Magnus dux Coſmus Medices vir ſapientia & prudentia celeberrimus, plurima ex parte imperia gubernari & conſeruari taciturnitate duxit.

Modus autem optimus arcani celandi & tegẽdi eſt, ſi cum nullo hominum communicentur. Hoc autem cadit in principes, qui tanto ingenij acumine tantaq; rerũ peritia valent, vt quid facere, quid omittere oporteat, ipſimet ſecum cõſtituere poſſint. Quo nomine Antigonus Aſiæ rex commendatur. Percontanti enim aliquando filio, quando caſtra moturus eſſet? iratus reſpondit: Quid? Tune ſolus metuis, vt ſonum tubæ non animaduertas.

Similem huic fuiſſe Metellum Macedonicum accepimus. Interrogatus enim, quid de bello Hiſpanico conſtitutum haberet? Sufficiat tibi, inquit, id ignorare. Si enim aliquid eorum, quæ animo iam concepi, interulæ cuti meæ quam proxime adhærenti, innotuiſſe vel cogitarem, mox exutam igni addicerem. Petrus de Arragonia papæ Martino IV. interroganti ad quid inſtructiſſimã illam claſſem apparaſſet, idem dedit reſponſum: Gallis autem Siciliam taciturnitate illa ademit.

Quod

Digitized by Google

Quodsi vero omnino princeps, rei difficultate ita exigente, per se ipse commodum consilium inuenire non queat, proindeq; vt cum alijs deliberet, opus habeat, non tamen multos huius consilij faciat participes. Nihil enim, cuius plures conscij sunt, diu occultum manet. Inter duos tutissimum est silentium, at si tertio committatur, non vacat periculo.

Quoniam vero consiliarij, legati, secretarij, exploratores ad arcana adhiberi solent; est vt hisce munijs præficiantur, quorum fides in tacendo, integritas in iudicando perspecta est.

Huc etiã pertinent dissimulationes. Ludouicus XI. rex Galliæ censebat, dissimulationibus in gubernando plurimum esse tribuendum. Imperator Tiberius de nulla re magis, quam de cauta dissimulatione, quo in genere excellebat, gloriatus est.

Hoc autem voco dissimulare, quando præ nobis ferim⁹ arcana à nobis ignorari, neq; curari, cum tamen sint perspectissima: vel cum aliquid agendo aliud agere videmur. Quia vero dissimulationi è regione quasi opposita est iracundiæ vehementia: boni principis est, hunc affectum apprime moderari, ne in verba erumpat, aliave signa & iudicia edat, quibus animi sensa aliis aperiri queant. Alfonso Calabriæ duci, in Lombardia contra Ferrarienses arma mouenti sæpius excidit, velle se Neapolin reuersum sumto de quibusdã supplicio collapsum regnum restituere, & ad pristinum statum reuocare. Verũ hoc cognito omnia imperij membra ad seditionẽ & rebellionem sunt extimulata. Passerinus, Mantuę præsul, nonnihil aduersus Ludoui-

douicũ Gonzagam minas iactarat, sed præuentus vna cum filio trucidatus minarũ pœnas luit. Frãciscus Orsus Foriulienſis, comitem Hieronymum Riarium, q̃ comminatus esset grauiora, in proprio cubiculo trucidauit. Minis itaque abstinendum: Arma enim, quibus minamur, vltro porrigimus.

CAPVT VI.

De principum & illustrium consiliis, qualia debeant esse.

SVPRA consiliorũ mentione facta, non potui, quin hoc in loco de ijs eorumq; natura prolixius aliquanto differerem.

Non est principis, calliditatem, sed sapientiam & prudentiam præ se ferre. Prudentia enim virtus est, legitima & apta media, quibus ad exitum propositum perueniatur, inuestigans. Quamuis autem calliditati idem finis sit propositus, tamen à prudentia differt. Hæc enim in delectu mediorum cauet, ne quid inhoneste aut indecore faciat, honestatis quam vtilitatis obseruãtior. Illa autem cæteris neglectis solam vtilitatem spectat.

Non sunt magni habenda consilia, quæ multis subtilitatibus sunt intricata. Quo enim spinosiores & acutiores sunt consultationes, hoc exactiore & subtiliore egent administratione, quæ tamen sæpius cadit infeliciter. Velle enim seria & sublimia consilia exequi, cautam admodum requirit circumspectionem: vnde etiã multis casibus subiacent. Quemadmodum vero horologia maiore industria & artificio fabrefacta citius atteruntur & fallunt, ita consilia & deliberationes, quib. nimiæ subtilitates pro fundamẽto sunt, tandem subuentaneæ euadunt. Neq;

Neq; illa adeo magni pretij consilia sunt, quæ ostentationẽ & pompam, magis quã rẽi gerendæ felicitatẽ præ se ferunt. Pleraq; enim cum infamia & damno sunt cõiuncta. Tale fuit consiliũ Antiochi Magni, cum Macedones, qui in acie confligẽtibus rege Philippo & Quinto Flaminio cecidetant, solenni pompa rerumq; ostẽtatione sepeliri curauit: quo facto non tantũ populi fauorem à se auertebat, verum etiã regis animũ sibi àlieniorem reddebat. Vnde Liuius: Reges sæpissime sua natura tam leues sunt, vt sæpe suscipiant consilia opinione quidem speciosa, sed euentu vana. Multo minus approbanda sunt consilia, quæ vt sunt ampliora, ita infinita quoque complectuntur: quorũ expeditioni neq; opes, nec vita, nec potentia sufficiũt, quæq; media desiderant, quæ assequi nunquam valemus. Eiusmodi consilia impensius tractauit imperator Maximilianus. I. Periculosa sunt & illa, quorũ audacia & temeritas insignis est. Tametsi n. primo aspectu à forti & magno animo profecta videãtur, felicemq; successum polliceãtur: paulo post tamen maximum & inopinatum negotium faceſſunt, adeoque longe alium quam pleriq; opinati fuerunt, sortiuntur exitum.

Omissis itaq; cõsilijs, quæmodo dictis circumstantijs obnoxia sunt, alia incunda, quæ expedita, quæ salubria sunt. Studiose hoc vbiq; factitandũ est: Excipere tamen licet, vbi cum hoste cõfligendum est, tum, n. iactura rerũ aliqua facienda est, vt virtus nostra hosti fiat conspicua: potissimũ autem primo conflictu hoc periclitari conuenit, Nam *Audentes fortuna iuuat.*

Quod

Quod ſi tuenda & vindicanda ſint, quæ antehac ne poſſedimus, aut alio modo noſtris adiecimus,tum ſane princeps extremam aleam periclitabitur. Incredibile eſt,quam principib. potentioribus lenta conſilia cõueniant. Maius enim impendendum eſt ſtudium in re ſuâ conſeruanda, quam augenda. Expedita conſilia in ijs laudanturt, qui imperij amplificandi quam conſeruandi ſunt ſtudioſiores.

Quamobrem iudicaturi de conſiliorum bonitate, tam exercitationem& peritiam, quam meditationes ingenioſasque inuentiones perpendere debent: neq; contemnere & faſtidire exercitati & periti viri iudicium: magis laudantes, quæ à ſapientibus& multiiuga eruditione prçſtantibus promanant. Inquit enim Ariſtoteles, exercitati viri iudicium æquiualere iudicio eruditorum.

Hoc nomine, ſemper ſuſpectæ fidei nobis ſunto artes nuper inuentæ, recens extructæ: niſi earum bonitatem experientia rerum magiſtra euidenter oſtendat.

Cæterum cum hæc duo capita de conſiliarijs conſilijsq; vberiorem fere requirant tractationé, placet, aliquid amplius de ófficio conſiliariorum deq; delectu conſiliorum hic annectere.Principio itaque prudentis viri, ac propemodum conſiliarij proprium peculiarisq; illa eius commendatio eſt, bene vtiq; vt conſulat. Bene autem conſulere nemo poterit, niſi omni ex parte res ipſas negotiaq; de quibus conſultatio ſuſcepta eſt, perſpecta animo,atq; vndique animaduerſa habuerit, probeq; conſiderata;niſi ipſius quoq; conſultantis nouerit ex-

expenderitque ingenium, vires, facultates, opes. Nam ratione alia consulere, quinam bene ac prudenter poterit? oportet enim consilium esse bonum, vtq; ipse tum sibi tum alijs bene consulat, siquidem prudentem virum bonum quoq; eundem esse volumus. Nam & prædones & sicarij recte quidem consulere atq; è re ipsa flagitijs patrandis consueuere: bene autem consulere nullo modo, sunt enim flagitiosi ac maxime improbi. Nam etsi quod bene, idem recte; non vbique tamẽ quod recte, idem quoque & bene. Itaq; peruersis in hominibus deprauatisque in ingenijs, ad patrandum flagitium, rectum inesse atque accommodatum potest consilium. Ideo autem rectum, quod facinus ipsum ad exitum, quem sibi in animum induxerãt, recta perducant via: bonum autem quomodo? cum finis ipse sit maxime turpis, ac summum in modum detestabilis, sintque improborum ac sceleratorum hominum corrupti mores, deprauata mens, impurus atq; inquinatus animus, voluntas à bono honestoque penitus auersa ac detorta: Qualia tyrannorum sunt consilia cogitationesq; à bono honestoq; tantopere abhorrentes. Quo fit, vt bene consulere nequaquam possit, cuius animus aut dolore teneatur, aut voluptate præsertim nimia: prudenterque apud Salustium Cæsar, qui de rebus consultent dubijs, ab odio, amicitia, ira atque misericordia oportere vacuos esse censet. Etenim affectiones illæ, quæ à bono honestoque consulentem detorquent, vel à dolore excitantur, vel à voluptate nimia, pessimis hominum consiliarijs. Voluptas enim animi

vires sic eneruat, vt nihil nisi languidum, muliebre, & tanquam euiratum, aut sentire patiatur, aut consulere.

Porro, quisquis bonum consilium aut ipse sibi capturus est, aut alijs daturus, oportet eum plurima circumspicere, loca, tempora, personas, rerum præsentium statum examinare, eorumque simul omnium delectum habere, facultates, clientelas, opes expendere, præterita diu multumque in animo vertere, eaque præsentibus conferre, & tanquam in trutina componere: quibus compositis, & quod prudentis est æstimatoris, omni ex parte examinatis, de agendi modo rationeque præcipue solicitus erit, totusque in eo versabitur, vt non solum, quid sequendum sit, sed qua illud via sequendum, vtque & quid deceat, quid etiam oporteat, & quantum quoque & quousque oporteat, in scapulo ipso probe perpensum habeat.

Ad celeritatem autem consiliorum maxime confert natura, inditumque ab illa ingenium; ad maturitatem vero perfectionemque vsus ipse rerumque multimodarum plurima exercitatio, quæque in ore est hominum, experientia. Quid quod probatum consilium, senile idem dicimus, quod videlicet plurima senes experti sunt: contra vero, quod præceps ac male consultum, iuuenile, quando iuuenes ipsi & parum omnino experti sunt, & ætas illa affectibus intemperantioribus maxime est subiecta. Quocirca in consultandis apud Homerum rebus primæ partes propter ætatem ac rerum vsum traduntur Nestori.

Digitized by Google

Nestori. Econtra vero iuuenilia ac præcocia consilia, quæ feruore potius quam maturo iudicio suscipiuntur, passim apud auctores male audiunt, ac rarissime speratum sortiuntur exitum. Quemadmodum enim, vt inquit Lemnius, in omni stirpium genere ac fructibus obseruamus, serotina diutius asseruari, quæ vero festinantius matureſcunt, flaccida fieri, ac putredini obnoxia. Celerius siquidem occidit festinata maturitas. Sic actiones & consilia præcocia non absque dispendio parum diuturna, & vt plurimum pernitiosa esse cernimus. Merito igitur reprehenditur eorum inscitia, audacia vel insolentia, qui res arduas præcoci & temerario ausu suscipere & perficere satagunt, neque prius prudenti deliberatione habita perpendunt, qualis euentus expectandus sit. Quamobrem prudens est Annibalis apud Liuium oratio, vbi ita dicit: Quodsi in secundis rebus bonam quoque mentem darent dij, non ea solum quę euenirent, sed etiam ea quę euenire possent, reputaremus, &c. Verum enim vero plerunque fit, cum vni incommodo, in quod sua imprudentia inciderunt, mederi volunt, vt in alia multo atrociora incurrant, & dum vnum aliquod malum intempestiue tollunt, pluribus malis ex eodem fluentibus sese inuoluant. Idipsum Senecæ non ignotum fuit. Negotia, inquit, quædam abrumpi quidem posse, explicari non posse, quod negotiũ ex negotio seratur, & occupationi occupatio, velut vnda succedat vndæ. Siquidem facilius nihil est, quam cõmentitio prætextu turbas excitare, & stabilita cõuellere: verũ turbata &

labefactata in tranquillum ſtatũ reſtituere, hoc opus, hic labor eſt. Vnde accidit, vt mox pœnas temeritatis, cum proprio aliorumq; magno incõmodo, ſæpe etiam exitio, dare ſolcant. Pręterquam. n. quod vniuerſæ Reip. ingens detrimentũ inferunt, etiam ipſi non ferunt impune. Etſi enim aliquandiu à priuatis calamitatibus ſunt immunes, Sera tamen tacitis, vt inquit Poëta, venit pedibus pœna. Id quod prudenter admodum Cominæus lib. 10. his verbis innuit, inquiens: Quando principes eorumque familiares aut ciuitates aliquid delinquunt, quis de ea re quæſtionem habebit? & habita quæſtione quis ad iudicem deferet? quis iudicis perſonam ſibi ſumet? quis pœnam conſtituet? Certe, querimoniæ & lacrymæ miſerorum hominum, quos crudeliter vexarunt; item viduarũ & pupillorum gemitus atq; ſuſpiria, quos parentibus atque maritis inhumane ſpoliarunt; breuiter, eorũ, quos afflixerunt & fortunis omnibus denudarunt, lamentationes atq; plangor erũt accuſationis loco, quam illi coram ſupremo Dei tribunali ſiſtent, qui magnitudine ſcelerum offenſus, non ſemper concedit diuturniorem impunitatem, ſed illos aliquando verberat præſentibus pœnis, ita quidem euidenter ac clare, vt dubitari nõ poſſit ipſum eſſe iuſtiſſimũ impietatis noſtrę vltorem. Et paulo ante dicit: Quodſi certo ſtatueremus, eſſe Deũ qui ſcelus nullũ ſinit impunitũ, eſſe perpetuas & ſempiternas pœnas, quib. affliguntur impij; credibile eſt, neminẽ fore, qui violenter aut auare, vel crudeliter aliquid ageret, &c. Sane fieri non poteſt, quin interdum etiam optimi principes,

Digitized

pes, vt nunc est rerum status, inique aliquid agant, etiam inuiti; similes fere rectoribus nauium, quos tempestas sæpe à vicino portu in remotissimos scopulos nolentes trahit: sedulo tamen ipsis eo adnitendum est, vt quoad eius fieri potest, omnia agant deliberate ac cũ iudicio, ne temeritatis notã incurrant, neq; per præcipitationẽ, quæ imprudẽtiæ cognata est, aut impetu animi defectuq; cõsilij agere dicãtur. Plerumq; enim praua & temere suscepta consilia duri & infausti rerũ exitus è vestigio consequuntur. Ob hanc causam D. Ambrosius, cũ olim apud Thessalonicam seditio esset exorta, & Theodosius Imp. ira incensus, ex improuiso plebem apud ludos congregatam à militibus obtruncari iussisset, persuasit imperatori, vt in omni pœna capitali sumenda, spatium triginta dierum interponeretur, à lata sententia ab imperatore, ne is impetu & furore illa faceret, quorum etsi postea eum pœniteret, ea tamen non possent amplius emendari, & hac ratione locus misericordię vel pœnitentiæ non periret, de qua historia vide Sozom. lib 7. cap. 24. August. lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 26. Iis autem, de quibus diximus, accidit simile quiddam ei, qui in equum conscenderat furentem. Raptans enim illum ferebat equus; at hic non magis equo currente descendere potuit. Et quidam obuiam factus interrogauit eum, quo abiret? ille vero inquit: Quo isti placet; demõstrans equum. Et eos siquis interroget, quo ferimini? vera volentes dicere, respondebunt simpliciter quidem; quo cupiditatibus placet: in parte vero, quo quidem voluptati, aliquando autem, quo gloriæ,

aliquando vero rursum lucri auiditati: aliquando vero ira, aliquando vero metus, aliquando vero aliud quid tale eos euehere videtur. Atque hoc mouit Cominæum, vt reprehendat principes, qui cum auctoritatem summam Dei beneficio teneant, officio tamen suo desunt. Iis sane (inquit lib. 9.) qui furore & amentia quadam vexantur, exprobrari nihil potest: qui autem ingenio non sunt destituti, & commoda vtuntur valetudine, ij minime deplorari debent, quando per ignauiam & ocium in calamitatem aliquã incidunt. In quam sententiam etiam Polybius li. 2. hist. inquit: Si quos in grauiorẽ aliquẽ casum fortunæ sæuitia deductos intelligimus, non solum misericordia prosequimur, sed quantum in nobis est, veniam opemq; præstamus. Quos vero per imprudentiam aut peruersitatem suorũ sibi malorum auctores cognoscimus extitisse, reprehendimus, culpamus atq; odio habemus.

Porro eius, quod antea dixim⁹, praua & temere suscepta consilia duros & infaustos rerum exitus plerunq; consequi, vnicum duntaxat è multis proferemus exemplum, quod nostra memoria accidit. Cum quidam princeps, rerum successu momentaneo ferox, arcem quandã nobilis cuiusdã aliquantisper obsedisset, quæ certis conditionib. (inter quos præcipua fuit, vt præsidiarijs potestas discedẽdi libera & tuta concederetur) in potestatem eius tradita est. Euenit autem, cum ipse cum exercitu eam intrare vellet, vt vnus inter præsidiarios ex quadam summa arcis turri, nescius adhuc, q; cum hoste pactũ & transactũ esset, emisso

tor-

tormento maiusculo, quendam nõ procul à principe equitem interficeret. Quo facto is ita excanduit, vt non habito respectu reliquorum præsidiariorum, quibus inscijs cædes ista facta & liber aditus permissus fuerat, eos omnes, vna cum parocho, proximæ arbori, in qua huic tanquam honoris causa supremum locum tribuit, plane contra leges militares, & inter Germanos antea inaudito exemplo, suspendi iusserit. Etsi autem plerisque ex consiliarijs principis & militaribus viris hoc tam præceps & crudele factum displiceret & secum tacite id detestarentur, tamen veriti principis iram, cuius alioquin adeo potens nõ erat, non ausi sunt palam contradicere. Verum accidit, vt mitigato paulo post in principe feruore animi, ipse & alij non sine indignatione tam triste spectaculum, optantes facta infecta reddi posse, abominati sint. Et mox experientia demõstrauit, omnia eius & suorum consilia & actiones deinceps infaustas cum sua & multorum pernicie fuisse, donec obæratus & extorris, non vsitato morbi genere, inter acerrimos cruciatus extinctus fuit. Eandem fortunam assectæ eius & suasores scelerum pleriq; experti sunt. Etenim nemesis & interfectorum sanguis eos tamdiu persecuti sunt, donec & ipsi misere perierunt. Vsque adeo vera est illa sententia, quã sæpius in ore habuit Ludouicus XI. rex Galliarũ prudẽtissim⁹: Dedecus & detrimentũ esse comites ac veluti pediſſequas superbiæ & temeritatis. Cui⁹ etiã rei exemplũ apud priscos auctores habemus in Crœso, potẽtissimo rege Lydię. Cũ. n. is in suo florẽtissimo

regno ocij impatiens esset, & bellum Cyro regi Persarum, absque vlla legitima causa, sed tantum prosperitate rerũ & luxu superbus, inferre vellet, ob eamque causam legatos ad Delphicum oraculum, dissimulato habitu & vnde venissent, misisset, tandemque exposita vera legationis causa ambiguum atque anceps tale responsum retulissent, nempe:

Crœsus Halyn penetrãs magnam peruertet opum vim,

quod quidem oraculum pro se ipse exposuit, sibique omnia fausta polliceri arbitratus est. Sed bellum longe aliter successit. Ipse enim Crœsus à Cyro deuictus, ac regno exutus in potestatem Cyri venit. (Obiter autem hic memorare haud indignum arbitror id, quod Suidas de hoc bello scriptum reliquit, Danielem nempe ex prophetia Isaiæ Cyro indicasse, eum victorem fore, hocq; cum accidisset, Cyrum ideo Iudæos ex captiuitate Babylonica domũ remisisse.)Ob eam rem prudẽs est admonitio Pauli Æmilij apud Liuium: In secũdis reb. inquit, nihil in quenquã superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cũ quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir est, cuius animum nec prospera flatu suo efferet, nec aduersa infringet. Populumque Romanum, inquit Asdrubal Hœdus in senatu Rom. apud eundem Liuium, eo inuictum esse, quod in secundis rebus sapere & consulere meminerit.

Porro præcocia illa ac iuuenilia consilia non incommode conferri possunt infantibus, qui nec-dum pedibus firmiter insistere valentes, festinanter tamen progredi conantur, dumque tam festi-

no impetu temere ferũtur, ex improuiſo collapſi ruunt. Pari modo cõſilia iuuenilia, cum nondum ad iuſtam ætatem maturuerunt, facilem patiũtur ruinam. Ac ſane hæc ſimilitudo in ſingulis fere partibus ad intelligentiam hominis imperfectam & (politice loquẽdo) perfectam quadrat. Quemadmodum enim infantes, cum nec erigere ſe, nec recti poſſunt progredi, propter membrorum imbecillitatẽ ac teneritudinem, nunc manibus quidem ſimul ac pedibus humi reptant, aut vtraque manu ſcabello innixi pedes ſenſim mouent: nunc vero nutricum manibus ſuſtentati, ac blanditijs illecti, paſſus pedetentim protendunt, donec robuſtiores facti, ſoli iam ac ſine adminiculis, externoque adiumento inambulant: poſt vero & ſaltant & currunt, ac modo lenti incurrunt, modo feſtinanter progrediuntur, eſtque eorum pro arbitrio nunc citus nunc tardus inceſſus. Eadem ratione mens pauxillatim ipſa perficitur; principio enim debilis plurimumque imbecilla, antequam eius confirmata ſit vis, maneantque ſuo in robore, quæ in illam ſenſus, obſeruationes, animaduerſiones, vſusque congeſſerunt (inde enim videtur mens dicta) nititur coniecturis, exemplis, aliorum monitis, inſtitutis, iudicijs, poſt diu multumque agendo exercitata, exercendo plurima diuerſaque experta, ac cogitando, veſtigandoque commenta, ſecumque eadem ipſa cum ratione verſans, dimetiensq;, & in vniuerſum & per partes circumſpecta efficitur. Itaque conſultandis rebus, peragendisque negocijs, quæ initio inopia laborabat, copia dein affluens ſummaque vber-

rate,robusta iam, cogitationibusque per se validis, atque vsu diuturno se offerentibus, ea explorat consilia,talia perquirit media, cõminiscitur q; progressiones,cunctaque inter se ita & componit & aptat, & ad fidem agendo dirigit,vt voti tandem compotem agentem ipsum efficiat, ac decurso recte spatio perducat ad metam. Inde,quod peregre proficiscentes seruant,vt interrogent qui obuiam fiunt, de itinere, de viarum errore, de qualitate profectionis, deq; alijs,quæ susceptum ad iter facere intelligunt;secum ipsa quę offeruntur, considerat,confertque inter se,cunctorumq; & simul & seorsim rationem habet, ratiocinaturque & discutit singula, & perspecta examinat, suspenditque tanquam in trutina, vtiturque in cunctis publice priuatimque rationis ope ac præsidijs: qua dictante, pro rerum ipsarum qualitate ac natura,easdem & in vnum colligit,& collectas secernit, & secretas distinctasque quibus modis, qua mensura, quo ordine tractandæ sint ac metiendæ, qua etiam via ducendæ sint, deliberat. Demum refrigerata inuentionis opera compositisque disceptationibus, maturataque consultatione,adhibet sese in consilium mens, regulaque ratiõnis comprobata, sententiam suam profert, deque singulis & particulatim iudicat & vniuersim decernit; dictatque quid sequẽdum sit, quid contra fugiendum,& docet qua via sit progrediendum, quibus etiam vestigijs inhærendum, & admonet temporis,personæ,decori,quæ retinenda in singulis sit mensura, quis ordo adhibendus ac modus, & tãquam gubernatrix ac nauis temonem

nem temperans, cursum dirigit in portum, quoq; pluribus etiam oculis vtatur ac manibus, prudentiam assumit sociam, eamq; sibi vicariã substituit.

Cæterum prudentiæ laus cõsiliorumq; promtitudo nullatenus in adolescẽtes cadit. Etsi enim quidam à natura magis quã ab institutione & vsu in primo adhuc ętatis flore, sagaces & solertes cõspiciantur, quatenus tamẽ solertia & sagacitas illa in astutiã & calliditatem adeoq; ad fraudem declinat, prudentiæ nomine haudquaquã insigniri meretur, nec eius ancillas ac subministras esse volumus; quamuis si solertia, si sagacitas, si celeritas illa mentis, si tarditas, ratione fuerint atque inter agendum modo mensuraq; temperatæ, prudentiæ à famulatu videantur nullo modo repellendæ. Tum enim celeritas in maturitatem vertitur, sagacitas in prouidentiam, ac bonam illam & maxime paratam ad præsentiendum beneque cõsulendum promtitudinem. Quocirca hoc etiã differt à prudenti. sagacitas, ꝙ ea ipsa prudentia vitæ quidem institutionẽ habet; estq; munus eius docere, præcipere, dirigere: & quid seu sequendũ sit, seu contra fugiendũ, ostendere, perinde ac vel vtile quipppiam dixerit vel inutile; cum sagacitas promtitudine tantum contenta sit sua, & ad ferẽdum iudicium, & ad præsentiendum. Cumq; laus omnis in vsu consistat, qui plurima experti fuerit, plurimam is laudem prudentiæ feret. Qua ẽ re nõ dubitauit Aristoteles dicere, oculũ esse prudẽtiæ experientiam, nec minus inhærendum esse eorũ, qui in actionibus cũ laude consenuerint, probatis sententijs dictisq; quã illorũ demonstrationibus,

qui

qui procul ab actionibus vixere ciuilibusq; negotijs, remoti à rerum vsu. Namque vt à natura sapiens est nemo, tametsi & sagaces & solertes existunt quamplurimi: sic nullus etiam natura ab ipsa prudens, quando is habitus exercitatione comparatur, rerumque humanarum vsu. Quo fit vt prudentiæ latus omnis in senib. consistat quammaxime exercitatis. Quæ res indicat, intelligentiam cum ætate simul proficere, hoc est, diuturnitate & vsu. Atq; vt intelligẽtia ipsa, mensq;, mẽtisq; ipsius ratiocinatiõ, principium est & causa actionũ quarumcunq; nostrarũ, sic etiam finis eadem est atq; cõprobatio. Quæq; fructuum in arboribus est maturitas, ea in senibus quam exercitatissimis prudẽtia est, agẽdiq; absoluta maximeq; spectata perfectio. Nam pueritiæ flores quasi quidá sunt, & in adolescentia cruda & acerba omnia, cuius vlus sunt nulli, & affectiones ipsę male temperatę, atq; ob dolorem aut voluptatem plerunq; præcipites, aut nimiũ omnino remissæ. Itaq; adolescentia docta quidem esse potest, ac multarum etiam literarum gnara: quippe cũ adolescentulorum ingenium & feruecat, & laudum flagret cupiditate, ac literæ ipsæ, doctrinæq; ingenio tantum comparentur. At prudentia solum vsu, qui in illis est nullus: & annis, qui in iuuenib. quidẽ florent, minime vero in ijs matureſcunt. Cõmendat ab ætate quoq; eloquentiã Cicero, inquiẽs: Cum oratio nostra iam canèscceret: quã in ætate illa iuuenili exuberantiorem fuisse quãdoq;, senex ipse iam intelligebat. Pensitatio. n. ipsa rerum, quæ iudiciũ dirigit, quæ consulendi gignit rectitudinẽ, senum atq;

Digitized by Google

atq; experientium hominum est propria. Optimũ itaq; in pueris atq; adolescentib. futuræ prudentiæ signum, si senum ipsi vestigijs inhæreant, cõsilijsq; innitantur, atq; in illorum admonitionibus acquiescant.

Porro cum ad prudentiam, quæ & ipsa multiplex, triplex tamen fere est (aut enim est domestica, aut ciuilis, aut legalis) multa requirantur, ipsi igitur requisita, quæ tanquam administræ ipsam sequuntur, eiusq; comites virtutes, sigillatim, sed tamen breuiter explicabo. Prima itaq; prudentiæ vis & quædam quasi comes affertur, consideratio, quæ est persistens quædam animi pensio, assiduaque cogitatio rebus in ijs, quas mens ipsa sibi perpendendas atq; animaduertendas proposuit. Atq; hæc, cum assiduam & persistentem præseferat, & à nomine & à reipsa cogitationem, ab electione quidem ipsa ad finem vsq; constantissime officium præstat suum, singulas non res modo negotiaque, verum loca, tempora, personas, fortunam, casus, repentina etiam quæq; perpendens, nihil incogitatum relinquens, aut inanimaduersum, quod in re esse ducat: nullo etiam modo commissura, vt dicendum sit, quod inconsideratorum est hominum, Non putaram: quo vitio qui laborant, merito inconsiderati dicuntur. Qui igitur agendis atque administrandis rebus, consideration vbique, atque vt par est, suam adhibent, hi sunt quos consideratos non modo iure suo dicimus, verum etiam admiramur, quosque labi, errare, decipi posse vix vllo modo existimemus.

Secunda

Secunda prudentiæ virtus sequitur, prospicientia, quę alio ac maxime noto nomine dicitur prouidentia. Hæc in aduersis prosperisque æque versatur rebus, commodis etiam atque incommodis prospectandis ijsq; etiam prouidendis. Atque vt auertendis damnis, sic etiam inuitandis compendijs. Non solum enim diuersissimas res acutissime dispicit, verumetiam & consulit, & consilio addit operam. Quæ autē sit eius opera & quæ vis, agriculturæ studiū cumprimis declarare nobis potest. Prudens enim ac probatus agricola, iacto statim semine, fila suspendit, paxillis quasi irretiens sata, quo auiculas deterreat à pastu. Nam & auium noxiam vim ante videt, & quib. eam artibus propellat, confestim prouidet. Idem pecudes quo arceat à pauperie, sepem satis intendit, quod nomen à sapiendo, hoc est, prouidendo deductum est, quod sepire agros & vineas, sit datum sapientiæ rei rusticæ studiosis. Quoq; imbres ab obducendis lacunis prohibeat, fossas ducit, atq; emissaria, nunc manu nunc rastris nocuas euellit herbas: nihil denig; quod nocere possit, non antecernit, nihil omittit quod collaturum aliqua ratione intelligat. Itaque virtutis huius laus ac munus est, cum prospiciendo ante aggrediendam rem, tum remedia adhibendo, ne aut consilio vlla sibi è parte desit, aut opera. Atque hi quidem sunt, quos appellare prouidos solemus, ac prospicientes. Tanta autem prouidentiæ admiratio est, & quædam quasi maiestas, vt non regibus modo, populorumque rectoribus attribuenda iudicetur, verum Dijs etiam immortalibus. Differt autem

tem à consideratione, quod illa in animi pendendis potissimum rebus versatur, hæc prouidendis potius & consilio ac re iuuandis.

Cæterum cum turpissimum sit, ad agendum quiduis, accedere imparatum, omnino post electionem, antequam rem ipsam aggrediamur, pro rei suscipiendæ materia ac natura, faciendus est confestim apparatus.

Perinde igitur, vt qui domum ædificandam decreuit, calcem, cæmenta, materiamque aliam prius, quam fundamenta iaciat, sibi apparat: sic prudens elector paratus accedet ad agendum. Est enim non dedecorosum modo, verum etiam periculosum, imparatum offendi nihilque ante præmeditatum. Qualis vero futurus esse debeat apparatus suscepti negocij, natura eius ratioque monstrabit. Refert Cicero, Galbam, insignem illum oratorem, prius quam ad agendam proficisceretur causam, solum eum in cubiculo multa diuque agitare solitum. Nam quantopere apparatus Cicero ipse ad dicendum accesserit, quam multa etiam meditatus, scripta eius manifesto docent. Extemporalitas sed ipsa omni est studio fugienda, quippe quæ & turbare ingenium & stuporem afferre, ac rebus ipsis confusionem est solita.

Porro vtramque & considerationem & prouidentiam comitatur virtus etiam illa, quæ à perspiciendi acumine vocata est perspicacitas; & qui ea sunt prædiți, perspicaces dicti. Cuius principia quidem cum sint in natura collocata (ingenij enim siue dotes siue damna natura ab

ipsa

ipſa proueniunt) diuturnior tamen conſideratio atque perſpicientia illam perficit. Huius autem virtutis eſt proprium, ad abdita penetrare atque occulta, qua è penetratione & conſilia inter agẽdum capiuntur certiora, & quæ ſit rectæ rationis apertius via cernitur. Perſpicax namque Ciceronis ingenium atque cogitatio acumine ſuo ſummaque perueſtigatione maxime occulta Catilinæ conſilia, inteſtinosq; in nobilitatem ac Rempublicam apparatus detexit, qua è detectione & inceptis illius prudenter ijt obuiam, & Rempubl. ſaluam fecit, cum patrum ac bonorum omnium incolumitate ac ſalute.

His inſuper adiuncta eſt etiam circumſpectio, ex eo dicta, ꝙ &ante agendum &in medijs quioq; actionibus omni è parte circumſpicit metiturq; ſingula. Circumſpectorũ enim proprium eſt hominum metiri res actionesq;, & quid ſeruãdum, quid fugiendũ, quid prodeſſe, quid obeſſe, quid cõmodi exoriri poſſit, vel incommodi circumſpicere, quid ſiue conſulto ſiue ex inopinato contingere. Quaq; enim circum & tanquã eminenti in ſpecula circumſpectus vir poſitus, & metitur cuncta, & procul aſpicit, ſeque illis vel aduerſum ire aut obſequi inſtituit.

Cum autem hominũ res omnes rerumq; ipſarum adminiſtrationes in tempore fiãt, & ſuo quidem tempore; tempus ſiquidem ipſum rerum gerendarum non magiſter ſolum, verumetiam adminiſter eſt. Quocirca ſuſcepti negotij permulti agendi celeritatem adhibent, non pauci tarditatem, quæ tameh vacua ſit pigritia. Eaque

ſuo

ſuo nomine eſt cunctatio. In qua excelluiſſe iudicatus eſt Q. Fabius, ſic in illa Iulius Cæſar, quem poſtea rerum geſtarum magnitudo inter diuos retulit. Sunt etiam, qui occaſionem ipſam inter agendum & expectent & obſeruent, neque punctum, vt dicunt, temporis elabi patiantur, quinetiam occaſiones ipſas ſummo ſtudio atque arte prouocant. Cuiusmodi agnoſcitur fuiſſe Annibal, qui intentus ad ſingula, ne minimas quidem occaſiones fruſtra labi paſſus eſt vnquã. Atque vt priores illi tum celeratores dicuntur, tum feſtinatores, & habitus ipſe tum celeritas, tum feſtinatio eſt ſuo nomine: poſteriores autem cunctatores, & habitus ipſe cunctatio: ſic hi non improprie intenti vocari poſſunt, nec minus fortaſſe impigri. Sic Annibal obſeruabat mores conſulum Romanorum, qualitates itinerum ac temporum, rerum ſeu inopiam ſeu copiam, regiones, ſitum, loca, & tanquam in ſpecula conſtitutus motus ſingulos proſpectabat, nonnunquam etiam prouocabat, vt qui ſaxo canes, aut commotis irritant flagellis. Contra Fabius ſedendo ac cunctando omnem illi conſerendæ manus opportunitatem adimebat, iudicabat enim durando ac terendo tempus, fruſtrandos dolos eius atque artes. Cæſar vero non modo tempori occaſionibusque non deerat, ſed & tempus & occaſiones ipſas, ingenio ſimul operaque ſibi præſtruebat, vt non tam nõ deeſſet ipſe tempori, quã tempus ſibi accommodaret, vel in ſua potius iura ac poteſtatem traduceret. Qua diligentia non modo oportunitates ſibi pariebat, ſed (quod ma-

ius est) aduersarijs & consilia præripiebat, & facultates. Fuit non minus ad omnia intentus Scipio, idem temporum obseruator præoccupatorque occasionum, ac præreptor, vbique cautus, vbique perspicax. Qui tamen neque cunctator dici possit, neque præproperus, nunquam vero non paratus ipse, ac siue ad auertendum siue ad fugandum hostem instructus & sobrius. Qui igitur & quales sint intenti, impigrique, qui item cunctatores, rursus qui celeres atque festinantes, iam liquet.

His accedũt insuper, qui proprio nomine cauti dicuntur, quorum duplex est habenda ratio. Eorum vna, qui tantum id vident, ne à recto delabantur ipsi de via digressi. Illorum altera, qui id maxime curant, ab aliis ne decipiantur. Vtrũq; autem prudentis est proprium. Contra vero non in vtroque modo, verum in altero qui peccauerit, merito vt incautus & accusatur & despicitur. Cautorum est igitur non labi, non errare, non decipi, non haberi frustra, nolle contemni, nullo modo rideri. Itaque in omnem vitæ partem & necessaria est cauendi ratio, & iure suo ab omnibus laudatur. Quæ res effecit, vti apud maiores nostros dolus duplex haberetur: & bonus, qui fraudem malasque artes repelleret; & malus, per quem ad iniqua captiosaq;, qui peruerso sunt ingenio, impellerentur. Priorque ille prudentiæ comes est, sequiturque iustitiam: posterior hic fraudis satelles, malarumque artium tum suasor turpis, tum auctor nefarius. Itaque huiusmodi artibus instructi, vt subdoli fallacesque generi ho-

hominum maxime habentur incommodi, quippe qui ad ſuas tantum vtilitates omnia referant, nec ſumma ſine improbitate ac turpitudine.

Quoniam autem paulo ante temporis mentionem fecimus, neque res ipſæ modo, verumetiam tempora maximam ſecum varietatem afferre ſolent: hac è commutatione efficitur, vt nonnunquam in mediis actionibus ſuſceptisque in negotiis mutanda ſit adminiſtrandi ratio. Cuius ipſius proprium quidem eſt, mutare pro tempore propoſitum, aliamque ingredi ſemitam, ac diuerſum omnino iter inſiſtere, & aliud atque aliud agendi adminiſtrandique genus ſequi, quod vel temporis vel rei ipſius natura ſic ferat, aut quod mutati etiam ſint alij, qui parte ex altera negotium denuo ſuſceperunt. Quocirca prudentis eſt, ad omnem ſeſe agendi rationem tum flectere tũ mutare, nouamque pro rebus, locis, temporibus, proque ijs, quibus cum agendum eſt, perſonam induere. Quam adminiſtrandi rationem non improprie minimeque indecenter, etſi minus vſitato vocabulo, verſalitatem, & eiusmodi habitu indutos verſatiles appellabimus. Quam ad rem plurimum etiam confert natura cuiusque atque ingenium. Itaque Vlyſſes ad diuerſas ſeſe facilè accommodabit perſonas. At Cato à ſua illa nunquam diſceſſiſſet, ſeueritati atque conſtantiæ vbique addictus, perpetuoque cuidam adminiſtrandis rebus ferendisque ſententijs tenori.

Oportet igitur quem prudentem eſſe volumus, quoties res ac caſus ipſe tulerit, ſine

leuitate, ſineque dolo malo, mutare eum agendi rationem, talique cum penſitatione ac modeſtia, vt nec leuitatis det ſuſpicionem aliquam, nec omnino fraudis. Eſt enim prudentis ac maxime probati viri, ab omni improbitatis ac vitij ſuſpicione longius recedere. Vtere me, inquit apud Plautum, verſutulus & nequam ille, pro rota figulari. Atque prudentiſſimus quisque pro re ac tempore verſatilis eſt, non tamen vt ab iuſto deflectat atq; honeſti ſemita.

Verſalitati quoque huic affinis eſt ac maxime cognata verſutia, inde dicta, quod plurima ſecum ipſa verſet: nec idem ſentiat animo, quod verbis aut vultu innuat, quin & celat & infirmat ſententiam & interpretatur ſua dicta, variatque propoſitum, nec tam non conſtat ſibi, quam delectatur fraude ac captionibus, vnde etiam verſipelles dicti. Quæ igitur verſutorum ſint artes, mores, ingenia, Comici docent ſerui, quique mercatores inducuntur in Comœdijs. Itaque verſutorum hominum verba ſunt dubia, nulloque modo ſimplicia, promiſſa parum fidelia, fucata perſona, ſolertia malitioſa, ſermo anceps, captioſa oratio, conſilia haudquaquam recta, fictæ admonitiones, demũ in inſidias, deceptionem, illuſionesq; omnino ſpectant, quibuscum parum vtique tutæ ſunt conſuetudines atq; commercia. Non ſolum autem verſutus hoc differt ab eo, quem verſatilẽ diximus, quod fallax, doloſus, veterator, malitiæ omnis artifex, ſed quod verſatilis tantum ſtudet curatque, vt norit, intelligat, ſciat, vſu etiam ipſo comprobet, quid in quaq; rei ac temporis mutatione

tione ſequendum, & quem ſe gerere vbiq; ac pro ſuſcepto denuo negocio debeat. Ille vero vt decipiat, illudat, capiat, ac ſub cauti prudentisq; pſona fallat. Et verſatilis quidem viri laudatur agilitas, quæque etiam dexteritas ſuo eſt nomine, verſuti vero timetur duplicitas. Ille agẽdi modum ac rationẽ mutat, quo melius rem gerat, adminiſtretq; negotiũ commodius: hic ſententiam inuertit, vt decipiat. Quid ꝙ ille ſtat promiſſis, dictisque, hic vertere omnia ſuos in vſus nititur. Atq; vt paucis colligam, verſatiles rationi ſeſe ſtudẽt adiungere. Verſutorũ ſtudium ſequitur animorũ libidines, habendiq; cupiditatẽ, quam vt impleant, mente cogitationibusq; ſuis nihil nõ verſabunt. Proclinare autem in dolum malũ, aſtusq; fallaciſſimos, verſutorũ conſilia, Ciceronis verba hæc indicant: Qui (inquit) verſutos homines & callidos admirãtes, malitiã ſapientiam iudicant. Alio item loco: Prudentia (inquit) ſine iuſtitia nihil valet ad fidem faciendam. Quo enim quisque verſutior & callidior, hoc inuiſior & deſpectior, detracta opinione probitatis.

Porro horum in numero recenſentur illi etiam, qui perditis cõſilijs, vt ſeipſos vlciſcantur, Remp. etia ipſam euertere non dubitant, dum inter medias Reip. ruinas ſoli conſiſtere poſſint; ac ſæpiſſime competitorũ ſententias, tametſi Reip. ſalutares, acerrime oppugnant, & odia priuata ad Reip. exitiũ comparant; vt nihil aliud ferant, quam ciuitati luctuoſiſſimũ de aduerſarijs triumphum. Aliud item genus eſt eorum, qui nec inuidia, nec odio, nec amore cuiusquã ducuntur, ſed ptinacia

quidem ab ea, quam adamauerunt, ſententia, diuelli ſe aut rationibus vllis perſuaderi nunquam patiantur: ac ſæpe argumentorum vi ac multitudine armati veniunt in ſenatum, quaſi ad hoſtes debellandos, ne vel in dicendo peccaſſe, vel ſententiam mutaſſe videantur. Atq; hi, tametſi alioquin polleant plerunq; ingenij acumine, doctrina & eruditione: tamen priuatis & liuidis affectibus ſuis, ambitione quadam & inſolentia ita indulgent, vt actiones & conſilia ipſorum tecta, & inuolucris verborum ambiguis atq; aculeatis, de induſtria, fallendi cauſa contexta, potius eo dirigantur, ac ſpectent, vt ijs, quos verſutia ſua opprimere, quibusve nocere ſtudent, ægre faciant, quã vt aperte ac ſincere animi ſenſus ad Reip. vtilitatem proferant ita vt de ijs recte dici poſſit: Vel inuident, vel fallere conantur, qui obſcure dicunt docentque, ac monſtroſa oratio monſtroſæ mentis certum indicium perhibetur. Atq; hoc genus hominum, ea quæ proferunt & agunt, ideo obſtinate defendunt, non quod illis ea vera & Reip. vtilia eſſe videãtur: ſed quia voluptati eſt, ab illis, qui aliter cenſent, præfracte diſſentire. Ideoque contentionis quam veritatis cupidiores, ſuam ſententiam fucatis coloribus ornatam, pertinaciter ac mordicus tenent, aliorum vero ab ipſis diſſentientium aculeatis dicterijs odioſiſſime, ſuperbis & elatis ſuperciliis criminantur & cauillis ſuis exagitant. Quos etiam Cicero libro primo Off. taxat, dum inquit, peſtem nullam maiorem & capitaliorem eſſe humano generi & iuſtitiæ, quam eorum, qui dum maxime fallunt, id agunt,

vt

vt boni viri esse videantur. Quo congruit, quod alius quoque recte monuit: Vitia virtutis specie, venenũ esse validissimum. Digna itaque vox consiliarij illius meritissimi: Non committam, inquit, vt modestia prouocatus, mea pertinacia commodis publicis obstare videar. Quin omnia mea priuata incommoda & iniurias patriæ remitto; ciuiumq; incolumitate nihil vnquam aut fuit aut erit mihi antiquius. Quo etiam spectat memorabile dictum optimi regis Alfonsi regis Arragoniæ, se videlicet, si vixisset tempore priscorum Romanorum, constructurũ fuisse templum Ioui positorio, in quo, priusquam venirent in senatum patres conscripti, odium, amorem ac priuatos affectus omnes deponerent. Norat enim prudentissimus rex, ferendo iniurias maiorem laudem quam vlciscendo acquiri. Et eos qui iniurias suas persequi volunt, dolori suo, non Reipubl. commodo seruire.

Quo nomine inter alios præclarum encomium Camillus meruit, de quo Liuius ita scribit: Maluit hic tãtus vir patriæ suæ quam suæ iniuriæ memor esse. Quo magis Venetorum senatorum mos laudabilis cõmendandus venit: Ingredientes enim in senatũ priuatas inimicitias & simultates apud D. Marcum solent deponere, vt liberiori & tranquilliori animo de rebus ad salutem Reipublicæ pertinentibus deliberare queant. Huic etiam conuenit votum Friderici III. Imperator. Is enim optare fuit solitus, vt eius consiliarij in palatij vestibulo duas res deponerent, simulationem & dissimulationem.

Digitized by Google

Cæterum,tempus, ac nunc prosperа nunc aduersa quæ accidunt, ipsæ quoq; rerũ mutationes non raro ferunt,vt alibi simulandũ sit, cõtra alibi dissimulandum. Qui mores bonis viris omnino habendi sunt indigni.Namq;in virtute nihil fictũ inesse debet,nihil simulatũ. Tanta tamen interdũ vis est fortunæ,casuum,rerumq; humanarũ varietatis atq; inconstantię,vt pro loco ac tempore,nõ modo simulare aut dissimulare, verumetiam fictionibus vti sit necessarium; idq; maxime honestum existimetur, ac summa etiã commẽdatione dignum: nam & apud Virgiliũ Æneas spem vultu simulat,altũ tamen corde dolorem premit. Ferũt Annibalem cognita repente Asdrubalis fratris cęde,ac totius clade exercitus, composuisse vultũ, risisseque conditionem humanam magis, quam vt dolorem præ se tulisse,aut animi consternationem videri vellet,quo videlicet militum ac ducũ suorum animos confirmaret. Populus Romanus quo tẽpore idem Annibal muris insultabat vrbis, iussit classem cum exercitu in Hispaniam à portu soluere: prudentissime ab vtroq; & pro tempore, ac pro rerũ & fortunæ euentis. Medicus apprime solers atq; industrius, cum ægroto daret operam, qui à phrenitide correptus, cibum nollet capere, quod mortuum se esse diceret, summisit qui sub eiusdẽ insaniæ specie prope illum in lectum collocatus diceret,se quoq; mortuum,exposceret tñ & cibum &potum sibi dari:qui cum afferretur,& ipse sumeret,& tunc alter ille, qui vere laborabat insania, quid hoc,inquit, an mortui comedunt? Et edũt,subdit alter ille sub fictæ personа,& potãt mor-

mortui oēs; atq; hoc dicto, cœpit etiam auentius mandere. Quo exemplo ductus qui ægrotabat; & ego, inquit, de more mortuorum pranſurus ſum. Confeſtim itaq; cibū ſumere cum cœpiſſet, ex eo cōtinuauit & edere & bibere, è medici ſententia. Nec multos poſt dies morbo liberatus eſt, magis prudenti hac illius ſolertia, quam curandi ratione aut arte. Itaque pro rerum humanarum varietate, pro loco ac tempore, tam ſimulare quā diſſimulare quandoque prodeſt ac licitum eſt.

Ineſt autem prudentibus quibusq;, tum vſu ab ipſo, tum etiā ab ingenio, quędam animorū agitatio, quę illos aſſidue ſollicitos habeat, dum verentur, ne quid ſecus quam oportet, decetq;, vel admittatur vel accidat, experti videlicet humanos caſus, ac tum fortunæ inconſtantiam, tum hominum leuitatem. Itaq; prudentiſſimum quemque gerendis in rebus cura hæc maxime vexat, quæ ab animi ipſius commotione atq; agitatu dicta eſt ſolicitudo: laudabilis ſane commotio, dum ne mentem perturbet labefactetque conſilia. Ex hac itaq; animi ſolicitudine enaſcitur poſtea in agendo diligentia illa, quæ cum ſit & temporis & rerum, & actionum ipſarum obſeruatrix, nihil aut omitti patitur aut prætermitti, minime vero remitti, quod ad rem bene, commode, laudabiliterque adminiſtrandam pertinere intellexerit. Nullo autem ipſa modo aut præcipitat operam, aut relabeſcere illam ſinit, elabivę occaſionem è manibus. Minime vero omnium intempeſtiuitate vtitur, aut interturbat adminiſtrationis curſum. Eadem quoq; dū metitur ſingula, diſpenſat

Digitized by Google

tempus, actiones temperat, digerit ipſam ſeriem, nunquam deniq; à ſeipſa recedit, nullo ſibi pacto aut arrogans, aut plus tribuens, quam quod ſuæ ipſius partes ferant. Etenim quæ hodie peruulgata quidē eſt p̄ſumtio, proprio fortaſſe nomine arrogantia, an magis arrogatio, ni Iuriſconſultorū obſtet auctoritas, non caret elatione ac iactantia vel leuitate potius ea, quæ rerum agendarum pernicies eſt quaſi quædam, Non ſolicitari autem, nullaq; antequam agere incipias, neq; poſt, inter agendum cura premi, vel ſtupidi eſt hominis vel maxime inſolentis, vel penitus ignorantis naturam rerum humanarum: quamuis maxima interdum peritia rerumq; plurimarum vſus atq; exercitatio ſecuritatem etiam quandam ingeneret in adminiſtrantium animis. Quibus è vitijs naſcitur incuria illa; quæ merito ſuo mater eſt negligentiæ appellanda. Quinetiam hæc ipſa cura, vbi nulla quidem affuerit, parit & ſtoliditatem & negligentiam, addo & contemtum. Vbi vero maior fuerit quam oportet, & quam decet, aut de quibus minime par eſt, aut in quibus nihil neceſſe eſt, negotijs, vitium ex ſe gignit curioſitatis: quo quí laborant, dicti ſunt curioſi; odioſum ſane genus hominum. Aſt vbi cura ipſa mediocris quidem fuerit, diligentiam gignit illam, cuius eſt ſtudium ſeruare in cunctis modum ac menſuram, meminiſſe ordinis ac temporis, rerum, perſonarum, negociorum. Itaque priſci illi (vt erant actionum humanarum ſtudiorumq; obſeruantes) ſicut Curiæ indiderunt nomē, quod in ea ageretur de Republica, ibidemq; curarentur negotia ciuilia: ita

quos

quos diligentes esse cernerent, à magistratu traducentes appellauere Curiones, à maiore videlicet rerum agendarum cogitatione & cura.

Admodum autem videndū est prudēti, æquabilem vti se prębeat æstimatorē tum rerū temporumq;, tū suiipsius, & illorū pręcipue, quibus cum negocium cōtrahit. Nam & in bene cōstitutis ciuitatibus magistratus quidā publici decreti sunt æquandis ponderibus ac renēdis mensuris. Quid enim tam secundū rectam rationem, quam æqua æstimatio? Licet autem eiusmodi temperamento præditi, iustī potius dici quā prudentes, populi etiam iudicio debeant: nec iustitia tamē esse potest absq; prudentia, nec prudentia sine iustitia. Secus enim summa esset malitia, quę pestis amicitiarum est maxima, humanæq; societatis in rebus negocijsq; quibusq; administrādis. Adhęc nihil tā prudentiæ consentaneū quam rerum negociorumq; discriminatio, & temporū discretio ac personarū.

Huic autem, nempe æstimationi, sunt adiūctæ comites duę, quarū alteri nomen hodie est discretio, alteri delectio. Ac discretio quidem ipsa versatur in discernendo, ne videlicet in agendo peccetur, dum quid agendum, quid prætereundū sit, diiudicat, distinguitq; res, operas, actiones, adhibetq; ordinē, discernēs ipsa ac consulēs, quid pri⁹ quid posterius sit sequendū, quid lenius aut seuerius, quid quadā cum tēperatione quasi prętereas, quid cum asseueratione & quasi ptinacia insistēs cōtendas atq; anitare. Exclamare solebat Corelia peritissimus rerū humanarum senex, prępuit enim sub Alfonso rege Neapolitanæ ciuitati complures

res annos, exclamare inquam ſolebat, vbi quid vel ineptius geſtum vel intemperantius adminiſtratum intelligebat, aut cõfuſius pertractatum, aut præter rei, perſonę, temporis qualitatẽ, dignitatem, naturam: Proh dij boni, quonam abijt diſcretio? vbi ea gentium deliteſcit? Itaq; hoc vitio qui occupati ſunt, maxime ſunt inordinati, incõpoſitiq;, ignorantes illi quidẽ quid quoq; loco ſit aut ordine aggrediundum, exequendum, & quo etiam modo ac via tentandum, proſequendum, agitandum, ad finem deniq; perducendum. At vero delectio illa, diſcretionis & ſoror & ſocia, idẽ fere ius exercet & amplectitur munus, & in iudicando & in agendo: hoc tamẽ differre inter ſe videntur, quod delectio nõ diſtinguit ipſa quidem, verum facta rerum ac temporũ diſtinctione, deligit, quod è duobus potius, quod è complurib. ac multis potiſſimum videatur: atq; ex vtilibus quæ vtiliora, quæ etiam maxime vtilia: atq; è pulcris honeſtisq; vel magis honeſta & pulcra, vel quæ honeſtiſſima appareant atq; pulcerrima. Sed nos his explicandis nimij fortaſſe ſumus, & attigiſſe quædam quam diſſeruiſſe conſultius fuerit. Itaq; ſummatim vt omnia comprehendam, viri prudentis partes ac munera eſſe dico: & antequã aggrediatur & poſtquã eſt aggreſſus, diu multumq; & ſimul omnia cõſiderare, & diſcretim etiam ſingula prouidenterq; proſpicere, & quæ neceſſaria viſa ſunt, apparare, ac nũc cunctari, nũc feſtinare, nunc inſiſtere, nũc cedere, modo incaleſcere, modo refrigere, introrſus res ipſas pſpicere, ad ſingula intentũ eſſe, obſeruare tẽpora, locũ, perſonas,

res

tes,negotia,inter ſeq; diſcernere,vertere etiã ſeſe, perinde vt caſus,fortuna,rerũ euenta,inopinatiq; exitus tulerint, ac nũc ſimulare, nũc diſſimulare, dũ ne id fiat dolo malo, ſolicitari animo, cauere ad paſſus ſingulos,ne concidat,diligentiam vbiq; ſummã retinere;cumprimisq; adhibere delectũ, nec à ſeipſo diſcedere. Atq;hęc quidẽ cũ dignitate & penſo omnia. Quę præcepta ſeruantẽ & intra pręſcriptũ rationis recte ſe cohibentẽ licebit prudẽter publice priuatimq;cunctis in negocijs,actionibus,inceptis ſeſe gerere atq; adminiſtrare ſingula,conſulentem è ſententia & reb.ipſis familiaribus,cognatorũ quoq; atq; amicorũ,itemq;aliorum, qui curæ eius temperationiq: ſubiecti ſunt, & publicis atque communibus cum ſumma etiam commendatione tum ciuium tum peregrinorum. Atq; ex his facile colligere eſt, quid prudentem deceat,& quibus ſit ab eo veſtigijs inhærendum, & quouſque etiam progrediendum, & quomodo, ne de rationis rectæ curriculo diſcedens aberret à via, neue inter progrediendum concidat, corruatque ſub onere.

CAPVT VII.

Quod Princeps res nouas nitoliri non facile debeat.

NIHIL fœdius, nihil odioſius eſt in imperijs, nihil ſubditis moleſtius: quã introductæ innouationes,quib.dignitas veterum ſtetit. Liuius hiſtoriographus inquit,Nihil motũ ex antiquo, ꝓbabilę eſt:veteribus niſi quæ vſus euidenter arguit, ſtari malim. Arcte hoc potiſſimũ primis imperij annis tenendum

dum eſt. Ea de cauſa Saulus integro biennio poſt, quam à populo electus, & à propheta Samuele in regem vnctus eſſet, ſine aula & ſatellitibus ad declinandam inuidiam priuato ſimilis permanſit. Imperator Auguſtus, ne inuiſam redderet inſolitam ſuam potentiam, regio nomine aut ſummo magiſtratu modeſte recuſato, ſummus plebis tribunus voluit vocari. Hac ſua modeſtia non tantum ſolij dignitatem muniuit, verum etiam leges ſuas & edicta, quantum fieri potuit, ad veterum normas compoſita ſtabiliuit. Imperator Tiberius valde ſingularis in hoc fuit: ſiquidem etiam vitia & tyrannidem, quam indies exacerbabat, plus quã præclara ſtatuta & ſancita, noua pictura nimirum antiquorum titulis interpolabat.

Pleræque nouationes odioſæ ſunt, damnoſæ autem correctiones. Hac de cauſa Vnon rex Parthorum, quod in Parthia moribus Romanis (fuerat enim Romæ aliquandiu) viueret, regno pulſus eſt. Craſſius autem aberrauit Ludouicus XII. rex Galliæ: vbi ſimulac imperio præfectus eſt, omnes præfectos & miniſtros, & quos apud patrem in gratia fuiſſe conſtabat, muneribus ſuis abdicatos dignitate priſtina priuauit: qua ſane in re imprudenter admodum egit. Nuper enim primum rerum potitus erat, adeoq; rerum gerendarum minus peritus cum eſſet, ſaltem ſeniores ſecum retinere æquum atq; è re ipſius fuiſſet. Nouo enim rege nouis miniſtris, noua quoq; lex eſt. Id quod magno ſuo malo cum reb. omnibus ita immutatis, maximis periculis & difficultatibus inuolueretur, demum expertus eſt.

Digitized by Google

Et vt maxime nouationum aliquid introducẽdum sit, non tamen tanquã ex abrupto, sed paulatim & successiue tentandũ est. Atq; hic naturã ducem sequamur: Ea enim non facit saltum, non ab hyeme ad æstatem, nec vice versa sine interiecto temporis interuallo descendit. Interposuit enim vtrobiq; tempus temperatum, autumnum nempe, & ver. Horum vicissitudo, æstus nempe in frigus, frigorisq; in æstum, interposita clementiore aeris tẽperie annũ reddit mortalib. gratiorẽ.

Nec res hunc teneræ possent perferre laborem;
Si non tanta quies inter frigusq; calorem
Iret, & exciperet cœli indulgentia terras.

CAPVT VIII.

De fortitudine, eiusque requisitis.

MAGNANIMITAS ex duobus cõsistit: ex prudentia & fortitudine animi. Hęc duo si in homine concurrunt, res maximas efficiunt.

Ad conseruationem imperiorum cõducibilior est fortitudo, quam potentia & robur. Huic consonat Aristoteles exemplũ afferens principũ illorum, qui virtute sua adepti sunt, quod vi nunquã aut perquam difficilime ipsis adimi potuit. Porro in præsenti verba faciemus de fortitudine, quatenus ex audacia originem ducit. Conflatur autem audacia partim ex innata animi facultate, partim ex robore corporis, partim externa potẽtia, de qua alibi dicetur. Tametsi autem audacia, quæ ex animo sese exerit, prima sit, quoniã nõ raro corporis infirmitatẽ inlita animositate cõpensat: solet tamẽ plerunq; euenire, vt corpus male constitutũ

&

&morbidum ſympathia animum afficiat,ac quaſi retundat.

Optandum itaq; vt principi corpus ſit ſanum, laudatę cõſtitutionis,erectũ, vegetum,lætũ.Qua de cauſa etiam naturę artib.quæ non tam pro cõſeruanda valetudine, quã augenda & cõfortanda adhibẽtur,ipſi ſuccurrendũ eſt.Optima autem ad ſanitatem ratio eſt in temperantia cibi & potus. Aſſiduæ enim heluationes & crapulæ vitioſis humoribus &cruditatibus ventrẽ replent:quas proxime excipit podagra,chiragra,& (breuiter vt dicam) vita medica , miſera , laborioſa. Quibus princeps ſibi ipſe , nedum alijs tædioſum , moleſtum & inuiſum onus eſt.

Corporis valetudinem conſeruat Veneris abſtinentia.Immoderata. n. Venus vel bruta elumbia reddit: quanto magis homines. Ante annos ſenectutem adfert: minuit ſpiritus vitales : incidit heruos: debilitat viſum : accerſit podagram, epilepſiam,apoplexiam,& deniq;accelerat ipſam mortem.

Vires corporis multum augentur ex moderata corporis exercitatione.Ex motu autẽ corporis incaleſcãt omnia mẽbra,&excitẽtur.Prętat hoc luſus pilæ, à Galeno celebratiſſimus, & venationes.

Huc inſeruit variarũ rerum aſſuetudo:frigoris, æſtusq; patientia : famis & ſitis tolerantia : vini & aquæ æque promtus in potando vſus, omniumq; quib. mortales victitare poſſunt. Vtiliſſimũ enim hoc eſt hominũ valetudini,membra cõfortat,corpora obdurat: atq; aduerſus omnẽ iniuriã aëris aliarumque intemperierũ occalleſcere facit.

Vt

Vt enim principem sexcenta negotia nonnunquã obtuunt, ita quoq; corporis constitutio talis ei sit, vt nullũ casum nouum, rarũ & insolitũ ducat. Verum quia sæpius tam debilis est natura, vt arte releuari nequeat: necesse est in primis, vt (qualitercũque etiam corpus sit affectum) animus tamen sit sanus, fortis, viuidus & erectus: & ad excipiendum quosuis casus (si necessitas postulet) instructus.

Atque hoc animi vigore corporis imbecillitas multis molestiis subleuatur. Huius rei documenti satis est Carolus V. in bello Germanico. Tametsi enim propter podagram, qua pessime torquebatur, in stapede non posset collocare pedes, sed in linteo fasciculo quasi circumferret: tamen integrã hyemem, eamq; asperrimam, niues, pluuias & ventos perpessus est magna animi elatione despiciens corporis incommoditates.

Animi autem erigendi & reficiendi remedia sunt, valetudinis curatio, melancholiæ & tristitiæ discussio, stimuli amoris, gloriæ, laudis &c. Neque minus sibi vendicant crebri sermones de principũ virtutibus, eximiorumq; belli gubernatorum cõsilia, historiarum de vitis ac rebus gestis præstantissimorum heroum lectio, insuper non solam cũ animosis & sapientibus conuersationes, sed etiam status & muneris sui perpetuæ meditationes. Hic memorabile illud dictum imperatoris Vespasiani incidit, quod ex ipso breui ante obitum axauditũ est, *Imperatorem stantem mori oportere.*

CAPVT IX.

Media quibus auctoritatem suam princeps tueri potest.

HACTENVS de virtutibus, ex quibus auctoritas principis descendit, disseruimus, videlicet de prudentia & fortitudine. Videamus nunc deniq;, quibus ille non tantũ conseruari, sed etiam augeri possit.

Primum autem medium est: vt princeps impotentiam & infirmitatem suam dissimulet. Nam non pauci principes, qui non vsque adeo auxilio pecuniæ rerumque abundantia sunt instructi, dignitatem suam artificiosa impotentiæ dissimulatione & conseruarunt, & semet ad maximę potentiæ opinionem euexerunt. Id quod longe satius fuit, ac si vi manuque armata potentiam affectässent. Dum enim nonnulli potentibus annumerari cupiunt, suo indicio fortunæ tenuitatem exiguasque suas vires, quæ ante ignorabantur, produnt.

Auctoritatem etiam sibi conciliat princeps, si præ aliis ostentando, studiose tamen occultans & virium & fisci infirmitatem. Satis hoc Ludouicus Sfortia intellexit, modo vsurpare licuisset, ac non nefario scelere è viuis sublatus fuisset. Ast in his omnibus Alfonsum I. Aragonem, regem Neapolitanum longe excelluisse proditum est. Lõge vero aliter fecit rex Iudæ Ezechias, quo nomine etiam in sacro codice reprehenditur, quod minus prudenter, vbi admonendi infideles erant, fiduciam omnem sibi in solo Deo defixam esse, thesauros commonstraret, subinnuens veluti tanquam in opibus spem vincendi poneret.

Plurimum autem conducit re ipsa plus præstare, ac verbis promissum est. Pluris enim sunt fa-

ctæ, quam pollicitationes, ideoque in maiori habentur existimatione, qui re plura conficiunt, quam verbis crepant. Hinc maioris æstimantur subtristes & melancholici; minoris autem lætiores & verbosi.

Fides & constantia atque in sermone grauitas plurimam conciliat dignitatem: adde etiam, si pro ratione facultatum non plura promittat, quam præstare possit: proinde non nimis sit iactabundus aut vanus ostentator. Scipio Africanus huius præceptionis fuit obseruantissimus, id quod Liuius de eo prędicat, tum alias tum potissimum ab eo obseruatum fuisse, quando cum legatis Hispanis loqueretur: *Loquebatur*, inquit, *ita elato ab ingenti virtutum suarum fiducia animo, vt nullum ferox verbum excideret: ingensq; omnibus, quæ ageret, cum maiestas inesset tum fides.*

Abstine sermone sesquipedali, cui fides haberi nō solet. Hoc enim agis, vt nunquā tibi credatur, imperitiaq; tua omnib. innotescat. Hinc est quod fœminę & pueri vitioso quodā animi feruore imbuti frequenter eiusmodi sermone delectentur.

Studēdum etiam est, vt semel promissis semper stetur. Arguit enim animum constantem & generosum. Alexander Farnesius, dux Parmensis maximam sibi gloriam ac laudem in Belgio hac virtute comparauit.

Idē præstat constātia in aduerso fortunæ flatu. Spiritus enim magnos & generosos indicat. Accedit huc, ne efferatur rebus secūdis: ita n. ostēditur, animū esse fortuna superiorē. Mira in hoc Romanorum industria in bello Africano, alioq; contra

Antiochum elucebat. Nam ante victoriam proponebant cõditiones; quasi victores iam tum essent, obtenta autem victoria non efferebantur, quin potius non aliter, ac si victi essent, sese gerebant.

Princeps nunquam suscipiat negotia humeris suis ferundo imparia, & quæ honeste declinare possit. Hoc in genere Hispani facile omnes vincunt.

Ad res humiles & abiectas princeps animum non adiiciet. Quæ enim non est ardua & eximia, qui illa, quæso, auctoritatem conciliabit?

Boni principis est, nil nisi magna & sublimia potissimum primis imperii annis meditari. Hinc enim cætera vulgus metiri solet. Nam dimidium facti (vt ait Plato) qui bene cœpit, habet.

Quæ honeste cœpta sunt, nec temere deserenda nec è manibus dimittenda sunt. Argumẽtum enim esset rei parum prudenter incoatæ, animo autem abiecto finitæ. *Multa magnis ducibus* (ait Marcellus Q. Fabio, cum Catalenum obsideret) *sicut non aggredienda, ita semel aggressa non dimittenda sunt: quia magna fama momenta in vtramq; partem fiunt.*

Neque committat princeps, vt aliorum consiliis & iudicio adstrictus videatur. Quisquis enim secus fecerit, ille dominum se superiorem sibiipsi constituit, conrectoremq; (vt ita dicam) assumit: sua imperitia posita quasi in propatulo.

Externa atque aliena princeps ad se non spectantia curiose ne inquirat, id quod Virgilius sequentibus versibus est complexus.

Tu

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
Parcere subiectis & debellare superbos,
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem.

Parum itaque principi decorum est cantilenis aut carminibus effingendis velle intentum esse, vt Neronem: aut arcui, vt Domitianum: aut laternis conficiendis, vt Eropum regem Macedonum: aut pupulis siue imagunculis cereis cretaceisve effingendis, vt imperatorem Valentinianũ legimus factitasse. Quid quod vix concedendum videtur, vt arma in belli vsum fabricet, vt fecit rex Demetrius; aut in singulos dies venationibus indulgeat, vt Carolus IX. rex Galliæ: aut tormenta fundat, eaque explodat, vt Alfonsus I. dux Ferrariensis: aut totum se Astrologiæ studio addicat, vt Alfonsus X. rex Castiliensis. Philippus I. rex Macedonum, aliquando cum peritissimo Musico collocutus prolixa disputatione habita de arte Musices vrgebat, vt se victum ille fateretur: At Musicus, dii, inquit, ô rex, auerteant hoc, vt tam perite de arte atque ego, differas: tanquam digito ostensurus, principes, qui se studiis illis abdunt, iisque implicantur, parum esse solertes, parum ingeniosos.

In conseruanda auctoritate permagna laus est taciturnitatis: principem enim facit terrenum numen mortalemque, vt dicunt, Deum, omniũq; oculos & animos, nisi iam ante de animi sententia constet, in se conuersos ad summam rei gerendæ admirationem rapit.

Curabit princeps, vt quę suam personam concernunt, nõ nisi à viris laudatis & ingeniosis per-

agantur. Alexander Magnus ne ſuam proſtitueret exiſtimationem, nullius manu niſi Apellis depingi, atque à Lyſippo fingi ſuſtinebat. Neq; permittebat imperator Auguſtus, ne laudando vituperetur, niſi à laudatis ſe laudari.

Aliorũ opera, qui aut ſunt inferioris ſortis aut imbecilliores, in conficiendis rebus princeps non vtatur: quemadmodum Antiochus rex Soriæ feciſſe dicitur, qui medicum ſuum Apollofanẽ cæteris imperii ſui membris præfecit. Ludouicus XI. rex Gallię, medicũ Cancellarium, tõſoremq; Ambaſſatorem creauit. Infimæ ſortis & immerentes vides homines: at quid inde? omnem negotiis adimunt auctoritatem: quid? ſi nimium ſunt impotentes, omnia euertunt. Contra vero & grauitas ineſt rebus, citraq; negotiũ adminiſtrantur, ſi rerũ potiuntur viri auctoritate & potentia graues.

A nimia familiaritate abſtine, maxime loquaculorum. Celanda enim effutiunt, paſſim diuulgant, exiſtimationemque demunt.

Nec quauis de cauſa princeps, nec ad cuiusuis nutũ omnib. ſui faciet copiã. Exigẽte vero negociorũ difficultate ſolẽniter ad ſe accerſitos audiat.

Veſtitu compoſito magis quam vago ac diſſoluto princeps delectabitur: honeſtum ſuperciliioſo anteferens.

Extrema omnino ſunt vitanda: nimia tarditas: & præcipitantia: attemperata, præmeditata, mediocria ſint omnia: lentiora quam præcipitata. Cunctatio enim ad prudentiæ: præcipitantia vero ad arrogantiæ naturam accedit. Quid quod omnium maxime auctoritatem imminuit?

Seue-

Seueritas (ciuitatibus, vt ait Menander, saluberrima) ad dignitatis splendorem lenitate est accommodatior: sicut dulcor valetudini tuendæ minus vtilior est quam amaror.

Enitendum est principi, vt omnia ipsius negocia sint insignia, grauitatisque speciem præ se ferant, ac præclare debitis circumstantiis absoluantur. Paulo Æmilio non minor gloria & maiestas obtigit ex illo instructissimo & exquisitissimo conuiuio, quod Amphipoli Græcorum legatis parauit, quam ex rege Perseo deuicto & capto.

Omnia principum facta ad ostentationem dignitatis & magnificentiæ sint comparata, animusque in rebus honestis, largus & liberalis. Honestæ autem in piis causis, Reipublicæ salute, aliisque extraordinariis conspiciuntur atque æstimantur.

Magnanimitatem semper præ se ferat, eamque passim vsurpet. Magnis magnus, paribus humanus sit, veritatemque vbique incertæ opinioni anteferat.

Negotia non accumulabit: suscipiet pauca, eaque dignitati ipsius conuenientia, ex quibus laudem & gloriam consequi queat.

Vbique ingenium heroicum, spiritusque altiores ostentet. Qualiter factitarunt Scipio Africanus, Alfonsus rex Neapolitanus, & alii multi.

Obedientiam priuatorum quasi freno ducet: vt & illa quæ magni momenti sunt, atque inde profluunt.

Quæ ad splendorem & excellentiam principis

pertinent, ea patere debent nemini. Sunt autem potestas cõdendi leges: dandi priuilegia: mouẽdi bella aut sopiendi: distribuendi suprema officia tam belli quam pacis tempore: donandi libertatem: bonam existimationem iure tamen amissam restituendi: cudendi monetas: vlnas, pondera ac mensuras constituendi: census imponendi; munitiones præsidiis firmandi: & si quæ sunt plura.

Splendidissimis literis animo semper habeas inscriptam Crispi Salustii sententiam, *Eam*, dicentis, *conditionem esse imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si vni reddatur*: Et alterius: *Sit summus seueritatis & munificentiæ.*

Ob oculos etiam indesinenter versari debet illud imperatoris Tiberii, qui *Cæteris*, inquit, *mortalibus in eo stare consilia, quod sibi conducere putent, principum diuersam esse sortem, quibus præcipua res ad famam dirigenda.*

Fixum autem & constitutum hoc sit principi, in vno hoc omnem dignitatis splendorem consistere, talis vt sit, qualis haberi cupit, non in speciẽ tantum fucatus. Cæterum de omnibus hisce qui yberiorem desiderat tractationem, requirat in quarto capite huius secundi libri.

CAPVT X.

De principibus, qui propter auctoritatem & famam magni & sapientes sunt cognominati.

SVPRA meminimus auctoritatem sapientia & fortitudine suffultam esse: videamus nunc quomodo nonnulli prin-

principes in tantam admirationem atque existimationem venerint, vt cognominis loco Magni & Sapientes fuerint nuncupati; an & nostri illis & nomine & eminentia pares fieri possint.

Non statuendum est eos principes, quibus obtigerunt eiusmodi cognomina, sapientia & fortitudine cæteris omnibus fuisse superiores. Nam Scipio, Annibal, Caius Marius, Iulius Cæsar, Trajanus, Seuerus, æque fortes, æque sapientes fuerunt, atque ex his nonnulli, quibus prædicta cognomina cesserunt, quamuis splendidis illis titulis fuerint destituti. Sufficit enim in illis, qui ita cognominati fuerunt, fuisse prudentiam & fortitudinem aut omnibus perfectionis numeris absolutam, aut saltem sua claritate tanquam lucis splendore præ cæteris fuisse conspicuam.

Primus tanta laude dignus fuit Alexander rex Macedonum: idque ob res gestas. Siquidem intra decennium orientalibus populis sibi subiunctis famam mundi extremis terminauit oris. Antiochus vnus ex ipsius successoribus eodem inclaruit nomine, plus tamen eximiæ sapientiæ quam fortitudinis ergo. Amisit tamen à Romanis victus.

Quintus Fabius Maximus quoque ita appellabatur, non quidem quod fortitudine bellica excelleret; sed quod temerariis libertinorum motibus dexterrime compositis maximo periculo Remp. exemisset.

Pompeius quoque Magnus cognominabatur: at potius propter applausum militis, quo victorem iuuenem excipiebat: quam quod obtinuisset

id facinore aliquo insigniori, cui assignandum foret illud virtutis nomen.

Mithridates rex Parthorum, & alius quidam Ponti, etiam Magni dicti sunt: ille propter amplissimas victorias: hic propter diuturnum bellum, quod cum Romanis gessit.

Idem cognomen Herodi primo inditum inde credo, quod cum alioqui esset priuatus & peregrinus, singulari tamen animi industria & virtute rex Iudæorum factus est, regio statu & dignitate longo tempore contra multa pericula, quibus facilime frangi potuisset (odium Cleopatræ, Antonii & Cæsaris Octauii furorem) fortissime defensata. Eandem nominis dignitatem vendicant sibi ciuitates ab illo partim de integro extructæ, partim restauratæ: id quod imitatæ sunt splendidissimæ quæque regiæ exquisitissimo ornatu ac sumptu passim ab ipso exædificatæ.

Chingo quoque Tartarorum regi nomen Magni comparauit victoriarum amplitudo: postea ita in successores deriuatum, vt adhucdum rex Tartarorum Magnus Cham vocetur. Præclara Mahometis I. facinora, duobus enim imperiis subiugatis duodecim regnis Christianis ademtis, ducentas vrbes occupauit, illa, inquam, effecerunt, vt Magnus Turca diceretur: qui titulus fortitudine partus quasi hæreditarie omnibus eius successoribus etiamnum tribuitur.

Eadem de causa reges Ægyptii vocabantur Magni Sultani. Literis tamen proditum nō comperi, quis eorum primus hoc titulo gauisus in posteros eundem transtulerit. Sic quoque Ta-

mer-

merlanes, propter ingentem exercitum, quem ducebat: & propter rerum gestarum magnitudinem: quarum non minima fuit Baiazetes imperator Turcicus ab eo captus. Mahometes eius successor, qui nosto tempore octies centenis millibus equitum & peditum in orientem deductis perculsis orientalibus, fines imperii intra Indiam & fluuium Gangen amplificauit, Magnus Mogor nominabatur à populis, quos Mogoros vocabant. Ex insignibus rebus gestis & Persia expugnata Ismaël dicebatur Magnus Soffy. Porro & Hispani hoc cognomine Manzorum regem Africæ & Hispaniæ vocarunt.

Tandem vero etiam ad Christianos principes deuoluamur. De his Constantinus Magnus honorificentissimum hunc titulum obtinuit, partim quod imperium belli successibus augeret, partim quod religionem Christianam longe lateque diffunderet. Imperium enim ante misere distractum & dissectum collegit & refecit, fidei Christianæ feliciſſimus propugnator.

Post ipsum idem cognomen sortitus est, quamuis minore cum laude imperator Theodosius, quia, ni fallor, retusis nonnullis potentioribus imperium magno discrimine liberauit.

Maxima autem cum laude præ cæteris hoc cognomen obtigit Carolo I. regi Galliæ ex rebus & bello & pace præclare gestis, ex Christianæ fidei propagatione, ex insigni erga literatos fauore, & artium, quas tanquam orco amandatas in lucem protraxit. Maxime vero, quod primus Imperator occidentis fuit,

Nec

Nec de his postremus fuit Michael Comnenus Palæologus, nam & huic cognomen fuit Magno: seu quod Latinis Constantinopoli & Græcia expulsis imperio pristinum statum recuperasset: seu quod in synodo Louanienſi Latinas cum Græcis ecclesiis reconciliauit.

Datum est hoc cognominis imperatori Ottoni I. tum propter victorias à Germaniæ principibus Bohemiæ & Vngariæ gloriosissime reportatas, tum propter Berengarios prima quidem vice fusos, tota denique Italia exterminatos. Accedit huc insignis eius pietatis fideique orthodoxæ æmulatio: propugnata enim magno studio tandem in septentrionalibus efflorescebat.

Non omittendi hic sunt reges Hispani; quorum primus hoc cognomen obtinuit Ferdinandus III. tam quod duo regna Louanienſe & Castellanum coniunxit, quã quod virtute sua Mauris potentiores Resp. ademisset. Vtrum vero tantum honoris, qui certe fuit amplissimus, studium iustitiæ & religionis, an magnitudo victoriarum, laudisque bellicæ, perpererit, dubites: adeo in vtroque excellebat.

Alfonsus III. hoc cognomen etiam contraxit ex summa virtute, siquidem rebelles contudit, Mauros multis ademtis vrbibus domuit, fana cõdidit, palatia augustissima extruxit, multis accessionibus Brigantium, vulgo Compostellam, adauxit, picturis ornauit, prouentibusq; vberrimis largissime donauit.

Regum Gallicorum, vna cum Carolo I. supra laudato, Magnus cognominabatur etiam Franciscus

ciſcus I. Non tamen cōſtat, an ita eum à Franciſco II. nepote, quem Galli minorem regem Franciſcum vocitabant, hoc nomen diſcerneret, an darent leges, quibus optime latis iuſtitiam coluit, liberaliumq; artium ſtudia in Gallia reſtaurauit.

Sic rex Polonorum Caſimirus II. ſibi idem nomen comparauit non tam victoriarum ſucceſſibus quam multarum vrbium reſtauratione, munitionum roboratione præſidiisque firmiſſimis, templorum fundatione & donatione, pacisque cultura exactiſſima.

Hoc in loco non eſt prætereundus Matthæus Vicecomes, qui ſimiliter Magnus audiuit: & quod ſumma patientia fortunæ inſolentiam vicit, & quod fortitudine ampliſſimas ducatus Mediolanenſis opes in ſe & ſucceſſores ſuos deriuauit. Producendus etiam eſt in hanc ſcenam Magnus Canis della Scala, cui Magnum cognomen inditum eſt ex potētiſſimo dominatu, quem in Lombardia magno cum finitimorum metu & trepidatione tenebat. Alfonſus I. rex Neapolitanus non Magnus ſed Magnanimus dicebatur, ob æquabilem iuſtitiæ & virtutis actionem, quæ non minus in occupando quam adminiſtrando, non minus aduerſis fortunæ procellis, quam ſecundis eodem modo ſemper elucebat.

Ex familia Mediceorum, vbi prudentia principe digna dexterrime ſemper floruit, tres cognominati ſunt Magni: Coſmus ſenior, Laurentius, & Coſmus archidux. Coſmus ſenior, quod priuatus adhuc iisdem, quibus rex in Repub. defunctus eſt. Laurentius, quia cum Florentiæ dunta-

xat

xat principatum teneret, virtute sua obtinuit, vt arbiter principum Italiæ designaretur. Cosmus, quod non tantum incredibili sua virtute imperium Florentinum in se deduxit, & Senæ accessione mirifice amplificauit: sed quod etiam summa cum deuotione sacra & religiosa frequentaret: qua de causa à papa Pio V. (de quo prudentior sanctiorve fuerit, dubitatur) honorificentissimo archiducis donatus est titulo: quem etiã honoris ac dignitatis titulũ filius Don Frãciscus hereditariũ posteris suis fecit: atq; etiamnũ à Don Ferdinando tanquã hæreditarium virtute sua possidet.

Porro Magni dicti sunt etiam nonnulli ex Pontificib. Romanis: Leo I. & Gregorius I. Leo quidẽ quod adiens Attilam, regem ferociſſimum atque adeo implacabilem, & tanquam furore aduersus Romam percitum facundia sua, quę sane maxima erat, commouit, vt vrbe relicta agro Italico plane excederet: adde etiam quod auctoritate sua, cui plurimum tribuebant omnes, in cõcilio Chalcedonensi, vbi conuenerunt Episcopi numero sexcenti triginta, pestilentissimam Nestorii & Eutychetis hæresin repressit, damnauit, extirpauit, Dioscoriq; superbiam contudit. Gregorius autẽ, quod præter insignem vitæ sanctimoniam ecclesiasticas ceremonias correxit, earum ritus restauravit, & Angliam Christianæ fidei adiecit.

Ex quibus omnibus facile apparet, illorũ quosdam, qui Magni appellati fuere, id cognominis obtinuisse, aut ex regnorum amplitudine, quę regnorum suorum finibus adiecerunt, aut quouis modo conciliarunt; qua quidem in re, gerendarũ

rerum

rerum occasionibus quam fortitudini plus tribuendum: aut ex rebus tam pace quam bello præclare gestis; quæ quidem ita æstimantur, aut ex sua natura, aut ex eo, quod is, qui inde nouum sortitus est nomen, eas primus gessit.

CAPVT XI.

De principibus, qui sapientes siue prudẽtes dicti fuere.

POST Salomonem regẽ Israëlitarum, omniũ quotquot vnquã vixerũt sapiẽtissimũ, primus inter cæteros Sapiens dictus fuit Alfonsus X. rex Castellanus, non eo nomine, quod tã sapiẽter omnia regni sui negocia administrauerit, sed potiꝰ ppter insignẽ ipsius erga philosophiã, præsertim vero erga Astronomiæ studiũ ardorẽ atq; diligentiã, id quod tabulæ astronomicæ ab ipso exaratæ satis demonstrant. Post ipsum Sapiens dictus fuit Albertus archidux Austriæ, tam (meo quidem iudicio) propter inusitatam in gerẽdis rebus promtitudinem atq; alacritatem, quam etiam propter insignem subditos suos ad immensas opes prouehendi dexteritatem.

Idem nomẽ, & quidẽ iure optimo obtinuit etiã Carolus V. rex Galliæ. Nec enim solũ artes humaniores earũq; cultores summo fauore semper prosecutus fuit: verũ etiam quãuis nec aciẽ ingrederetur, nec arma gereret, felicissime Anglos debellauit, omnib. quæ pater amiserat, recuperatis.

Neq; Ottonis III. laudẽ hic silere patiemur, qui tametsi nec Magnus nec Sapiẽs dictus fuit: incredibili tamen & admiranda sapientia ac fortitudine, cuius specimina etiã adhucdum iuuenis edebat præclarissima, effecit, vt miraculũ mundi diceretur.

CA-

CAPVT XII.

De aliis quibusdam virtutibus, quæ ad prædictarum conseruationem requiruntur.

NON diu profecto prædictæ virtutes, quibus pro fundamento est fauor & amor, durare poterunt, nisi aliis virtutibus suffulcirentur: religione nimirum & temperantia. Respublica recte cum vinea confertur, quæ nec gemmas protrudit, nec vuas ostendit sine clementia aëris calidioreq; cœli temperie & vinitoris putatione. Religio informat, quomodo quęvis creatura, quęvis res, miraculosa Dei gubernatione conseruetur: temperantia vero immoderatas voluptates, corruptasque animi perturbationes, vitiorum alimenta, imperiorum vero pestem profligat.

CAPVT XIII.

De religione cultuq; diuino.

PRINCIPES olim cultui diuino vacasse, extra dubitationis aleam est. Refert enim Aristoteles: Non quidem ipsosmet diis litasse (fuit tamẽ simul rex & sacerdos Mathusalem) sed sua præsentia maiestatem quasi sacrificiis attulisse augustissimam. Alibi vero idem inquit: Esse summi magistratus, solennia eaque lautiora sacrificia offerre.

Inauspicato res suas cœptas credebant Romani: nisi vatibus consultis, diisque placatis pro collatis beneficiis egissent gratias. Quid quod deorum cultum caput & neruos suæ Reipub. ducebant? præcise damnatis omnibus, quæ ad eius immutationem aut demolitionem spectarent.

Tres

Tres virtutes in rege requirit Diotimus, pietatem, iuſtitiam & rei bellicæ peritiam.

Ob perfectionem ſui prima eſt pietas: ſecunda, vt ſubditos in officio coërceat: tertia, hoſtiles incurſiones vt reprimat. Suadet Ariſtoteles principibus, hoc ſedulo dent operam, vt pij & religioſi videantur. Subditi enim dum ſciunt timore Dei imbutum principem, non putant ſe ab eo male tractatum iri: quinetiam non ita facile aduerſus huiusmodi principes ſeditioſe inſurgunt, quos Deo caros & curæ eſſe credunt.

Verum tariſſime contingit, vt qui fucatæ pietatis eſt, vere corde pietatem amplexus habeatur: quid enim hypocriſi fragilius? Eſt itaque vt princeps tota animi deuotione ad maieſtatem diuinam ſe abijciat, regnique thronum auctore & datore Deo ſibi ſtabilitum, ſubditorumque obedientiam diuinitus datam credat. Quo autem altius cæteris ſupereminet, hoc humilius ſe coram Deo proſternat. Nihil etiam tentabit, nihil aggredietur, quod nõ certo ſciat cum amuſſi diuinæ legis conſentire.

Hinc Deus ipſe regi præcepit, vt ſanctiſſimas ſuas leges quaſi in ſcrinio pectoris concluſas in promtu habeat, eisq;, quantum in humanas vires cadit, ſatisfaciat. Quoniam vero magni momenti ſunt diuinæ illæ præceptiones, iure optimo huc transferendas putaui. Sic autẽ legitur Deut. 17. ca. *Cum ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi exemplar huius legis in libro corã ſacerdotibus Leuitici generis, eritq; illud penes eũ, vt legat in eo cunctis dieb. vitæ ſuæ, vt ſcilicet diſcat timere Dominũ Deũ ſuum & ſeruare*

omnia verba legis huius, atq; ſtatuta iſta, vt faciat ea. Et ne extollat cor ſuũ ſuper fratres ſuos, neq; recedat à præcepto, neq; ad dextram neq; ad ſiniſtram, vt proroget dies in regno ſuo, ipſe & filij eius in medio Iſraelis.

Neceſſitas itaq; poſtulat à principe ne quicquã deliberandum aut tractãdum ſibi ſumat, niſi iam ante in ſenatu conſcientiæ, vbi periti ſacræ ſcripturæ & diuini iuris pro tribunali ſedent, vltro citroq; ſit ventilatum: ſecus ſi fecerit magno cũ conſcientiæ morſu multa figet, quæ breui poſt refigere opus habet: niſi & ſe & poſteritatẽ ad barathrum infernale præcipitare velit. Neq; mirum aut abſurdum hoc videatur. Si enim Romani niſi conſultis auguribus nihil tẽtarunt: ſi Turcæ ſine cõſilio ſuorũ Mutfei, qui cõſilia ſua literis cõprehenſa exhibẽt, neq; bella mouẽt neq; aliud quidquis aggrediuntur: cur qui Chriſtum profitentur principes, Euãgelio adeoq; Chriſto ipſi fores occludant? cur Remp. ſtatuãt & regere in animum inducant contra præſcripta Dei? vel quæ ſpes illorum animis concipi poteſt fore, vt auſpicato & bono omine ſit ceſſurum, quod absq; Deo omnium bonorum & fauſtitatis fonte largiſſimo pertexere decernunt?

Quis vnquã religioſior adeoq; in bellis fortunatior Conſtantino Magno fuit omnẽ fiduciã in cruce Chriſti ponẽte? Plurimas obtinuiſſe victorias Theodoſium Nicephorus ſcribit, potius aſſiduarum precum, quam militis virtute.

Quid aliud domũ Auſtriacã ad tanta potẽtię & honoris culmina euexit, quã eximia pietas? Comitẽ Rudolphũ Habſpurgẽſem legim⁹ cum aliquãdo

Digitized by Google

maximo cadente imbre venationibus insisteret, incidisse in sacerdotem, qui solus illac sine comite iter habebat, ipsumq. interrogasse, quo in tanta aëris fœditate tenderet? Ille contra, Vado, inquit, ad consolandũ ægrotũ, & sacramentũ corporis & sanguinis Christi porrigendum. Dicto citius, equo descendit Rudolph⁹, & in genua deuolutus, Iesum Christũ crucifixũ, q pro nobis victima factus est, submisse adorauit: postea humeris impositum sacrificulũ, ne molestior esset pluuiarum iniuria, & munere suo decentius defungi posset, portauit. Bonus ille sacerdos comitis humanitatem multum admiratus maximas ipsi agebat gratias vehementissimis ad Deũ, vt largiter hoc beneficium retunderet, precibus fusis. E quid vero breui post cõsigit: Rudolphus fit imperator, posteri eius in Austria archiduces, Belgij principes, regis Hispaniæ, noui mundi Monarchæ, infinitarum vrbium & populorũm dominio potiuntur.

Nullo alio pacto Carolinis obtigit regnũ Gallicũ quã q ipsis sincera religio curę esset. Eade hac pietatis via Capetibus modo dictũ regnũ obtigit.

Religio cuiusuis status & Politiæ basis & fundamẽtum est. Itaq; cũ omne imperium à Deo stabiliatur, quodsi diuina benedictio, ad quam per solum Dei timorem pietatemq; patet aditus, absit, an credis aliud fundamẽtũ fore durabile? Timor Dei clementiam & fauorem diuinum principi conciliat: quid autẽ metuat is qui Deũ habet auxiliatorem? Quid quod vnius principis pietate sępissime subditi in vniuersum à Deo prosperantur?

Non raro principes permissu Dei in maximas

miſerias incurrunt, nonnunquam etiam vita decedunt, vnde magno agmine ſequuntur diſſidia, vrbium deuaſtationes, periculoſæq; imperij viciſſitudines ob populi delicta: Cum vero omnia in honorem diuinæ maieſtatis vergant: principis eſt ſedulo dare operam, vt diuinus cultus ſyncere paſſim locorum floreat, pietasq; vna cum annis pariter creſcat. Sic Gulielmus Normandiæ dux, cum occupato Angliæ regno, de eodẽ porro conſeruando rationes inijſſet, Vintonæ magnũ clericorum concilium, papæ auxilio, coëgit. In eo ſaluberrimis legibus, ſacerdotum vitas populique mores profligatiſſimos correxit ac reformauit, religioni priſtinum florem, ac cultui diuino debitum honorem reſtituit.

Imperante Arnolpho, & aliquot annis poſt, mala exempla incuria imperatorum, quibus Eccleſiæ tantæ curæ non erant, religionem turbantia tanquam è veſtigio ſubſecutus eſt euidentiſſimus virtutum interitus: Itali enim à Saracenis ſpoliati, à Barbaris tandem plane ſunt pertriti. Durabat hoc longo tempore, vſque dum Sergius II. (qui vita inculpatiore animoque deuoto erat) & imperator Henricus II. (bellicoſus iuxta ac pius) eccleſijs omni iam præſidio deſtitutis, nube ſummota, priſtinam dignitatem reſtituerunt.

Religio eſt mater virtutum, omnes omnino in ſe complectens: Subditis incutit obedientiam, animum omnibus addit, in periculis erigit, omnia, promouet omnibus modis Rempu. vrgente neceſſitate ſubleuat. Haber enim vulgus ſibi

ſibi perſuaſum & recte quidem ſe principibus obediendo Deo quoque, cuius illi loco ſunt, morigerari.

Cæterum, quoniam hic in mentionem numinum fictitiorũ gentilium incidimus, operę pretiũ eſt vberioré aliquanto de illis hic fieri mentioné. Potiſſimum auté in hoc genere Romani veteres ſuperſtitioſi admodũ fuere; Habebant nimirũ illi in ſuis ſacis peragendis certas precationũ formulas, ſolemnib. verbis inſtitutas, quas anxie ad numeros recitare ſolebat. In quibus ſi quid titubatũ fuiſſet, ſi quid præpoſteris verbis aut ſiniſtris ominibus effatum, putabant cõtinuo omnes Deos populo Romano iratos fore. O quanta formido erat hominibus illis anili ſuperſtitione implicatis iniecta, cum non ſatis ex animi ſententia litabatur? cum exta dirum aliquod & triſte minabantur exitium. Cum vero accidiſſet, vt multas eodem tempore hoſtias immolarent, & caſus ita tuliſſet, vt aliarum exta darent illa ſigna, quib. homines exiſtimabant, Deos omnia ſecunda promittere, aliarum vero triſtia denunciarent, incredibili metu ſuſpenſæ tunc erant mentes ipſorum, quippe qui neque ſecundis extis propter varietatem & inconſtantiam confirmari poterant, neq; rurſus dira, propter religionem, qua erant penitus imbuti, contemnere. Quid oſtenta, prodigia, aruſpicum reſponſa? quantam vim habebant ad animos debilitandos atque frangendos? Cum nihil omnino neque natura, neque fortuito accidiſſet, quod non interpretarentur, deorum id conſilio fieri cladem aliquam portendentium.

Itaq; vel alitis inuolatus, vel terræ fremitus, vel dextrum fulmen, vel quæuis eiuſmodi monſtra, atq; confícta interdum prodigia, terrorem atque metum miſeris homi ib incutiebant. Quid autẽ ſoliſtima tripudia comemoren ? quæ cum eſſent coacta nec illis quidem ſuperſti iotis hominibus, & aluſpi io valde deditis firmam ſpẽ facere poterant. Si vero pulli caſu aliquo no paſcerentur, eaq; res ad militum animos permanar t, quaſi de pernicie ſua à dijs ipſis præmonit , attoniti religione, manus cum hoſte conſerebant, ancipiti formidine perturbati atq; impediti. Multis itaq; in locis proditum memoriæ eſt, exercitus fuſos atq; cæſos eſſe, quod vitio contra hoſtes educti fuiſſent. Quod quidem minime mirum eſt. Cum enim eſſent illa religione perfuſi, vt crederent, non ſine deorum conſilio & numine, cladem atq; peſtem denunciantium, pullos iniectam offam neglexiſſe, ob idq; omniũ mentes concidiſſent, manusq; metu obtorpuiſſent, neq; ſolita ſpe atq; audacia prælių cõmitiſſent, neceſſe erat, vt cladẽ aliquam inſignem acciperent. Inde adeo factum eſt, vt omnes illis religionibus valde dediti, in timore perpetuo & cura mentis ancipiti verſarentur. Quid? quod multi viri ſtrenui, leuiſſimis oſtentis permoti, magnã multis in locis timoris ſignificationẽ dederũt? Lacedæmonij, vt de Græcis etiá aliquid dicamus, cum beliũ aliquod ſuſcepiſſent, regesq; ipſi in patriæ finibus de more ſacrificarẽt, ſi caſu non litabant, exercitus continuo domum reducebant. Cumq; eſſent Lacedæmonij morib. & inſtitutis ad duritiem atq; virtutem militarem edu-

educati, tamẽ ea imbecillitate ducta ex ſacrorum impura religione tenebantur, vt bellum intermitterent. Iã ſi ſtrepitus aliquis auditus fuiſſet, omnia belli conſilia ab illis deſerta & omiſſa iacebant. Quid autem quæſo aliud, vt Lacedæmonios omittamus, Athenienſium opes euertit, quam anilis quædam & miſera ſuperſtitio? Cum enim imperator ſane fortis, Nicias, & claſſi & exercitui ſimul cum Demoſthene præfectus eſſet, & Syracuſas oppugnaret, intelligeretq; ciuitatẽ illam & ſuis viribus & totius Græciæ auxilio capi non poſſe: Demoſthenesque inſtaret, vt claſſem à portu deducerent, ne præcluſo exitu ab hoſtibus omne robur Athenienſium, quod in illa claſſe continebatur, miſere periret, id Nicias ipſe comprobabat, religione tamen impeditus ſaluttare conſilium executus non eſt. Paucis enim illis diebus lunæ lumem, terræ, vt certis temporibus fieri neceſſe eſt, interiectu defecerat. Id Nicias oſtentum ratus, ad religionum interpretes deferendum ſtatuit. Illi nefas eſſe reſpondent, intra triginta dies claſſe nauigare, aut quippiam aliud moliri. Interea Siculi magnis molibus portus fauces obſtruunt, & exitum multis nauibus obiectis intercludunt. Claſſis igitur illa, in qua flos Atticæ iuuentutis, & Athenienſium robur inerat, cum iam fruſtra claſſem hoſtium perrumpere, & è portu progredi conaretur, inepta illa Nicię ſuperſtitione miſerrime diſſipata atque depreſſa eſt, omnisq; nobilitas occiſione conſumpta Ex quib. apparet, quæ vis fuerit Ethnicarum illarum atq; aniliu ſuperſtitionũ, quę

homines etiam impigros & audaces, vbi non ex animi sententia litatum erat, extaq; siniſtrum aliquid, vt ipſi quidē opinabantur, portendebant, horribili fortitudine replebant, mētem à cōſtantia deducebant, atq; adeo cōſilia ſalutis impediebant. Tanta religionis reuerētia etiam vbiquę apud Ethnicos fuit.

At vero Chriſtiana religione imbuti, nō alitis volatu, nō occinis cantu, non extis triſtia minantib. pmouentur. Non terrę motu, nō fulmine, nō pdigijs vllis aut monſtris conturbantur. Nihil eſt deniq;, qanimū hominis Chriſtiani cōuellere aut labefactare poſſit. Sic eſt. n. inſtitutus, vt ſi orbem terrarum bellis ardere videat, ſi omnia ſibi pericula intendi, ſi cūcta incēdio cōflagrare atq; pene conſumi, ipſe tamē optima ſpe plenus conſtantiā retineat: nec vllo vnq̄ horrore perfundatur. Primum, qa credit, eſſe ſe fortiſſimis copijs cōſtipatum atq; communitum. Didicit. n. è ſacris literis, eſſe quosdam cœleſtes exercitus, qui piorū hominum ſalutem tueantur, & ab illis, cum commodū eſt, omnē impetū atq; furorē hoſtiū propulſent. Hoc enim ſe præſidio vallatum eſſe ſenſit Iacob, cum caſtra Dei ſe conſpicere teſtificatus eſt. Rurſus cum Syriæ exercitus Heliſæi capiti immineret, ipſiusque miniſter formidine perterritus opem implorare, Noli timere, inquit Heliſæus, plures enim nobiſcum ſunt. Subiungit deinde ſacra hiſtoria: Cumq; oraſſet Heliſæ⁹, ait, Domine aperi oculos pueri huius vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorū & curruum igneorū, qui cingebant Heliſæum. Atq; ne quis

quis in paucos illud diuinum præsidium collatū esse putet, alibi de vniuersis, qui pietatem colunt, Deumq; caste & pure venerātur, sic scriptum est: Castra posuit Angelus Domini in circuitu timentium eum. His igitur testimoniis qui firmissimam fidem adiungit, seque diuino præsidio munitum esse credit, trepidare metu non potest, sed elato animo atque confidenti id, quod alio in loco scriptum est, ysurpabit: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si insurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Item illud: Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Domini spem repositam habemus, ipsi confracti ceciderunt, nos autem erecti victoriam reportauimus. Hæc igitur, inquam, spes gentem Christianam imbecillo animo esse non sinit. Sic Constantinus Imperator, non tam numero militum aut robore exercitus aut bellandi scientia quam Christi præsidio Maxentium superauit, quem ita prima impressione metu perterruit, vt in fugam turpissimā versum ad exitiumq; precipitem, Tyberis alueo demergi compelleret. Illum autem eximiū terrorem hostiū animis, ipsius Christi numen iniecerat. Cum .n. Constantinus iam de Christiana religione præclare sensisset, vidit eo ferme tempore, quo erat cum hoste congressurus, æthere puro atq; sereno, crucis speciem, diuino splēdore coruscantem, vocemque è cœlo missam accepit, quæ illi victoriam denunciabat, si modo crucem tanquam summi atq; æterni Dei vexillum sequeretur. Inde igitur omnibus regiis insignibus crucis signum antepositum, in illo omnem spem non,

modo victoriæ, sed immortalitatis & æternæ gloriæ collocauit: illo insignitus innumerabiles hostium copias fudit, imperiumque Romanum latissime propagauit. Quid de Theodosio dicam? qui cum Eugenio ita conflixit, vt facilime se Christi præsentis auxilio superiorem esse cerneret. Fuit autem in hoc imperator ille mirabilis, qui quo tempore reliqui corpora somno & cibo reficiunt, is cibi abstinentia & votis summa religione susceptis animum confirmabat. Cuius quidem pietatis atque religionis fructum eximium tulit. Nam vbi primum signis collatis cum hoste conseruit, excitati repente turbines vehementissimi aduersas copias hostium peruerterunt, & tela ab illis in Theodosij exercitum coniecta, maximo impetu repulerunt. Illius autem insignis victoriæ meminit Claudianus, dum ita ad Theodosium scribit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther:
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Quid Carolus Martellus? Sine Christi præsentis auxilio suspicari possumus, ab exiguis initijs ad tantam gloriæ magnitudinem peruenisse? Præsertim cum eas res gesserit, quæ viribus humanis ffici nullo modo potuissent. Incredibile fortasse multis videbitur, quod est traditum memoriæ, fuisse vno prælio ad trecenta septuaginta millia Arabum, virtute & auspiciis Martelli occisa, eo præsertim tempore, quo gens illa plurimũ armis poterat, & cunctæ Africæ atq; Hispaniæ exitium & vastitatem intulerat. Mihi vero nihil minus admiratione dignum videtur. Nihil est.n. tam arduũ atque

atque munitum, quod non excellens virtus religionis ſtudio confirmata expugnet & conterat. Simili religionis ſtudio incẽſus Carolus Magnus, omnia grauiſſima bella contra Chriſtiani nominis hoſtes ſuſcepit, nec vllum vnquam periculum Chriſtianæ Reip denegauit. Nõ immerito igitur illius virtutes, quibus tanquam gradibus in cœlũ aſcendit, omni genere monimentorum immortalitati conſecratæ ſunt. Ex quibus apparet, quanta animi alacritate Heroes illi quouis tempore, qui Chriſto nomina dederunt, immenſos labores ſuſcipiant ac prælia ineant, atq; ita in hoſtiũ acies irruunt, vt etiam mortem appetere videantur. Cũ contra Ethnici oẽs à Chriſtiana religione alieni, tametſi alias fortiſſimi habeãtur, mortem tamen maximopere horrent. Cauſa autem horroris illius eſt, quod multi illorum animas hominum mortales ſtatuerunt, atq; vna cum corporibus interire atq; euaneſcere putauerunt, alij vero immortales quidem crediderunt, ſalutis tamen animarum nullam habent cognitionem, nullam ſpem, nullã promiſſionem. At Chriſtiani intelligentes, huius vitæ curriculũ exiguo ſpacio circumſcribi, animi cogitationem in illam immortalem gloriam referunt, quæ propoſita eſt omnibus, qui fortiter & pie moriuntur. Refert Cæſar, Gallos illa Druidum diſciplina, quæ perſuadere nitebatur, non interire animas, ſed ab aliis corporibus ad alia poſt mortem tranſire, fuiſſe vehementer ad virtutem excitatos. Itaque metu mortis neglecto, intrepide ſeſe in quodcunque capitis periculum atque vitæ diſcrimen inferebant, cum nihil

aliud

aliud esse mortem opinarentur, quam mutationem vitæ, atque in alia corpora migrationem. Quod si Galli illi prisci immortalitatis opinione vanissima ex immani quadam superstitione concepta, nulla pericula recusabant: Christiani, qui non imbecilla opinione, sed constanti fiducia credunt, se postquam ex hac vita excesserint, fore beatissimos, mortem horrebunt?

CAPVT XIV.

Rationes propagandi religionem.

IN imperiis tanta religionis vis est, vt omnia, quibus humanæ res nituntur, sine illa aut fluxa sint aut prorsus distabescat. Hinc est cur fere omnes, qui peculiare sibi cõstituerunt imperium, nouas sectas introduxere aut sane veteres renouarunt. Videre hoc est in Ismaele rege Persiæ, Seriffo rege Marocci, Mahomete Turca, aliisque pluribus, qui non tantum sua hæresi magno offendiculo fidelibus fuerunt, sed etiam orbi Christiano plurimum sæpe negotij facessserunt.

Omniũ autem vtilissima & antiquissima principi est religio, quam Christiani profitentur. Pariter enim cum corporibus subditorũ bona principi, quatenus honestati atq; æquitati non aduersatur, addicit; animos & conscientiam subiicit: obligat ei non tantum manus externe, sed etiam interiores animi motus, & vt obediant principi malo pariter ac bono, iubet: imo, vt quidvis potiũ perpetiantur, quam pacem dissoluant.

Præcipe etiam Christiana religio in omnibus sub-

ſubditos ad debitam obedientiam magiſtratui obſtringit, niſi euidēter in naturæ legem aut verbum Dei impingat. His reclamantibus nihilominus ad quidvis aliud, quod tamen honeſtati ac conſcientiæ non repugnet, potius quam ad rebellionem recurrendum eſt. Docent hoc Chriſtiani primitiuæ eccleſiæ, tametſi enim perſecutiones grauiſſimas, horrendaque martyria ſuſtinerent, conſtat tamen nunquam eos à ſuo magiſtratu deſciuiſſe, aut aduerſus eum rebelles factos: potius vero rotas, gladium, ignes, tyrannorum & carnificum furores pro ſalute Reipublicæ æquiſſime ſuſtinuiſſe.

Nec eſt vt quis exiſtimet, ipſos impotentia reſiſtendi & reluctandi adactos hæc ſuſtinuiſſe. Integras enim legiones abiectis armis ſupplicia diriſſima ſubiiſſe, memoriæ proditum eſt: imo, quod admiratione digniſſimum eſt, in ipſa lanienia pro incolumitate imperij Romani apud Deum deprecati ſunt. Vidit idem hæc noſtra ætas in Scotia, Anglia, Gallia, Flandria & alibi. Hæc ſatis ſuperque demonſtrant, Chriſtianam fidem cæteris eſſe ſuperiorem. Siquidem arctiſſime ſubditorū corda principibus mutuo deuincit, conſcientias aſtringit, pacis ſocia & promotrix, omnique ſcandalo contraria.

Quando itaque tam præclara, tam aurea germina, pacis Reipublicæq; ſaluti accommodatiſſima lætis viuiradicibus ex Chriſtiana theologia ſuppullulant, vtique maximæ principi erit curæ, ſolicitoque computabit articulo, qui quam diligentiſſime eam propaget, propagatam vero ſartamtectam conſeruet. Lon-

Longe autem vtrinque arcenda ſunt extrema, hypocriſis & idololatria. Illa enim, vt ſupra attigi, nec durare nec occultari poteſt. Detecta autem cultorem ſuum omni fide exuit, adeo vt nemo bonus inpoſterum ipſum probatæ ac non potius ſuſpectæ fidei æſtimet. At idololatriæ proxima pediſſequa eſt contemtus. Amet itaque princeps conſtantiam & pietatem, idololatriam autem auerſetur ceu cane peius & angue. Deus enim ipſa veritas eſt, & in veritate vult coli, pura & illibata mente inuocari, adorari.

Hoc fundamento fideliter iacto debitam reuerentiam verbi miniſtris exhibebit, nec cuiquam aliquid ſcrupuli inijciat, eſſe fortaſſis minus magnificum, velle cum theologis conuerſari. Si enim eos amore Dei, cuius vices in officio ſuo gerunt, reuereris, cur non habearis impius, niſi etiam eodem Dei amore ipſis concedas? Si vero honoris delationem non ex officio, ſed ipſorum met perſona & conditione æſtimes, agis profecto hominem fatuum & ſimplicem. Atque hoc nomine inprimis Ferdinandus Corteſius, qui nouam Hiſpaniam ad ſe traduxit, maximam promeruit laudem. Vir ille erat incomparabilis virtutis, ſacerdotumque veneratione religionem Chriſtianam illis in locis mirifice ac feliciter propagauit, omnibusque caram reddidit; adde quod ſuo exemplo tantos in vulgi animis aculeos reliquit, vt nullibi maior reuerentia, maior honor, quam in noua Hiſpania Canonicis tribuatur. Impoſſibile enim eſt, eum magnifacere religionem, qui theologos deſpicatui habet. Qui enim

reli-

Digitized by Google

religioni, quæ ſub oculorum ſenſum non cadit, multum quis tribuat, cum eius ſacerdotes & cultores, ſingulis diebus ob oculos obambulantes proindeque conſpicuos in minimis ducat?

Eſt autem inter eiusmodi perſonas differentia quædam, minime negligenda. Sunt enim principibus illi deligendi, qui ſingulari ſcripturæ peritia, virtutibusque valent. His conciliabunt auctoritatem apud plebem: id quod fit, vbi eorum conciones frequentes adeunt: vbi eorum opera, ſi modo ſunt alicuius eruditionis & ingenij, nonnunquam vtuntur, vbi cultui diuino promte vacant, adeoque ſuis miniſtris bono exemplo prælucent: vbi interdum conuiuio eos humaniter excipiunt: conſulunt: interdum etiam libellos ſupplices, qui de conſcientia, pauperum leuamine, aliisque negotiis eccleſiaſticis tractant, illis legendos exhibent, & breuiter vt dicam, cum anſam prębent bene collocandi concreditum talentum, vt hinc communis Reipubl. ſalus exædificetur.

Quoniam vero populi multum intereſt quoad res ſpirituales, habere peritos paſtores, officium profecto principum eſt, curare, ne miſer grex deſtituatur rectore. At non obtrudendus eſt, qui lenociniis phaleratisque verborum ambagibus cathedram impleat: aut garrulitate ſua, nullas res vehente, verboſum potius agyrtam, quam concionatorem agat. Qui itaq; à loquacitatis vitio maxime abſunt, erunt ad concionandi munus vocandi. Hi enim pro verbis res, pro nugis veritatem,

tatem, pro vana loquacitate ſpiritum ſucculentũ afferunt, atque ita inculcant, vt in corda auditorum conciones tanquam infuſuri videantur: vitia taxãt, delicta reprehẽdunt, animos dilectione Dei abreptos inflammant, totique in eo ſunt, vt Ieſum Chriſtum crucifixum deprædicent.

Neque permittendum eſt, vt paupertas verbi præcones in contemtum adducat. Nihil enim citius nauſeam ſiue contemtum religionis eiusque miniſtrorum adfert, quam ſi in paupertate miſeri viuunt.

Sumtuoſus etiam ſit princeps & liberalis in ædificiis eccleſiaſticis: plane ſtatuens, magis conuenire principi, collapſa ædificia eccleſiaſtica reſarcire & renouare, quam ex integro noua ædificare. Siquidem eiusmodi renouationes opera ſunt pietatis: nouis autem extructionibus vana plerunq; gloria quæri ſolet.

Omnium autem, & maximè quæ ad cultum Dei creatoris ſui ſpectant, patrocinium ſuſcipiat promtiſſimum. Rex Dauides vel in medio armorum vſu ac motuum bellicorum tumultibus conferebat ea, quibus opus ad ſacra erat, curabat vt ſacra in tabernaculo ordine petagerẽtur: cultũq; diuinum Muſicis & cantoribus adauxit.

A Carolo Magno imperatore excellentiſſimi Muſici ex vrbe Roma miſſi ſunt, vt ſacris peragẽdis eſſent ornamento: quinetiam ſcripta patrum ſedulo legi, martyrumque hiſtorias diligenter annotari & colligi iuſſit. Paulo Diacono fecit otium ſanctorum vitas & res geſtas ſcribendi: & Iſuardo Martyrologium literis mandandi. Conſtan-

ſtantinus Magnus religionis propagandæ ſtudio feruens ſanciuit, vt omnes libri, qui præteritis perſecutionibus miſere diſperſi & amiſſi fuerant, recolligerentur, inſtructiſſimæque bibliothecæ conſtituerentur: idque, quod memorabile eſt, ſuis ſumtibus.

Quo autem politia eccleſiaſtica floreat, omnino decet principem Theologis deferre iudicium de dogmatibus, de ceremoniis, animabus, conſcientiis: & præcipere, vt ad normam & incorruptam ſcripturæ mentem iudicia ferant. Hoc autem princeps omnibus modis iuuet: auctoritate, potentia, adeoque opere ipſo, neceſſitate poſtulante. Quo enim ardentius ſubditi in cultu Dei verſantur, quo magis ſemitis diuinis delectantur, eo promtius ac ſubmiſſius obediunt ſuo principi, quem è ſacris edocti, loco Dei ſibi eſſe norunt.

CAPVT XV.

De temperantia.

QVEMADMODVM religio virtutum omnium mater eſt, ſic earum nutrix eſt temperantia. Niſi enim hæ mutuo cõplexu ſibi inſeruiant, neceſſe eſt prudentiam excœcari, fortitudinem claudicare, ius omne peruerti, omniaque infringi ac peſſum ire. Sic crapulæ, ſomnus & otium omnia, quæ præclara & honeſta habentur, è finibus mundi propellunt. Crapulæ & ventriculi oneroſæ repletiones cerebrum obnubilant, vires labefactant, vitam decurtant. Otia vero lætique dies effœminatum

& abiectum animum parturiunt. Magna quidem hæc sunt mala & vitiosissimi fructus ex se; plura tamen eademque his maiora inde suppullulant. Dum enim præ cæteris eminere, & ditioribus superiores & splendido vestitu alioque luxu, quem reditus annui sufferre non possunt, esse cupiant, furtiuis manibus rapacissime in ecclesiastica bona inuolant, aliisque fœdis & turpissimis modis alienorum dominia in se transferendi passim rationes conquirunt. Cumque sperata lucra non succedunt, vnam in ruinam omnia tendunt. Basi itaque dilabente, omnia superædificata corruant necesse est.

Circumspice quæso, & quam potes alta memoria repete Reipublicæ Romanæ excidium. Inuenies profecto lamentabilem tam floridi imperii interitum voluptatibus & luxui acceptam ferri. Immoderatæ siquidem voluptates, cum Asia & Græcia vtpote incapacioribus capi nequirent, atque ob id in Italia sedem quærerent, Romæ omnes fenestras offenderunt apertas: blando itaque suo veneno clanculum omnibus irrepserunt. Hinc Romanus, armis antehac inuictus ab inerti luxu fractus in fœminæ naturam abiit, pro viro fœmina, pro iustitiæ patrono, iniquissimus prædator factus.

Cum regiæ delitiæ regiusque luxus ingrauescerent, omnes prouincias confœderatasque ciuitates suæ tutelæ commissas suis opibus exuerunt, omnia in vsum priuatum conuertentes. At hoc ipso omnis virtus concidit, fortitudo sub-

sublata est, voluptatibus immersa, populique fauor sæuitia magistratus extinctus & exanimis omnino deletus est: fenestra autem latissima barbaris aperta est, non tantum Romanum agrum inuadēdi, verum etiam ipsam vibem Romam aggrediundi.

Scipione Asiaticum triumphum, Manlioque suum ducentibus, voluptates in Italiam irrepserunt, & dulcissimo suo veneno sensim diffuso omnium medullis atque visceribus profunde insederunt. Tamdiu autem hoc durauit, dum magnanimitas & fortitudo humi iaceret; quo factum, vt populus Romanus crudelissimum Tiberii dominatum, pecuinam Caligulæ vitam, inhumana Neronis facta plusquam ferina, Heliogabali furta ac rapinas, alias que belua insolentissimas, quales neque sol aspexit vnquam, nec in amplissimo hoc vniuerso extitere, sufferre, imo sine ægritudinis dolore obedire non erubuerit. Quod vero tantum non omnes contusi & trucidati sunt, id magis fœminarum quam virorum, magis barbarorum quam Romanorum, magis priuatorum quam senatus virtus effecit. Non fuit gens vlla, quæ tyrannorum crudelitatem æquius tulerit quam Romani.

Vnde colligere licet, ipsorum virtutem tunc in theatris euanuisse, in Luculli viridario emarcuisse, in Mesalæ piscinis submersam, & voluptatibus atque otio plane hebetatam fuisse. Hinc citra pulueremi Roma ab Alarico Gothorum rege, Astulpho, Genserico reg. Wandalorum,

ab Odoacro rege Herulorum, à Theodorico, & Totila Visigotthorum rege occupari, diripi, incendi & in fauillas redigi, omnesque eius prouinciæ & membra auxilio destituta barbarorum potestati fuerunt exposita.

Misera certe humanæ potentiæ conditio: quæ cũ optime floreat, à voluptatum tineis & ferrugine petulantiæ paulatim attrita, tandem in exitium per præceps ruit. Memorabile huius rei exemplum est regnum Portugalense, quod deuastatum fuit, non quidem Maurorum armis, sed deliciis Indianis.

An vero difficilius aliquid sit quam huius mali cursum inhibere, haud scio. Plerique enim, penes quos est potestas, & facultas hæc vitia reprimendi, voluptatum illecebris primi inescantur, illectati vero reuocari se nõ sinunt. Coruo quoque rarior albo est, quem non reddat insolentem victoria, negligentem fortuna, vitiosum potentia. Citius ruinam passum fuisset imperium Romanum, nisi quotundam principum virtute aliquantulum esset sustentatum. Qui enim fieri potuit, vt tanta vrbs à suo statu & potentia non esset mota, in qua, vt Cato ait, piscis boue carius veniit. Imperator Augustus nimios sumtus in ædificiorum luxu tollere conatus est: publico enim edicto sumtuariam illam legem per P. Rutilium venustissima oratione populo proponi iussit. Tiberius conuiuiorum sumtus vetuit, suo exemplo ad parsimoniam priuatos inuitans: Nam in conuiuiis sæpenumero relicta fragmenta, aut dimidium apri caput apponi iussit, addens

addens,partibus cum toto communem esse naturam. Vespasianus vili suo vestitu, tenuique victu intemperantiam passim cohibuit.

Filius ipsius Domitianus anaclinteria, vestium purpurearum, magaritarum, & similium vsum edicto sustulit:paucis tantũ illa permittens, iisq; certæ ætatis & conditionis, statisque diebus. Omnium tamen maxime à sumtuositate abierũt Aurelianus & Tacitus, qui vt non concedebant, holosericis vestibus vti subditos,ita ipsi ab earum vsu plane abstinebant. Aurelianus sibi proposuerat vetare, ne aureæ laminæ, vestibus, ephippiis, lectis,aliisq; rebus ornatus gratia adhiberentur, asserés inutile esse quicquid eius hoc modo vsurparetur.

Maximis autem curis instandum est,ne modum muliebris mundus & ornatus excedat. Superbi enim & corrupti mores mulierum non tantum,vt ait Aristoteles,sua turpitudine turpes sunt,verum etiam maritorum animos ad auaritiam, aliaque turpia & illegitima accendunt.Hinc fit vt,cum vxores byssinis suis & fallacibus verborum pigmẽtis facilius imponant maritis,quam vxorum effrenatam licentiam illi coërceant, pauci imo pauciſſimi è maritis inueniantur, qui vxoribus vere dominentur. At vero immoderatus luxus importat ambitionem & leuitatem,imo lasciuiam sexus muliebris,quo tandem fit, vt si non prorsus deliciis illis exhauriuntur, insignem tamen ac certissimam fortunarum suarum faciant iacturam: quo enim vehemẽtius crescit superbia, eo cumulatius currunt vsuræ.

Operæ itaque precium eſt impenſas & ſumtus in veſtitu & conuiuiis imminuere, id quod duobus modis confici poteſt. Primum, ſi quidam pretioſiores panni aliaque cariora ornamenta omnibus in vniuerſum interdicantur: vt à Portugalenſibus & Geneuatibus factitatum ſcimus. Aut ſaltem, niſi prohibeantur, vectigalibus aliisque cenſibus ita onerentur, vt maximo pretio quam cariſſime vendantur. Sic enim illorum vſum ſolis principibus vulgus vltro relinquet.

Verum non tantum pretioſæ illæ merces temperantiæ officiunt, adeoque imperii tranquillitatem maiore afficiunt detrimẽto: ſed etiam Resp. & ditiones magna vi auri & argenti emungunt. Gemmæ enim, vniones, ſuffitus & alia, cum apud exteros tantum naſcantur, magno pretio redimenda ſunt. Quo fit, vt illis mulierum blanditiis & delitiis ditiones principum, pecunia aliorſum aſportata, exhauriantur.

Hæc itaque propter maxima damna, quibuscum ſunt coniuncta, non ſunt tanquam per tranſennas inſpicienda. Eſt enim indubitatum, potentiſſima quæque imperia duobus illis vitiis peſſum iiſſe, voluptate nimirum & auaritia, quarum hęc illius filia eſt, illa autem à mulieribus introducta.

IOAN.

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Quomodo tractandi sint subditi, ne fiant rebelles.

HACTENVS generatim sermo nobis fuit de virtutibus, quarum beneficio princeps & in fauore populi & auctoritate esse potest, iis enim imperiorum maiestas perdurat: agamus deinceps in specie, de iis, quæ ad Reip. conseruationem sunt necessaria.

Horum primas sibi vendicant rerum abundantia, pax & iustitia. Dummodo enim à domesticis atque externis bellis tuti victitant, nec est, quod sibi à vi aut occultis expilationibus metuant subditi, facile ac paruo contenti ad sublimia non tendunt, modo tamen victualia tolerabili pretio parare queant. Testimonio nobis esse potest populus Israeliticus: quamuis enim in Ægypto seruitutem seruirent grauissimam, & à seruis Pharaonis immensis laboribus nimium pressi vix respirare possent, libertatem tamen propter victus abundantiam fere prostituerunt. Contra vero aqua aut aliis rebus in deserto deficientibus tumultuantur, morosiusque de auctore, qui ex Ægypto eos eduxisset, conqueruntur.

Qui Romanæ Reipub. gubernationem affectarunt, largitionibus & beneficiis in populum collatis id perfici posse, vbique existimarunt, nempe frumenti distributione, agrorum partitione, aliisque, quibus habendi amorem plebi explerent. Faciebant hoc Cassii, Melii, Manlii, Gracchi, Cæsar aliique. Vespasianus rerum Romæ potitus non commisit, vt esset penuria victualium. Imperator Seuerus magna cura effecit, vt post obitum ipsius tanta copia, quæ vrbi in septennium alendæ sufficeret, frumentaria redundarent. Aurelianus, quo vilius victualia emerentur, assem vncia auxit. Censebat enim, vt ex ipsius litteris videre est, non esse quicquam populo Romano antiquius & suauius, quam si exatietur. At vicissim docet experientia, omnium maxime plebem victualium inopia & caritate moueri, & exacerbari.

Abundantia vero rerum non posse frui, parum prodest, puta, cum hostiles incursiones aut homines scelerati ac malitiosi effrenata sua audacia prohibent. Opus itaque est, vt abundantia, pax & iustitia consocientur.

Porro cum vulgus sua natura sit mobile & inconstans, nouitatisque auidissimum, plerunque nisi prudenti quadam ratione à magistratu coerceatur, nouationes imperiorum & ordinum mutationes molitur. Hoc malum cauti & sapientes principes publicis ludis & exercitiis plerunque præcauerunt.

Eiusmodi exercitationes quo magis animi & corporis vires excitant, eo sunt instituto nostro accom-

accommodatiores. Instituebant Græci maiore acumine & delectu suos ludos, quos Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia vocarunt: quam Romani ostenderũt in suis Apollinaribus, Secularibus, Gladiatoriis, Comœdiis, Venationib. & aliis ludicris, quib. neq; excitati animi, neq; debito modo agitata fuerũt corpora; solum temporis tædium subleuatum. Græcorũ autem theatra optimæ fuerũt exercitationes corporis & animi. Sed missa hæc facio. Augustus imp. sapientissimus ipsemet semper publicis illis ludis interfuit: tum vt maior eorũ esset dignitas & celebritas, tum vt commõstraret curam se non paruã pro populo recreãdo gerere. Verũtamen multis annis intermissi ludi ob aquarũ inundationes & bella assidua contra barbaros, postea vero rursus à Theodorico Gotthorũ rege sapientissimo, sed Arriano, laudabiliter instaurati fuerunt. Hic theatra, amphitheatra, circulos, pugnas nauales, variaq; exercitia & ludos veterũ denuo in nouam scenã produxit: tanta profecto oblectamenta populi, vt sibi vnice hunc imperatorẽ perpetuo optaret.

Imitabantur hoc Matthæus & Galeatius, vicecomites Mediolani: Laurentius & Petrus de Medices Florẽtiæ, decursionibus, stadiis & similibus, quo nomine ab omnibus diligebãtur. Procul autem ab his spectaculis discrimen vitæ absit: secus enim si peragantur, expresse in verbũ Dei impingunt, neq; ludicrorũ proprium retinent. Ludorũ enim natura est, in euidens periculum aut damnũ præcipitare neminem, multo minus interimere. Zizimus frater Baiazetis percõtantibus olim, quid

de noſtris decurſionibus ſentiret: Infra ſerium, reſpondit, longe ſunt poſita, iocandi autem modum excedunt, ob euidens vitæ periculum.

Quid quod ſpectatorum animi, excruentis eiusmodi theatris & ludicris cædibus extimulantur ad furorem, tyrannidem, langu inolẽtiam, &c. Quæ nil niſi diſſidia, contentiones, ẽdes, aliaque delicta pariunt. His rationibus accenſus Honorius, vt quidam volunt, pugiles vrbe remouit. Monachum enim in impiam illam conſuetudinem execrabilesque ritus aſperius inuehentem populus, qui die illo in cruentis illis theatris ſpectator fuerat, in rabiem actus de medio ſuſtulit.

Inſit etiam grauitas & honeſtas hiſce ludis. Quo enim propius ad naturam honeſtatis & dignitatis accedunt, hoc magis valent ad inuitandum populum & oblectandum. Felicitas enim, quam theatra tanquam in ſpeculo nobis exhibent, duo in ſe complectitur, voluptatem & honeſtatem. Pluribus itaque tragœdiarum vſus quam comœdiarum probatur. Comœdiæ enim de rebus ab honeſtate remotioribus agunt: & actores earum potius agunt hiſtriones ſiue lenones, quam ludorum artifices.

Hinc nõ ſine graui cauſa ius Canonicum illos à baptiſmo arcet, neque ad Euchariſtiæ ſacramentum admittit, niſi turpi illo lucro manus abſtineant. Cur vero ius Canonicum & eccleſiaſticas conſtitutiones commemoro? Scipio Naſica metuens, ne populus Romanus frequens comœdiarum & ludorum ſpectator & auditor ſeductus vitiis & ſceleribus ſe inquinaret, ſenatui vt

thea-

theatrum, nuper extructum, demoliretur, grauiter suasit.

Sacris comœdiis plus admirationis & maiestatis inest quam profanis: argumentum enim sacrum & diuinum tractant. Hinc Aristoteles principi consulit, vt sacrificia solemni pompa peragat. Oculati etiam sumus testes, cardinalem Borromeum populum Mediolanensem peculiaribus festis oblectasse, quæ religiose non vulgaribus ceremoniis atque incredibili auctoritate sunt celebrata. Tum temporis à summo mane ad vesperam vsque templum hominibus refertum, Mediolanensesque tam hilares conspiciebantur, vt similiter apud vllam gentem factum vix credam.

CAPVT II.

De honestis & arduis rebus, quibus princeps ad oblectandum populum, intentus esse debet.

PRÆDICTIS rationibus adiungendæ sunt aliæ, sublimes sane & heroibus dignæ: Honesta nimirum & præclara principum ausa, operaque eximia. Duo autem illorum sunt genera: quædam enim ciuilia, quædam bellica. Ciuilibus annumerentur ædificia: quæ aut propter structuræ insigne artificium, aut vtilitatem non exiguam in sui admirationem spectatores conuertunt. Talia fuerunt: Propylęum à Pericle extructum, Portus Hostiensis a Claudio conditus, & à Traiano amplificatus, Aquarum ductus, pontes, cuniculi subterranei, paluſtriũ muscosorumq; locorum supplementa, via-

viarum renouationes, idque in communem hominum vſum, quales fuerũt, Æmylia, Appia, Caſſia. Aquarum ductus: vt cum duo flumina per cuniculos cõiuncta nauigabilia aut aliis vſibus idonea redduntur, ceu ſunt canales Mediolanenſes, ptochotrophia, templa, monaſteria, vrbes. Ad quæ fortaſſis non incommode referuntur naues inſolitæ magnitudinis, qualem Alfonſus I. Arragonum rex extruxit; & peculiares apparatus bellici, quales erant machinæ illæ Demetrii, arietes nimirum & baliſtæ, quibus ſubruerentur muri.

Duo autem hic vitanda ſunt, primum, ne omnino ſint inutilia: alterum, ne iis nimiùm onerentur ſubditi. Multis ergo nominibus carpendi ſunt reges Ægyptiaci, quod immenſis ſumtibus, infinitis laboribus, ſolum vt oſtentarent & venditarent ſuas opes, altiſſimas ampliſſimasque regias ſibi extrui curarunt. Quid dicam de reginæ Semiramidis vanitate: quæ in monte quodam ſtatuam ſedecim ſtadia altam ſibi erigi iubebat. Nec magis profuit magnus ille Coloſſus veterum ſcriptis admodum celebris. Non iniuria huc retuleris baſilicas ſiue palatia, quæ ſapientiſſimus ille rex Salomon incredibili ſumtu & intolerabili ſubditorum grauamine ædificauit.

Princeps autem, dum ſubditorum oblectamenta & modeſtiam quærit, eorum opes hirudinis inſtar exugere, atque ita ad deſperationem adigere minime debet. Itaque quærat quidem princeps, qui ſubditos oblectet, ita tamen, ne oblectationes illæ fortunis eorum fraudi ſint. Nam

quo

Digitized by Google

quo maius inde ſperatur emolumentum, hoc ſubditi ad iuſſa ſunt promtiores: ſubleuat hoc ipſum grauamina, cenſus imminuit, labores promouet: emolumentum autem hæc omnia ſopit.

CAPVT III.

De bello ſuſcipiendo.

BELLA ſuſcipere maioris eſt voluptatis. Maximo enim deſiderio bellorum, quæ proſunt, vulgus ducitur. Mouentur autem, ſiue ad tuendos imperii fines, ſiue ad amplificandos, adeoque legitime opes & gloriam acquirendum, ſiue confœderatos defenſandos, ſiue amicis opitulandum, ſiue religionem cultumq; diuinum propugnandum.

Hiſce plerunque operam ſuam promtiſſime locant, qui conſiliis & reipſa iuuare poſſunt, animumq; communis hoſtis vindicta explent. Cætera turba caſtra ſequitur, commeatum adducens, aliaque quibus opus eſt: aut domi deſidet otioſa votis ardẽtibus à Deo opt. max. victoriam expetens, aut ſolicite euentum belli expectans. Id quod omnium animis ſeditionum & tumultuum excitandorum libidinem eximit: quoniam omnibus eſt quod agant aut armis aut ſolicitationibus de dubio belli euentu.

Ad hanc rationem tanquam ad ſacram anconam, quoties in populo ſeditio exorta eſſet, Romani vbique confugerunt. Educendo enim populum in aciem ſedabant eorum animos aduerſus nobilitatem inflammatos. Cimon Atheniẽſem

sem pubem inquietam esse animaduertens, duas instruit triremes contra Persas, animositatem atq; fortitudinem ipsorum exploraturus.

Penitius etiam introspecturi, cur Hispania ab omni incursionis aut belli metu libera & immunis sit, Gallia vero ciuilibus bellis perpetuo agitetur: inueniemus in eo situm esse, quod Hispania exteris bellis in regionibus longe dissitis, India, Belgio, contra Turcas & Mauros sit destricta. Hispanorum itaque animis & manibus laboribus occupatis, pax domi adeo viget, vt ne aura quidem, nedum presteres seditionis persentiscătur. E contrario vero, cum Galli nullos hostium strepitus viderent, intra mœnia & portas ipsimet arma exercent, omnique causa destituti, Caluini dogma prætenderunt.

Assiduis bellis & victoriis Ottomanni non solum imperii sui limites extenderunt, sed etiam quod occuparunt (neque hic minus interest) præsidiis firmissimis muniendo subditis suis pacem pepererunt.

CAPVT IV.

An expediat, principem ipsum bellis interesse.

NON omnino alienum est præsenti negotio, enodare quæstiunculam quandam, an expediat, vt princeps ipse in aciem prodeat, bellis adesse debeat, nec ne.

In vtranque partem sexcentis argumentis & rationibus prolixe disputari potest. Vsuuenit nō raro

raro è multis belli ducibus vnum pluresve inueniri, sapientiores, fortiores, feliciores, quam est ipse imperator. Atque hoc casu bellum illorum opera & industria quam ab ipso imperatore geri præstat. Nisi enim virtutib. militaribus & summo imperatore dignis sit ornatus: multa profecto numero consilia & quidem saluberrima ipsius præsentia impedita euertentur.

Imperator Iustinianus nunquam ab vrbe Constantinopolitana sine consilio, virtute & prudentia suorum ducum secedendo, Italiam è manu Gothorum, Africam vero Wandalorum extorsit, Persarumque temerarios tumultus compescuit: felix fortunatusque creditus virtute Belisarii & Narsetis, & aliorum, quibus vtebatur. Eodem modo Carolus VI. rex Galliæ Biturigis castrametatus virtute ducum, qui gloria bellica erant celeberrimi, Anglos regno suo eiecit. Hinc nomen Sapientis ipsi datum est.

Verum cum princeps talis est, qualem oratio nostra desiderat, atque ipse coram exercitum ducit; non tantum ea conficiet, quæ alias inferior aliquis faceret, verum etiam maiestate sua ducibus addet animum, & in spem meliorē milites eriget. Dicit enim recte solet,

Vrget præsentia Turni.

Principem vero virtutibus bellicis conspicuum vt creare, ita dare solius Dei est. Itaque in præsenti tantum indicaturi sumus, vbi & quando præsentia principis sit necessaria. Hæc autem nostri discursus sit quasi anticipata notio

& re-

Digitized by Google

& regula irrefragabilis: ne princeps locum mutet, nisi manifesta vis Martis aliaue res magni momenti suadeat. Expeditiones autem suscipipiuntur aut ad custodienda nostra: aut ad inferendum damnum & aliena ad nos pertrahēdum. Defensio suscipitur aut ob præcipuam ditionis partem, vbi tibi sedes est, aut ob membrum imperii, sed longius dissitum.

Concludo itaq;. Cū hostis magno & instructo exercitu terræ mœnibusque appropinquat, principis arcem oppugnatum, tum sane lacessitus princeps hostili exercitui occurrendo circumspecte & caute agit. Primo enim famam nominis augebit, nobiliumque animos pariter cum plebe commouebit, vt sponte sequantur, de gloria & victoria certatim laboraturi: imo animū iis addit pro regni regisque salute alacriter pugnaturum, neque quicquam periculi detrectaturum. Plurimum ad vindictam confert prouocantis iniuria, quāto magis animus, quem sui & Reip. commodum exacuit.

Præterea tantæ molis tantique momenti res est, ordinis & politiæ conseruatio, adeo vt ea nemini nisi principi accepta referri debeat. Secus si fecerit princeps, multum dignitati suæ detrahet: vt hoc videre est in Childerico, rege Galliæ.

Abdimarus rex Hispaniç plus quadringētis millibus Saracenorū in Gallia irruit, & panico quasi terrore incolis iniecto obuia quęq; in Xāthonorū & Pictauiorum finibus incendiis & direptionibus deuastauit. Interea temporis Childericus domi deli-

Digitized by Google

deliteſcens voluptatib. indulgendo ſecurus more Sardanapali in diem viuebat. Aſt Carolus Martellus ferox & animoſus ſubito magno exercitu coacto, cui flos nobilitatis Gallicę aderat, barbaris occurrit, magnoque prælio trecentis ſeptuaginta quinque millibus hoſtium fuſis victor euaſit. Facinus vt erat calidum & egregium; ita quoque in famæ atque exiſtimationis momentum hoc proderat, vt tota nobilitas ab ipſo penderet, rex vero in fabulam abiret. Vnde mirandum non eſt, cur ipſius filio Pipino anno à natu Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo tam procliuis ad coronam aditus patuerit, rexque fuerit ſalutatus.

Subditi vero nõ tantum obligantur & deuinciuntur ei, qui ſecularem Remp. adminiſtrat, verũ etiam illi, qui politiam eccleſiaſticam regit. Maximus enim hic theſaurus eſt, contemnendus nemini: quippe ad oẽs generatim pertinẽs. In regno Gallico, cuius modo mentionem fecimus, ſæpius apparuit, quantũ quidem fauorem ſibi accurata fidei cultusq; diuini defenſione captarint.

Opus tamen non eſt, vt princeps omnibus cõflictibus & velitationibus interſit, ſatius eſt, vt ſit cum vniuerſo exercitu: & breuiter dicendo, talẽ ibi agat, vt ordinis gubernatio ſi non omnino at ſaltem bona ex parte ipſius prudentiæ, induſtriæ ac magnanimitati adſcribi queat.

In bellis offenſiuis, vt vocant, idem debet obſeruare, modo ea in vicinia maximis viribus atq; acriter moueantur. Vicinia enim iis, qui bello colophonem addunt, fauorem & gratiam conci-

liat,& militi etiam ad ardua tentanda animos addit atque robur.

Quod ſi eminus procul ab aula principis bellū geritur,tū princeps caueat,ne illam imperij partē, à qua finitima imperij membra auctoritatem,vires roburq; ſuum mutuantur,deſerat; ſecus enim ſi fit,tum ademta ſibi ſpe ſuppetiarū,quas alioqui à ſuo principe ſperabant,animo deficiunt. Caute idipſum obſeruaſſe imperatorem Tiberium accepimus.Etenim,cum Germanorum legiones nō ſine magno periculo in ſeditionem erupiſſent, & præſentia imperatoriæMaieſtatis ad pacandos ſeditioſorum motus, requiri videretur: indignum putauit vulgi aliorumve hominum, quicunq; illi tandem eſſent,iudicia attendere,minus decorum potenti monarchæ ratus,niſi ſumma vrgente neceſſitate alio ſe cōferre, relicta ſede regia, vnde totius imperij ordo & gubernatio dependet.

In hanc ſententiam Herodotus quoq; ſcripſit: Non licuiſſe Perſarum regi extra imperij fines in armis eſſe: niſi ad declinanda bella ciuilia domi vicarium regio inſigni & honore conſpicuū conſtituiſſet. Ottomanni haud facile pugnis naualib. ſe committunt. Inter omnes ſolus Solimannus in bello,quod contraRhodū ſuſceperat,Hellespontum,qui terram ab inſula diuidit,tranauit.

Non poſſum nō magnopere hic admirari Machiauellū, qui ſuo principi ſiue tyranno aut quisquis is demum ſit, auctor eſt, vt mutata propria ſede in regiones nuper à ſe occupatas concedat. Sequatur hunc ducem qui velit;ego ſecus ſtatuo. Annon enim princeps,ſi Macchiauelli conſilium ſecu-

secutus fuerit, hoc modo subditos suos, quos hucusque obtemperantes habuit, amore peregrinorum, & quod iam possidet, propter aduentitium per præceps in periculum præcipitabit? Assertionem ille suam quidem adductis exemplis probat; nempe Magnum Turcam sedem, quæ antea erat Bursiæ, Constantinopolim transtulisse; sed nihil hæc ad rhombum. Turca enim non habet veros ac naturales subditos; adde quod Constantinopolis in medio imperij Turcici sita maximam ipsi ad res gerendas affert opportunitatem.

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Qua ratione seditionum nerui sint incidendi, & primum, de tribus hominum generibus, ex quibus qualibet ciuitas constat.

QVONIAM non satis est nouisse, quib. rationib. subditi tractandi, ludisq; à tumultibus sint auocãdi, siquidẽ plerunq; ita fit, vt efferatæ multitudinis furor, vbi semel effebuit, lenitiuis non amplius possit restingui aut sanari, quocirca mature prouidendũ, vt omni tumultuum ansa lõge lateq; pręcisa ita coerceantur, vt nequaquã possint repagulis publicę tranquillitatis effractis seditiones concitare. De quo negotio in præsenti nonnihil disseremus.

In omni Republica tria hominum genera reperiuntur. Alij valde copiosi & locupletes, alij egẽtissimi ac tenuissimi, tertij inter hos medij. Ex his medij sunt tranquillitatis studiosiores, & imperium facile admittunt; cæteri vero non item. Illi cum Salomone, Ecclesiast. 30. cap. precantur. *Inopiam & diuitias ne dederis mihi, sed fac vt decerpam panem demensi mei.* Hi vero impatientiores fortunam incusant & aduersus etiam Deũ ipsum interdum murmurant. Hinc Plato, vt Cyrenis leges, ex quarum præscripto viuerent, præscriberet rogatus, modeste recusauit, addens, difficile esse leges Cyrenis constituere, dum in illa felicitate & fortunæ prosperitate starent. Pauperes autem legibus regi non possunt: siquidem necessitas legibus est soluta.

Ex hac autem animorũ discrepantia, legibusq; parẽdi obstinacia prodit partus vbiq; immaturus, certissimamq; Rebusp. perniciem afferens, seditio, audax, superba atq; insolens, impudentissime quæq; aggrediẽs, ac nimia celeritate, cum scelere coniuncta, conficiens. Quid.n. altissima ciuitatũ mœnia citius ab ipsis fundamentis concutit quã seditio? Quid monumenta antiquitatis & ornamenta pacis furẽtius inuadit quam seditio? Tempus est edax rerum, at dentatior tempore est seditio: nam rapit, vorat, consumit omnia: hæc nunq; concepta est sine pernicie matris, nunquam parta sine naufragio ciuitatis; ambitiosa hæc est factio, & factiosa ambitio, qua ardentes mali ciues rebus nouis studeant, nullaq; re magis capiuntur quam discordia, qua semel accensa, nec alta Carthago,

nec

Digitized by Google

nec tumens Græcia floret; hæc semper vtitur sæua & caperata fortuna in vertendis globulis rotisq; suis; & sane imperia, nationes, regna, sunt nihil aliud quã pilę fortunę, si virtutis sceptro nõ roborentur: si ergo nihil magis rotã fortunę in imã vertit quã seditio, seditio est prima lues & pestis ciuitatis.

Causæ autẽ, sub quibus virus seditionis latet, & quasi pruna sub cinerib. occulta ardet, sunt variæ. Aut enim seditiones mouentur ab opulentiorib. aut à tenuioris fortunæ ciuibus, aut magistratus ipse dat causam seditionibus. Potissima causa seditionis est elatio animi, qua fascinati mortales in sui ipsorũ amore pereunt. Isti sunt, qui se altius cũ Icaro efferentes, & in currum veluti solis temere volãtes se posse omnia, cum nihil possint, sibi deberi omnia, cum debentur nulla, otiose somniãt; atq; hi, cum sint aliquantũ opulentiores, se omnino pares cum honoratis viris principibusq; ciuitatis efficere conantur; quorum sane quidam miseratione propemodũ digni sunt (si misericordia superbiæ & stultitiæ tribui potest) qui cũ nulla laude floreãt, nulla vitæ dignitate, nullo amplitudinis fructu, ita tamen inani insignium gentiliciorum nomine sibi blandiuntur, atq; si cœlo delapsi fuissent. Operæ pretiũ autem est, videre istorum in omni genere insolentiam; tunc autẽ maxime cum in regia versantur. Famulorũ pars antecedit: pars autem magno agmine subsequitur, ipsi vero in gressu certis quibusdam numeris vtũtur. Cum autẽ à ianitoribus introducuntur, & omnia circum cõmouentur, tum demũ sese felices supra quã dici potest existimant. Credo q̃ illic tandem

contagione plebis minime violantur. Nec enim quenquam fugit, in quantã religionem veniat, si quispiam eorũ, qui sibi heroes vidẽtur, nec omnino nati sed à Deo aliquo effecti, plebeio homini familiariter admixtus incedat. Cũctas religiones pollui clamabunt oẽs, & omnia nobilitatis sacra funditus interire, &c. Tametsi vero diuites variis modis stomachari solent ir egentes, nihil tamen apud eos obtinẽt, quin & ipli vicissim stomachãtur, liberos se æque esse atq; diuites gloriantes. Ita susq; deq; vertuntur omnia, & pacis templũ arietibus Martis concussum cadit. Sic bilis in stomacho, bellum in ciuitate ardet.

Porro Aristoteles seditionis mẽbra diusim tractata egregie in vnũ locũ traxit, vt monstri horribilis species omnium animos ad studium pacis commoueat. Recẽset autem tredecim seditionis causas, quæ fibris inter se cohærentes, charybdim Rerump. efficiunt; hæ sunt, vt ordine dicam, iniuria, auaritia, honor, excellentia, metus, contemtus, excessus rerum, fortuna, discordia, otium, paruæ occasiones, dissimilitudo & locus.

Est autem iniuria, vt de hac primo loco agam, iniusta læsio ciuis, quã nemo nisi inuitus patitur; qui ergo istius aculeos aut per nominis aut per rerum priuatarũ damnũ & iacturam sentiunt, facile acuuntur in eos, qui illis iniuste nocent. Impatiẽs enim est natura humana damni, vimq; iniuriæ nõ potest cõcoquere. Qui ergo velint seditionis neruos discindi, necesse est vt ab iniurijs & oppressionibus populi mentes manusq; detineant: nã nihil magis vrget ad factionem quam iniuria, nihil vehementius vrit quam oppressio. Aua-

Auaritia, quæ eſt ſecunda radix ſeditionis, eſt inextinguibilis ſitus & appetitus rerũ, qua veluti febricitantes magiſtratus ad omne ſterquilinium fortunæ ſordide rapiuntur. Iſta oĩum vitiorũ fæce cõtaminati principes à ſuis ciuib. indigni ſemper imperio iudicantur. Hinc liquefactum aurum ſuffocauit Craſſum, ſtygium tormentum cruciauit Tantalum, nomẽ Aſini vulnerauit Midam. Quid multis? ciuitas tuta non eſt vbi auaritia regnat.

Honor verus eſt præmiũ felicitatis, falſus vero nihil aliud eſt quã riſus fortunæ & inanis ſtrepitus multitudinis; huius flatu permulti ſic tument, vt oẽs præ ſe inſolenter contemnant, perpauci ſunt, qui iſtius voce & nomine non delectentur, nulli pene ſunt, qui vmbrã honoris fugiunt, à quo ſi vel latum (vt aiunt) vnguem coacti diſceſſerint, continuo in maniam aut phreneſin incitantur: nihil ergo truculẽtiorem ſcenã in Rep. edit, quã iniuſta honoris poſſeſſio, nihil maiorẽ luctum efficit, quã dedecoris metus & ignominia. Circũſpice ſi placet, & intuere imperiorum ſtadia, ô quantas tragœdias honorum excitauit ambitio.

Excellentia, quæ quartũ ſeditionis ouum conficit, eſt eminens & inſignis vnius aut paucorũ præ aliis omnib. in ciuitate potentia; vnde monarchia aut dynaſtia enaſci ſolet. Hanc olim Argi, Athenienſes, Romani, Carthaginenſes tã capitali odio proſecuti ſunt, vt Herculem, Themiſtoclem, Scipionem & Hannibalem præcellentes viros oſtraciſmo teſtaq; exulum denigrarint. Sed hoc malũ (ſuadente Ariſtotele) naſcens opprimi & coerceri debet, ne inueteratum robuſtius hat,

Metus quinta existit seditionis causa, q̃ passim definitur expectatio futuri mali: hoc animi motu perculsi qui iniurias fecerint, ne dent pœnas, aut ipsi talionis legem patiantur, flabella seditionis fiunt. Sic antiquitus in insula Rhodo nobiles, qui iugum populo iniecerunt, metuẽtes vtiq; ne iuste affligerentur, seditiosa arma in populum susceperunt. Vetus est illud: Odium est vmbra metus. At ex odio seditio nascitur: Ergo ex metu.

Sexta causa seditionis est contemtus, qui definiri potest supercilios quædam reiectio & indignatio ciuium, qui putant non minus se demereri, quam qui in arce ciuitatis sedent. Istius carbone notari abhorret humana natura, quippe libera cum sit, sui potius interitum quam contemtum patietur. Carthago, superba illa ciuitas, propter vnius legati contemtum deleta est: Thebana, Megarensis & Syracusana, amplissimæ olim ciuitates contemtu fractæ conciderunt.

Incrementum septimo iam loco positum, est monstrosa & vltra modũ diuitiarũ augmentatio, quæ non aliter ad aurũ seditiosos, quam fames ad prædam leones mouet. Quare sicut corpus secundum proportionẽ augeri debet, vt partes concinnitatẽ & consensum habeant: ita si in Rep. ciues conspirare velint, modum accumulandi opes & potentiam obseruari decet. Nam aliter vt corpus in alterius animantis figurã vertitur; ita Resp. in aliam administrationis formã facile cõmutatur.

Octaua fax seditionis est fortuna, quæ hic incerta & occulta calamitatis causa definitur. Huius vulnus olim Tarentini, Argiui & Athenienses peri-

periculoſe ſenſerunt; quorum nobiles fortuito extincti, non ſolum ſui ſed etiam ſuarum ciuitatum calamitates extitere. Cæca profecto eſt rerũ humanarũ domina fortuna, quæ ludens, Aſſyriorum, Græcorũ, Perſarũ, & iam etiam propemodũ Romanorum imperia in puluerẽ, pene dixeram, in nihilum cõmutauit. Cæcam fortunam cauſam appello, nõ quod quicquam fiat ſine prouidentia Dei, qui ortum & occaſum imperatorum videt, ſed quia ignota hæc cauſa eſt, cur Alexandri veneno, hoc eſt, cur monarchæ & eorum ſceptra occultis modis tollantur. Eſt ergo fortuna cauſa quædam mutationis, ſi ignorantiam humanam, at nullo modo, ſi prouidentiam diuinam ſpectes.

Nonam ſeditionis cauſam, nempe diſcordiam addit Philoſophꝰ, quæ eſt de reb. leuioribus ciuiũ inter ciues inuidioſa cõtentio. Hæc aliquãdo efficit, vt democratiæ, in quib. multi locupletes fiant, in oligarchias ſeu paucorũ potentias migrent; diuites enim egre ferũt, vt pauperes ſibi in libertate imperij adæquentur. Huc etiam verecundia, quæ eſt indignitas magiſtratus, referri poteſt, cum nõ iudicio ſed ſorte ſartores & ſutores fæcesq; populi in magiſtratum ſumũtur, vt in ciuitatibus quibusdam, in quibus nonnunquam ſimiæ non opes ingenij, ſed ſordes & nates ab altis ſedibus in officio produnt, ſicut olim Piſo temulentus in ſenatu fecit, & ſicut hodie paſſim heu nimis multi faciũt.

Decima nunc cauſa mutationis nimirum incuria & negligentia ſequitur, quę eſt in officio laboris tædium & oſcitantia magiſtratus, qui oculum in ſummitate ſceptri vigilãtẽ nõ habet; hoc modo

contigit, vt vulpes & astuti homines alieno animo à Rep. existentes in Reip. viscera se insinuent, eodemq; potiti voto lacerent & dilanient. Hac occasione, vt opinor, Israëlitæ optarunt regẽ, quia iudices & sacerdotes negligẽter suum præstiterũt officium, & certe videtur Salomon nimio otio vitæ sepultus regnum in tyrannidem, cultumq; Dei in superstitionem commutasse. Recte Poëta:

Otium reges, simul & beatas
Perdidit vrbes.

Scipio Nasica ideo noluit Carthaginem deleri, ne populus Romãnus in otio viueret; & sane ciuitas illa florere non potest, in qua bos minoris quam piscis emitur. Claudius Nero solitus est dicere Capuam Cannam, id est, perniciem fuisse Hannibali; quippe in ea suos milites meretriculis, balneis, alijsque id genus delicijs mancipatos passus est effœminari.

Vndecimum locũ inter seditionis causas partæ occasiones habent; quæ sunt res, vt prima specie apparent, parui momenti, cæterum si oscitantius aut negligentius tractentur, ciuitatem in magnum periculum & discrimen vocant. Nã vt multis arenis nauis immergitur, vt bos culicum multitudine suffocatur, ita rebus minimis ac tricis neglectis magna nonnunquam euertuntur imperia. Sapienter Hippocrates: Nihil contemne, nam nihil paruum est: pustula sæpe in peracutum morbum, res parui ponderis in grande discrimen migrant: non est ergo in leuiculis scelerum occasionibus extirpandis morandum. Res parua inprimis videbatur Romanis, tribunos plebis instituere

tuere, ſed hæc libertas licentia facta lumen conſulum obſcuraſſe dicitur.

Duodecima ſeditionũ cauſa eſt diſſimilitudo morũ in ciuibus; hæc certe inter cæteras maxima cauſa conuerſionis eſt. Nam vt nihil citius corpus humanum inficit, quam peſtilentium vaporum cum innatis humoribus copulatio: ita nihil velocius corrumpit ciuitatem, quam peregrinorũ hominum admiſſio, in qua contagio & venenũ latet.

Poſtrema nũc cauſa ſequitur nempe locus, qui hic non tam pro ſitu quam pro influentia cœli ſumitur. Hinc gẽtes ſub Marte bellicoſæ, ſub Mercurio leues, ſub Ioue fortunatæ, ſub alijs virtutibus cæli alijs affectæ moribus ac modis dicuntur. Eſt quoq; in ſitu loci motus quidam & fomes, quo ſæpe incitamur ad mutationem, ſic teſte Ariſt. Athenis mãgis populares erant qui in Piræo quam qui in vrbe habitarunt.

Cæterum rabida tametſi & furioſa res eſt ſeditio, cuius dente vulnerata ciuitas cõtabeſcit cito; cæterum ſi fiat edentula, eiuſdem latratus (vt quidam volunt) plurimum non nocet. Nam vt fures à tectis arcentur ſæpe latratu canis: ita tyranni & oppreſſores Rerumpublicarum ſtrepitu ſeditionis ab intentis malis propelluntur. Sed ne videar ipſemet mecum colluctari, eodemq; ſpiritu repugnantia dicere, affirmo nomen ſeditionis mitius aliquando ſumi non pro concitato furore ciuium in cauſa mala, ſed pro ardore optimorũ hominũ, qui bonũ cõmune ſtudẽt defendere. Atq; hinc eſt q̃ dicit Ariſtoteles, virtute excellẽtes viros iuſtiſſime ſeditiones cõmouere poſſe. Sic Tarquinius ſuperbus

perbus pulsus est regno, & alij multi: est ergo toleranda seditio, ne Phalaris, Nero & Dionysius regnent. Tres autem causæ sunt, cur potentes tyranni (qui aliter placari non possunt) seditionis ense tollerentur. Prima est, quia imperant contra naturam; secunda, quia bono communi nō consulunt; tertia, quia populum non secus quam vultures suam prædam, lacerant ac dilaniant: iniustū ergo est eorum imperium ac violenta administratio ciuitatis, quæ si lege & consilio sanari non potest, defectionis impetu coërceri debet. Recte Hippocrates: In periculosis tentandum est cum periculo. Si enim est in corpore ciuili ac est in humano: sed in humano corpore potius breuis & acris dolor ferendus est quam totius interitus: ergo in corpore ciuili breuis & truculenta tragœdia sustinenda est potius quam ciuitatis ruina & deuastatio: Amara hæc medicina est, sed tū necessaria, cū tyranidis vlcera eousq; prorepserint, vt alio modo quam ferro curari nō possint. Animaduertendum tamen hic est, curam istam labentis Reip. non à vertigine populi aut vniuscuiuscunq; affectu dependere, sed cōsilio medicorum, hoc est, sapientum virorum manu vulnerib. ciuitatis debere applicari: tum quidem sedatio, non seditio, turbatio quædā humorum, non distractio distinctioq; ciuiū appelletur. Est ergo seditio hoc modo nomineq; accepta, toleranda, ne crudelis Nero accensa Roma exitium Troiæ ad lyram cantet, hoc est, ne incurabile monstrum tyrannidis Persico furore ciuitatem perdat.

Porro cum ex supradictis satis liqueat, diuites ple-

plerunq; esse petulantes & contumelioſos, pauperes autem maxima ex parte leues & malitioſos exiſtere, perſpicuum euadit rerum ſecundarum poſſeſſionem mediam omnium esse optimam, ciuitatemq; ex medijs ciuibus compoſitam præ alijs Reipublicæ formis esse eligendam, id quod aliquot etiam argumentis probat Ariſtoteles Pol. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 3. & 4. Nam, vt inquit Ariſtoteles, qui in exceſſu rerum ſecundarum aut amicorum viuunt, imperio parere nolunt, neq; recte imperare ſciunt, molles enim ſunt, rudes, contumelioſi, inuidi & inuiſi omnibus; ciuitas ergo ea, quæ ex medijs conſtat, optima habetur. Inſuper, optima ciuitas eſt illa, quæ vitam ciuium cum virtute cõiunctam habet: cuius item ciues facile obtemperant rationis iudicio. Talis autẽ eſt ciuitas ex medijs ciuibus conſtans, ergo optima. Præterea, vbi nullæ inſidiæ, inuidia nulla, nulla ſitis cupiditasq; alieni eſt, ibi optima ciuitas eſt. Sed inter mediocres mediosq; ciues iſtorũ nihil eſt: Ergo ex medijs ciuib. optima ciuitas conſtituitur, quęq; minus ſeditionum procellis eſt obnoxia.

Cum itaque hæc ſit conditio mediocrium, vt tranquilli & pacifici viuãt, voluimus eos præmittere: in ſequentibus acturi de ijs, qui ad extrema vtrobiq; deflectunt: rationesque adducturi, quomodo, ne ſeditiones cieant, ſint cohibendi.

CAPVT II.

De tribus generibus potentum, qui principibus ſuſpecti eſſe poſſunt: & primum de ijs, qui principibus ſanguine iuncti ſunt.

Tres

TRES potiſſimum perſonæ ſunt, quarum auctoritas & potentia in ſuſpicionem facile cadunt. Primum cognati: & ſub his ij, qui propter ſanguinis coniunctionem coronam affectare, aut quicquid moliantur, à populo obtinere poſſe præſumuntur. Secundo loco Vaſalli: maxime ij, qui feuda magnifica & quæ ad res nouas moliendum accommoda ſunt, poſſident. Denique, quibus virtus militaris, pacisve ſtudium apud populum magnam conciliauit auctoritatem ac fauorem

Nuſquam autem inuidia & æmulationes magis conſpiciuntur, quam in cognata ſtirpe. Eo enim non raro principes & reges adigunt, vt ſurdis & rabioſis non multum ſint abſimiles. Præterea inuidia, ambitio, & æmulatio, (de his enim iam ſermo eſt) quorum animis ſemel inſederunt, tantis ſunt viribus, vt ſi non omnino humano ingenio, at ſaltem humanitate & amica propenſione exuti credantur.

Alexander Magnus bellum Aſiæ illaturus cognatos omnes prius è medio ſuſtulit. Vix cum pedem imperio inferunt Turcæ, fratres mox omnes, nulla reuerẽtia ſanguinis tacti crudeliſſime trucidãt. Sic mortuo Selime Solimani filio, imperatore Turcico, anno 1582. Murates eius filius, patris ſucceſſor, recepto more barbaro, ſtrangulari quinque fratres, natu ſe minores in præſentia ſua iuſſit: ſecutus exemplum proaui ſui Selimis, Baiazetis filij, qui patre veneno, opera Iudæi Medici, vt aiunt, ſublato, cum libido & cupidi-

piditas regnandi naturalem mortem expectare non permitteret, non modo fratres suos & eorum liberos, omnesq; consanguineos è medio sustulit, ne æmulos regni relinqueret; sed etiam, cum in expeditione Ægyptiaca esset, veritus ne sibi absenti Solimanus filius vnicus imperium adimeret, quemadmodum ipse Baiazeti patri suo illud extorserat, veste quadã veneno tincta dono missa, filij vitæ pater, vt multi indicarunt, insidiatus est. Eadem diffidentia Solimanus erga filios laborauit. Cum enim anno 1552. Mustapha filius natu maior, fractis Persarum opibus, ad patrem accepta fide, sine comitatu redijsset, tanto exercitus clamore, tantaq; gratulatione exceptus est, vt mortalium antea nemo. Pater istam gloriam ferre non potuit, sed filium subinde strangulari mandauit in cubiculo interiore, & eodẽ momento coram exercitu proijci: tum præconem altissima voce promulgare iussit, vnum in cœlo Deum, in terris vnum Solimanum Imperatorem esse oportere. Totus exercitus terrore attonitus obmutuit. Iunior natu biduo post veneno sublatus est, quod ingemuisset. Tertius, qui metu patris ad regẽ Persarum confugerat, statim per legatos reuocatus est, ac securi percussus. Restabat Selimus, cui pater minas intẽtauit nisi solus restaret. Quocirca Augerius Busbequius, nihil omnino, inquit, miserius Turcicorum imperatorum filijs esse, è quibus si quis patri succesſit, reliquos ineuitabilem mortis necessitatẽ manere. Nã neq;, inquit, Turcę impij æmulos ferũt, nec p milites ptorianos omnino ferre possunt, q, si quis forte fratrũ sit, pter eũ qui regnat,

regnat, superstes, congiariorum petẽdorum nullum finem faciunt. Si recusantur, statim audis: Saluus frater sit, fratrem Deus nobis seruet. Quo verbo designari illum imperio non est obscurum, adeo vt fratrum sanguine manus polluere & parricidio regnum Turcis imperatoribus sit necesse. Olim quoque similia parricidia Asiaticis regibus consueta fuere, apud quos, teste Papirio Massono, nihil tam sanctum fuit, quod non facile violaretur, si vtilitas offenderetur. Vnum è multis adducamus ex Plutarcho de rege Deiotaro. Ait enim, Deiotaro plures fuisse filios, quorum cum ipse vni relinquere imperium atque omne patrimonium suum cuperet, quo id facilius efficeret, cæteros omnes manibus suis trucidasse, vinitorũ exemplo, qui cum vitis aliqua plures emiserit surculos, vnum modo ex eis relinquere, alios amputare cõueuerũt, vt is, qui relinquitur, maior & robustior fiat. Mitiore sane animo sunt reges Æthiopũ, vel Abissinorũ in Africa omniũ potentissimi. Ii. n. regnante legitimo successore, reliquos filios suos & cõsanguineos, ne ad regnũ aspirent, neue habeant occasionẽ, turbas libidine imperij excitandi, procul remotos in monte altissimo, qui ab Aluuresio Anga vocatur, ad quem propter præcipitia vnus tantum aditus esse dicitur, perpetuis sed liberis custodijs potius incolumes detinere quam parricidia committere malunt. Inde nulli, nisi qui ad imperium magis idoneus ex filijs, & ijs deficientibus, ex proximis agnatis, optimatibus videtur, egredi, & habenas imperij absq; æmulo liberas capessere, mortuo tamen ante rege, licet.

Idem

Idem etiam regibus Chinæ vſitatum eſt, qui à fratricidijs abhorrẽtes, fratres ſuos in certũ quendã ad id peculiariter deſtinatũ locũ, omni deliciarũ ac voluptatum genere affluentem, ablegant.

Sed vt à diuerticulo ad propoſitũ reuertamur. Nec reges Chinę nec Æthiopiæ, amandando, nec Turcæ occidendo, nec Mauri excœcando fratres ſuos aut conſanguineos, ſua ſatis vallare, imperia à ſeditionibus tueri poſſunt. Eſto vero: lateant cognati, regnum non affectent: an non vulgus, imo etiam proceres & optimates irę ſtimulis compuncti, aut metu pœnarum agitati, aut deſiderio vindictæ propter ablegatos & occluſos colludere? an non cuſtodes largitionibus corrumpere? & cuſtodiæ mancipatos ab exilio ad imperij clauum reuocare poſſunt? Id quod conſimili exemplo quondam Hiſpani in Calabriæ duce carcere Sciattivæ detento attentarunt.

Plus autem laudis & humanitatis habere Chinenſium & Æthiopum conſuetudinem, quam aliorum, inficias non eo. Longa enim cõſuetudo pro lege eſt. Ac ſane plauſibile eſt aliquo modo, regnum clandeſtinis conſanguineorũ machinationibus, quoad laute & humaniter tractantur, exemtum eſſe. Sed certe minor eſt ſecuritas quam vulgo credatur: quandoquidem plurimos Chinæ reges trucidatos, multosque crudeliſſimos tyrannos, imo & fœminas, rerum apud Chinenſes potitos fuiſſe legimus. Quid quod paucis abhinc annis in Æthiopia Abdimelech ad imperium: non ex monte Anga, ſed Arabia, quo confugerat, accerſebatur?

Maiore autem cum periculo Turcarum crudelitas, Maurorumque inclementia coniuncta est: quorum illi fratres perimunt: hi vero vna cum consanguineis visu priuant. Cum enim in cæteris imperijs nulla re animi honoris & potentiæ interdum auidi ad seditiones & arma quam ambitione inflammentur: Ottomanni & Mauri præter illam etiam necessitatem, quam prætexant, habent, quo nimirum vitæ suæ incolumitati consulant. Hinc nullibi plures seditiones pluraq; bella ciuilia audiuimus, quam apud Mauros, Ormi, Tunigi, Marocci & Fessæ: & Turcos inter Orcanē & Mosen, Mosen & Mahumetem: Baiazetem & Zizimum: Selimum I. & Baiazetem II. ipsius patrem: Baiazetem II. & Alenziacum ipsius nepotem: Solimannum & Mustaffem filium: Selimum II. & Baiazetem fratrem: quorum hic cum Tammam ad regem Persiæ cōfugisset, à Tamnite quodam, apud quem hospitabatur, qui ad id facinus auri talento conductus fuerat, interfectus est.

Qui enim se à principis in imperio successore sublatum iri sciunt, his vnicus labor restat, quomodo extra tela constituti vitæ suæ stabiliant felicitatem. Sumtis itaque armis vim pro virili à se propulsare enituntur, idque aut subditorum aut barbarorum auxilio. Et hoc est, quod Selimo I. in ore erat: Facile, aiebat, excusationem mereor, tametsi fratres, cognatos, nepotes, & consanguineos non paucos è medio sustuli, siquidem nec ab infimo etiam Ottomannicæ familiæ, si meo loco esset, benignius fuissem exceptus.

Econ-

Digitized by Google

E contrario cuiuis in conſpectu eſt, imperium Hiſpanicum, Portugalenſe, Gallicum, Germanorum principum & aliorum Chriſtiani orbis procerum, quantumuis inter ſe conſanguineorum, minus ſcatere ſeditionibus, aut inteſtinis bellis, qualia ſæpe inter barbaros exarſerunt. Fera enim & inhumana cõſuetudo feros & cyclopicos: humana autem humanos reddit. Vbinam plures ſunt conſanguinei, fratres, & cognati, quam in familia Auſtriaca? Anne propterea amicitiam, quam natura peperit, & Romani imperij tranquillitatem fumoſo ambitionis titulo accenſi vnquam diſſociarunt? Mutuo quique ſibi cedunt, honore præueniunt, pacificeque rem componũt: non ſecus ac multa & diſtincta corpora, quæ vno ſpiritu animata, vna voluntate ducta regerentur. In regno Gallico, quamuis omni tempore multi ratione ſanguinis regem attingerent: non tamen, neque à Caroli Magni, neque Hugonis Capeti, neque Merouei, qui hos anteceſſit, ſucceſſoribus, de ſucceſſione vnquam hoſtiliter litigatum fuit. Anne fieri poteſt, tantam gubernationis eſſe dulcedinem, tantam eſſe recompenſationem, adeoque tam perfectum gaudium, vt cum fraterno ſanguine, conſanguineorumque interitu conferri queat? Equis imperatorum vnquam tam diues, tam potens, tam beatus eſt, qui vere & ex animo frontem explanare queat conſanguineis, qui felicitati ipſius congratularentur, deſtitutus?

Quamobrem optima ratio pacem & concordiam

diam principum, imperij æmulorum, alendi, in iuſtitia & prudentia ſita eſt: quarum beneficio cuiusvis ingenium explorari, ira componi, inuidia (affectuũ vehementiſſimus) declinari, adeoque imperio ſua tranquillas conſtare poteſt. Nam quemadmodum furore & ſæuitia magnatum animi exaſperantur: ita humanitate & beneuolentia, vt ſorte ſua contenti acquieſcant, conciliantur.

Turcę fratres ſuos trucidaturi ad rebellandum cogunt. Quanto conſultius Antoninus Philoſophus Lucium Verum fratrem, imperij collegam, & Valentinianus Valentem aſciuerunt. Ex quo nil niſi amor, caritas & beneuolentia naſcitur. Gratianus regnum cum Theodoſio partitus eſt, ad quem tamen nulla eius portio attinebat: quo etiam obtinuit, vt nunquam tanta animorum coniunctio inter principes, qualis inter ipſos extitit, audita ſit.

Ac ſane credibile, imo certiſſimum fere eſt, regnum Turcicũ hac ipſa potiſſimũ de cauſa, quod tã horribili tyrañide ij, qui ad regni gubernacula euehũtur, in cõſanguineos ſæuiũt, tandem collapſurũ eſſe. Cũ .n. imperatores Turcici atq; adeo ij, qui ex Ottomanica familia ſunt, pgnati, quotquot libet vxores ducant, è quib plerunq; numeroſiſſimam prolem ſuſcipiant, (id quod inter alios de vno ex hodierni imperatoris Turcici filijs proditur, natos ipſi eſſe intra biennium quinquaginta liberos) quibus ſane haud clam eſt, omnes ſe à patris ſucceſſore vita priuatũ iri: veriſimile certe eſt, fore tandẽ, vt metus & odium in inteſtinũ bellum erum-

erumpant, imperium labefactent, diuellant, adeoq; aditum hosti ad imperij excidiũ patefaciant.

Quod vero hæc hactenus non euenerint, non est quod mireris. Cum .n. certę ac destinatæ sint imperiorum periodi, & vero pauca adhuc secula præterierint ab eo tẽpore, quo primũ Ottomannus (qui anno 1328. viuẽte Benedicto XII. Pontif. obijt) imperium Turcicũ stabiliuit, hactenus quidem nondũ est subuersum. Cum vero breui hoc tẽporis curriculo perquammultæ diræ ac funęstæ cædes, potissimũ vero parricidia, ab imperatorib. Turcicis diuersimode perpetratę sint, atq; adhucdum cõtinuẽtur; regnũ Turcicũ extremam tandẽ passurum ruinã; prognosticaq; & p̃dictiones meas impletũ iri, omnes intelligẽtes & sperãt & vident.

CAPVT III.

De vasallis.

IN cuiusvis regni vasallis duo occurrũt, bonum & malum. Malum est: auctoritas ipsorum & potentia: quatenus eæ sum̃o principi sunt suspectæ. Sunt enim instar præparatæ sedis & refugij omnib. qui turbas excitare student, aut armis imperatorẽ tẽtant: vt compertũ est in regno Neapolitano, principib. Tarentinis, Salernitanis & ducibus Sesti & Rosi.

Bonum vocamus: quod vasalli illi sunt tanquã sceleton, quo veluti basi integrum Reip. systema innititur. Subtracto illo hoc nihil est aliud quam corpus sine ossibus & neruis, sola carne & musculis subsistens. Hinc reliqua imperij membra ingraueſcente bello, moriente rege, exercituve

fuſo facile ſuccumbunt. Plebs enim deſtituta viris, qui maiorum ſuorum celebritate prouocati, ad rerum maximarum gloriam aſpirant, adeoque virtute ſua defenſant, magnis errorum tricis inuoluitur, imo ſi inter ſpem metumque hæret, hoſti ſe facile adiungit. Aliquoties hoc vidit Ægyptus: forſitan & Turciæ idem contingeret, ſi Deo clementer annuente immaniſſimus ille hoſtis aperto Marte & campo funderetur.

Ac conſtat longa rerũ experiẽtia, regna, in quibus copioſa ac præclara eſt nobilium multitudo, pene inuicta & immortalia eſſe: id quod exemplis ſuis Gallia & Perſia probant. Gallia enim prope in regum Anglicorum poteſtatem redacta, ope & auxilio nobilitatis vindicata & liberata. Sic Perſia, modo à Tartaris modo à Saracenis agitata, virtute & fortitudine nobilitatis, qua regio illa abundat, fortiter defenſata eſt. Sic Hiſpania nobilitatis ope Maurorum ſeruitutem excuſſit.

Obiter hic recordor egregij reſponſi comitis Sabaudiæ Petri, cum enim cancellarius imperatoris moneret, literas feudales de nonnullis oppidis, quæ paulo ante primum in bello acquiſierat, monſtraret: gladium euaginatum illi oſtendens, Hæ, inquit, ſunt literæ, quibus iſta loca acquiſiui. Huc reſpexit fortaſſe Cynus iuriſconſultus inſignis, ſicut allegatur à Paride de Puteo, referẽs, quod quidam nobilis domino feudi oſtẽderit enſem pro inſtrumento feudali.

Audio vero, qui hiç contra veniat, dicens, eſſe

esse quidem vasallos & proceres conseruandæ patriæ non inutiles, regi vero prodesse minime. Quemadmodum enim eorum præclara esse potest in defendenda patria erigendoque populo opera, sic quoque vicissim potentia sua turbas contra principem excitare & funestas mouere seditiones possunt. Ecquis hæc posse fieri neget, cum princeps oneri ferundo non est, dignitatis incapax, ac principis munere indignus? cum iustitiam peruerse administrat, iudicijque subtilitate caret, atque adeo secus habet quam nos supra definiuimus?

At vero talis vbi fuerit, negotiũ facessent non tam vasalli: quam etiam consiliarij: imo moriones, coniuncta opera naso eum ducent, non obseruantes vt regem, sed ludibrio habentes, vt infantem. Childericus & Carolus simplex ille in Gallia (sub quo feuda Gallorum initium habuerunt, omnib. ob incuriã nimirum regis, vrbẽ aliaq; suæ fidei commissa ad se pertrahentibus) Wenceslaus in Germania, Ramirus in Hispania, Andreas Neapoli, Maximilianus Sfortia Mediolani suis exemplis id comprobant. Ex quibus firmiter illud concludo, eiusmodi principes consilio & iudicio destitutos, ab eiusmodi impetitionibus minime posse esse liberos.

CAPVT IV.

De ijs, qui virtute & fortitudine sua maximam sibi conciliarunt authoritatem.

Digitized by Google

IN tertio gradu ſuſpectorum collocantur illi, qui tametſi non vſque adeo illuſtri genere ſuſcepti ſunt, & neq; diuitijs neq; multitudine vaſallorũ eos æquant, ampliſſimam tamen exiſtimationis laudẽ ſibi pepererunt, eo quod aut obierunt negocia ardua, aut animi fortitudinem inſigni aliquo facinore, ſiue id pacis ſiue belli tempore, declararunt.

Et ſane ſi verum fateamur, nulla imperij peſtis capitalior eſſe poteſt quam nimia priuati hominis potentia & auctoritas. Hinc Athenienſes ſorte eos eiecerunt è ciuitate potentiam eorum ita declinaturi. Neq; monarchia omnino caret illo periculo, vt non immerito dixerit Ariſtoteles, non eſſe permittendum vt alij alijs auctoritate & diuitijs nimium ſeſe efferant, aut prætermodũ glorientur, affirmatq; cuiusuis Reipub. ac ſtatus ſalutem hoc modo facile ſaluam eſſe poſſe. Pauciſſimi enim non luxuriant rebus ſecundis, imperitiores quam vt fortunæ flatui inſeruiant.

Magnum quidem hoc eſt malum, at facile anteuerti poteſt. Primo ſi ad conſilia de rebus ſublimioribus ac difficilioribus ſuperbi, temerarij, arrogantesq; eiusmodi non adhibeantur. Quorum enim mens ita imbuta eſt, plerunque noua ſectantur: atque, vbi arrogantiam cum potentia coniunxerunt, tunc & frena reſpuunt, & ſedari amplius non poſſunt. Longius autem arcendi ſunt callidi & inueteratores: quales olim C. Caſſius & Laurentius Medices erant. Vt enim arrogantes ſua confidentia; ſic callidi

ſua

ſua vafritia plus æquo omnia metiuntur. Longiſſime vero omnium ab arcanis ſeparẽtur mobiles & leues: ſiquidem more arundinis nunc huc nunc illuc agitati vel ad leuiſſimam ſpei metusve aurã flectuntur: iucundæ ſane & arrogantibus & verſutis fabulæ.

Male etiam & incõſulte illis committitur magiſtratus, qui propriam iurisdictionem habent, & fere ſummum magiſtratum adæquant: quandoquidem vix dici poteſt, quam dulce ſit imperare alijs, quam dulcis ſit periurio latebra, quam commoda iuſti & æqui negligendi occaſio. At, quid ſi nouus princeps eiusmodi præfectos inueniat? Diſſuenda illorum poteſtas potius quam diſcindenda. Sic præfectura Conneſtabilium in Gallia, & Magni Magiſtri ad D. Iacobum, Alcanteræ & Calatranæ in Hiſpania, aliquoties ſuppreſſa eſt.

Non raro autem cõtingit eiusmodi præfectos tanta pollere potentia, vt remoueri non poſſint; tum vero de die in diem illorum dignitas diminuenda, potentiaq; ſenſim atterenda eſt. Potentia enim diuturna hominum animos quaſi faſcinat & impellit, vt non ea, quæ decet, ſed quæ poſſunt, aut poſſe credunt, ſectentur. Quæ dum conſidero, mirari mihi ſæpius in mentem venit, quomodonam ampliſſimi magiſtratus in orbe Chriſtiano, ceu ſunt Conneſtabiles, Amirales & Mareſcalli in Gallia, hucusque tamdiu durauerint.

Porro officia hæc procerum Parienſiũ ita ſunt diſtributa, vt quoties agitur legibus aut reſcriptis de magno conſilio & curia Pariſiorum, quam

Parlamentum vocant, curia ordine prior esset. Cumque innumerabiles pene sint regij procuratores, vnus curiæ Parisiorum dignitate cæteris prior est. Nam cęteri iusiurandum curię cuiusque iudicibus præstare solent: procurator vero curiæ Parisiorum vnius principis iureiurando tenetur. Militaris disciplinæ ac bellicarum rerum arbiter ac moderator, is qui magister militum seu Conestabilis dicitur, aut inter Marescallos seu tribunos militum, qui primus eorum honorem adeptus est; domesticæ vero disciplinæ ac iudiciorum princeps est cancellarius seu primicerius: vterque vtriusque disciplinæ magister summa potestate constitutus; nec alter alterius imperio tenetur, sed vterque vtrique æqualis eodem gradu ac ordine incedit: nihilominus magister militum dignitate superior est, dextrumque principis latus occupat, cancellarius siniſtrum; ac ne quis putet, eum ordinem magistro militum tribui, quasi gladium principis ad dextram præ se ferre teneatur, quoties locorum angustiæ non ferunt vtrumque simul incedere, magister militum antecedit, deinde cancellarius, quem prætorio præfectus sequitur.

Sic præcipui magistratus in Gallia viris maxime excellentibus perpetuo demandantur. Tametsi autem officia hæc eorum propria ac hæreditaria non sunt, qui ijs funguntur, non est tamen penes regem, eos ab officio propria auctoritate remouere. Quoniam enim maiorum magistratuum functiones principibus perpetuo dantur, atq; ita à parentibus in filios transeunt, fit hinc, vt dum intra

intra modeſtiæ terminos ſeſe continent, popularem fauorem paſſim ſibi conciliant, atque ne regio fauore excidant, cauent. hæreditario demũ iure in filios ac nepotes dominia illa, quibus præſunt, transmittant. Atque hac ratione, Ducatus, Comitatus, Marchiæ alijque magiſtratuum ordines dum perpetuo dabantur, fere omnes hæreditarij facti ſunt.

Adminiſtrari quidem iuſtitia perpetuo debet, non tamen ab vna ſola ſed à pluribus Parlamenti ſiue ſenatus perſonis. At bellicæ diſciplinæ adminiſtratio nulli perpetuo, neq; etiam multis ſimul, demandanda eſt. Non multis, nam multi cuſtodes gregi pernicies. Sic ducum bellicorum multitudo præclaris ſæpe conſilijs obſtat, & exercitus vnicum habens ducem plerunq; ſuperior fit eo, quem plures ſimul ducunt. Non perpetuo. Potentia enim bellica duces fiunt inſolentiores atq; efferatiores; id quod de Achille nobilis ille poëta ſcribit:

——. *Nihil non arrogat armis.*

Hac de cauſa omnes magiſtratus Romani fuerunt annui: exceptis conſortibus: quin imo Dictatura, cuius poteſtas ſumma erat, raro integrũ annum durauit. Marius, Cęſar & Pompeius quod à magiſtratu, bellorum & prouinciarum adminiſtratione, definito tempore non abirent, maximam Reipublicæ partem ad ſe tranſtulerunt.

Tria autem mala ex perpetuis magiſtratibus enaſcuntur. Primum hactenus perſtrinximus: Alterum eſt, quod princeps, contra quam opinatur, me-

meliori occasione, quæ forsitan obtingeret, ea vero vti non licet, semet defraudat.

Vltimum est, quod raro eiusmodi personæ, quę perpetuo præficiuntur, aut propter virium corporis debilitatem aduersamque valetudinem ad onera illa sustinenda inepti, aut propter ætatem minus alacriores, aut propter affectuum animiq; perturbationes à recto deuiationem, plus incommodi quam commodi in Remp. inuehunt, quinetiam sæpenumero ob animi impotentiam grauissime delirant. Quo fit, vt armis, quæ Reipubl. causa gerunt, aut parum aut nihil proficiant, aut denique plus obsint quam prosint.

Quemadmodum vero princeps nunquam sibi persuaderi patietur, vt perpetuo elocet magistratus: ita nulli se adstringet, vt illos non possit non mutare. Semper sibi integrum ius reseruet, vtendi & abutendi, stabiliendi & deponendi: idque tum personæ tum circumstantiarum ratione. Licet hoc videre in Cæsare Augusto. Cum enim fama cōstans esset obijsse Q. Varum, omnium prouincialium administrationibus terminos prorogauit, ea de causa, vt afflictis & periculosis temporibus incidentibus, subditi à viris peritis, & de quarum prudentia constaret, regerentur. Sub Tiberio multi in prouincijs & bellis gubernandis consenuisse dicuntur.

Antoninus Pius, pijs & apertis ministris magnopere semper delectatus est: imo quos tales esse comperit, nunquam officio remouit, sed honoribus cumulatiores & diuitijs locupletiores reddidit.

Cum

Cum vero neceſſum ſit, vt, quæ lubrica & mobilia ſunt, immoto & inconcuſſo fundamento ſuperimponantur: non abs re fecerit princeps, ſi cũ prouincialium, ducum, præfectorum, militum, aliorumq; eius generis magiſtratus non ſint perpetui, proindeq; ipſorum conſilio non perpetuo fruatur, conſiliarios habeat perpetuos, quibuscũ conſilia & arcana negotia communicet: vbi tamẽ cauendum, ne quis eorum propriam habeat iurisdictionem. Deliberẽtur autem & cõcludantur res arduæ ac magni momenti ad bella pacemve attinentes. Vniuerſa autem in ſenatu illo principis tractata diligenter conſignentur: inde depẽdeat omnis Reip. adminiſtratio: inde quæcunque belli pacisve tempore conueniant, promanare omnia debent.

CAPVT V.

De pauperibus.

RESTAT adhuc aliud genus hominum, turbarum cupidi, pacis inimici: ideoq; non immerito timendi: nimirum ad quos nullum emolumentum ex bona Reipubl. cõſtitutione redundat. Sunt autẽm qui ad extremam paupertatem & miſeriam ſunt redacti. Cũ enim, quod amittant, deſit, facile aliqua mutatione ſuborta impelluntur, proxima quæque arripientes, quibus rem ſuam ex aliorum pernicie & detrimento amplificent.

Hinc Liuius ſcribit, quod in Græcia, bellico rumore inter regem Perſeum & Romanos ſparſo, pau-

pauperiores quique παντοδαπῶν, omnium euersionem sperantes ad Persei partes transierint: Boni vero, quorum intererat Rempublicam saluam esse, cum Romanis fecerint. Catilina facem Reipublicæ Romanæ illaturus adiunxit sibi homines nequam, profligatæ vitæ ac famæ. Atq; vt ille inquit: quicunque impudicus, adulter, ganeo, latro, sacrilegus; vel qui alea, manu, ventre patrimoniũ dissipauerat, quique alienum æs conflauerat, quo flagitium aut facinus redimeret; præterea omnes vndique parricidæ, sacrilegi, conuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timentes; ad hæc & quos manus linguave periurio aut ciuili sanguine alebat; postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat: hi Catilinæ proximi ac familiares erant, & de ciuitatis magistratu rerumque omnium mutatione cum eo tractabant, & nihil sibi reliqui non ad prædam non ad crudelitatem fecere: sacra profanaque, diuina atque humana omnia in promiscuo, nihil pensi neque moderati habebant. Homini enim potentiam quærenti (sic apud auctores Catilina declamans infertur) elegantissimus quisq; opportunissimus, cui neq; sua cara, quippe quæ nulla sunt, & omnia cum pretio honesta videntur.

Iulius Cæsar imperium Romanum affectans, non nisi obæratos & ob vitam male actam aliamve ob causam exules & egenos ad se illectauit. Cum vero nihil supereset amplius, quamobrem sua sorte contenti esse possent, non omnino ineptos esse iudicauit, quorum opera summa rerum potiri

potiri posset. Quamuis vero quibusdam vtpote egentissimis & miserrimis succurrere non posset, tamen dicere sæpe solebat, nihil ipsis deesse nisi bellum ciuile.

Summatim autem vt perstringam: Omnes, qui de statu suo patriæ salutem deturbare conati sunt, eiusmodi homunciones adhibere consueuerunt. Nam vt Salustius ait: Semper in ciuitate, quibus opes nullæ sunt, bonis inuident, malos extollunt: vetera odere, noua exoptant: odio suarum rerum mutari omnia student.

Maximæ & pernicioſissimæ seditiones in Gallia, quæ nondum deferbuerunt, à domesticis & incolis sunt excitatæ. Armis enim inter regem Galliæ & Hispaniæ motis, cum principes ob sumtus maximos alienum æs vndecunque contrahentes in extremam paupertatem redigerentur, adeoque militibus stipendia militaria exoluere nõ possent, factum est, vt milites omnes in vnam abirent sententiam de inuadendis ac diripiendis bonis ecclesiasticis, quorum annuus reditus supra 6. thonnas auri æstimabatur. Quamobrem sumtis armis florentissimum illud regnum, cui par sol non aspexit, depopulati, in eum qualis nunc est, miserabilem statum redegerunt.

Toto itaque animo princeps se metu & periculo egenorum liberare studeat: potest autem hoc duplici ratione. I. Sua ditione remouendo. II. Eorum opera vtendo.

Exonerari autẽ possunt, cum alio in nouas colonias traducuntur: Sic Parthenios Spartani, cõtra quos

quos ne quid molirentur, ſuſpicio erat, deliberato Tarentum mittunt. Vel cum in militiam abire cogũtur: Sic Venetiani plurimos paupertate preſſos maleque feriatos, quibus ciuitas ſcatebat, bello Cyprico adhibitos exonerarunt. Aut cum omnino ſolum vertere iubentur. Sic Ferdinandus rex Hiſpaniæ, Zingaros, (vulgo Zigeuner) quibus ſexaginta dies, intra quos omnino Hiſpania fuerat deſerẽda, deſtinauerat, Hiſpania exhauſit.

Cæterum cum hic Cingarorum mentio fiat, (genus hominum quam notiſſimum tam perniciosiſſimum) de illis pauca inſuper hic referam. Vagum nempe & inutile prorſus eſt hoc genus hominum, ſatis in Germania & alibi paſſim cum multorum pernicie ac damno notum. De quorũ origine, & vnde veniant, hiſtorici variant. Plerunque tamen in eo conſentiunt, cui etiam communis experientia adſtipulatur, nempe quod nihil aliud ſunt, quam manipulus furum, & colluuies ocioſorum & fraudulentorum hominum, ex varijs nationibus non ita remotis ſed vicinis collecta, qui extra ciuitates in agris, in triuijs tentoria erigentes, latrocinijs & furtis, deceptionibus & permutationibus, atque ex chiromantica diuinatione oblectantes homines, ijs fraudibus victum mendicant. Fabulas quoq; meras fingunt, ſibi ex patrijs ſedibus neceſſariam migrationem neſcio quibus de cauſis iniunctam eſſe; ſi ſecus fecerint, & non quotannis hordas ſuas, id eſt, multitudinem hominum vtriusque ſexus exulatum miſerint, calamitatem & ſterilitatem certam omnib. preſto eſſe. Cęterum vt rectius cognoſcamus,

mus, cuiates sint isti impostores, audiamus Albertum Cranzium, cuius verba sunt: Cum ageretur à Christo annus decimus septimus post mille quadringentos, primum apparuere his nostris maritimis locis ad mare Germanicum homines nigredine informes, excocti sole, immundi veste, & vsu rerum omnium fœdi, furtis inprimis acres, præsertim fœminæ eius gentis. Nam viris ex furto fœminarum victus est. Tartaros vulgus appellat. In Italia vocant Cianos. Ducem comites milites inter se honorant. Veste præstantes, venaticos canes pro more nobilitatis alunt, sed vbi venentur, nisi furtim, non habent. Equos sæpe mutant, maior tamē pars pedibus graditur. Fœminæ cum stratis & paruulis iumento inuehuntur. Literas tum prætulerunt Sigismūdi regis & aliquot principum, vt transitus illis per vrbes & prouincias incolumis permittatur innoxiusque. Ferunt ipsi, ex iniuncta sibi pœnitentia mundum peregrinantes circumire, sed fabellæ sunt. Hominum genus, quod vsu compertum est, in peregrinatione natum, ocio deditum, nullam agnoscens patriam ita circuit, furto, vt diximus, fœminarum victitans: canino ritu degit: nulla religionis illi cura: in diem viuit: ex prouincia demigrat in prouinciam: per aliquot annorum interualla redit, sed multas in partes scinditur, vt non ijdem in eundem facile redeant, nisi per longa interualla, locum. Recipiunt passim & viros & fœminas volentes in cunctis prouincijs, qui se illorum miscēt contubernio. Colluuies hominum mirabilis, omnium perita linguarum, rusticæ plebi graui

damno imminens: vbi foris laborant in agris, hi ſpolijs inuigilant caſellarum,&c. Auẽtinus quoq; hanc impoſtorum progeniem ſuis viuis coloribus egregie depinxit, cuius verba ex annalibus Boiorum inſerere operæpretium exiſtimaui: Eadem tempeſtate (anno videlicet poſt natum Chriſtum 1439.) furaciſſimum, inquit, illud genus hominũ, colluuies atque ſentina variarũ gentium, quæ in confinio imperij Turcarum atq; Vngariæ habitãt, (Zigenos appellam⁹) rege Zindelone noſtras peragrare cœpere regiones. Furto, rapina, diuinationibus impune prorſus victũ quæritãt. Ex Ægypto ſe eſſe mẽtiuntur, extorresq; domo à ſuperis cogi maiorũ delicta, qui Deiparam virginẽ cum puero Ieſu hoſpitio excipere recuſarint, ſeptem annorũ exilio expiare, impudentiſſime confingunt. Experimentis cognoui, eos vti Venetica lingua. Et ꝓditores atq; exploratores eſſe, cum alij tum inprimis Maximilianus Cæſar Auguſtus & Albertus parens principũ noſtrorum publicis edictis teſtãtur; adeo tamen vana ſuperſtitio hominum mentes velut lethargus inuaſit, vt eos violari nefas putent, atque graſſari, furari, imponere paſſim impune ſinant. Hæc Auentinus.

Cæterum quod ad mendicos attinet, extat de illis vetus conſtitutio, quæ Caroli M. vulgo putatur, his verbis: Mendici per regiones vagari non permittuntor: ſuos pauperes quælibet ciuitas alito: illis, niſi manibus operentur, nullus quidquam dato. Mangones, vagabundi & cotiones, qui impoſturis homines ludunt, coercentor. Facinoroſus oculum pro prima culpa perdito: culpam

ite-

iterans naſo truncator: tertio deprehenſus capitalem pœnam luito. Nemo militiæ ſocium ſuũ aut quemlibet alium ad potãdum inuitato; quod ſi quis ebrius repertus fuerit, eiectus quoad culpã cognoſcat, aquam bibito. Extat quoq; cõſtitutio Iuſtiniani imp. in Nouel. contra otioſos mẽdicos, digna quæ hic inſeratur, talis videlicet: Si huius terræ fuerint, & corporibus quidem validis vtantur, vitæ autem eis decens non eſt occaſio, hos nõ fruſtra eſſe terræ onus permittere, ſed tradere citius eos operam publicorũ attinet artificibus, ad miniſterium, & præpoſitis panificantium ſtationum, & hortos operantibus, aliisq; diuerſis artibus aut operibus, in quibus valent ſimul quidem laborare, ſimul autem ali, & ſegnem ita ad meliorem mutare vitam. Si vero aliqui noluerint inſeruire operibus, quibus traditi ſunt, hos ſectari hac regia ciuitate. Parcentes enim eis hoc ſancimus, vt non ſegnitie eos ad illicitos actus impellente, leges eos abripiant, ad pœnas noſtris tradẽtes iudicibus; læſos autem aut læſas corpore, aut canicie graues, hos ſine moleſtia eſſe iubemus in hac noſtra ciuitate, aut pie agere volentibus aſcribẽdos, & aliorũ ſingulos interrogare, qua venerint gratia: & inquiſitis, q̃ digna ſunt ſuper eis agere, vt non pigri hic ſedeant, ſed cõpetentia agentes, ad proprias reuertantur prouincias. Et recte Baſilius mendicorũ vult delectũ haberi. Nam qui arte ad fallendum cantilenas mendicitatis edocti, vlcera corporisq; mutilationes q̃ſtus cauſa p̃texunt, his nõ oportet ſuppeditare, aut exiguo dono eorum latratũ depellere, ne ad ignauiã & malitiã ſumtus

ſuppeditentur, ſed veris & exploratis pauperibus liberaliter largiendo domino fœneraueris, dicenti: Eſuriui, & dediſtis mihi edere.

Atque huc non incommode refertur id, quod quidam grauiſſimus auctor monet, tria nēpe genera hominū debere expelli de ciuitatib⁹: leproſos, cadauera mortuorū & mendicantes validos. Hoc enim poſtremū (inquit) genus hominū ſemper fuit exoſum, quippe qui veluti fuci ſeſe aliorū laboribus ſuſtentare, & alimenta egenorum ſurripere ſatagunt, damnoque aliorum pingueſcunt. Qua de re extat lex Platonis lib. 11. de legib. Nemo in noſtra ciuitate mēdicus eſto. Eidem Plato dicit, in ea ciuitate, in qua videas mendicos, ibidē eſſe fures, latebras quæritātes ſectores, ſacrilegos & huiusmodi ſcelerū artifices. Et extat Caroli M. conſtitutio, in qua mendicis palantibus vetuit quicquam tribui: ſuos quamq; regionem inopes alere, ſanos validos labore victū quærirare, ac deſiderio ſufficere manus iuſſit. Lepide igitur, ſi non recte, mendicis validis & ocioſis, qui mendicandi victus quaſi artem quandam factitāt, iubetur panis dari, & inſuper quaſi prō opſonio pugnus impingi: illud quidem, quia homini panem petenti negare, vix hominis videtur: hoc autem, vt diſcāt ab illa fœda parandi victus ratione abſiſtere, & intelligant ſe bonis omnibus merito odioſos eſſe. Hęc tamen non eo dicuntur, ꝙ ſentiam, charitatē vel beneficentiam erga proximum egentem prohibendam, quin potius omni petenti, ſed tamen vere egēti, dandum eiusq; inopiam quoquo modo ſubleuādam eſſe firmiter ſtatuo. Quod ipſum quoq;

quoq; obſeruauit olim gentilis quidam, qui erga omnes, etiam ignotos, liberalis & beneficus fuit, ſolitusq; eſt dicere, ſe non dare & largiri homini petenti, ſed humanitati indigenti. Sermo itaque ſuperior eſt de malitioſis mendicis, qui vere indigentibus ſua pigritie alimenta de induſtria ſurripiunt, cum ſeſe laborib. ſuis honeſtis, ni ſocordia obſtaret, ſuſtentare & alere commode poſſent.

Porro cum ex ſupradictis ſatis conſtet, nihil in Rep. tam pernicioſum eſſe quã otioſorum ac tenuium hominũ huc illuc errantium multitudinem, quippe qui & priuatorũ bona, niſi coerceantur, diripiunt, & in euerſione Reip. ſpem omnem fortunarũ ſuarũ ponunt: operam dabit princeps, vt eos quoquo modo coerceat; id q̃ ſæpe poteſt, certis nimirum ipſos negocijs mancipando: puta agriculturæ, fodinis aliisq; huiusmodi exercitijs, vnde viuere ac ſuſtentari poſſunt. Sic Amaſis rex Ægypti legem promulgauit, quæ oẽs ſubditos iubebat, magiſtratibus & præfectis ſuis rationẽ reddere, quomodo & vnde viuerent, qui reddere nõ poſſent, in eos grauiſſime animaduertebatur. Athenienſes in eos, qui nullum artificium callebãt, peculiares pœnas legibus ipſorũ definitas ſtatuerunt. Solon vetabat, ne filius parentem, qui nulli aut artificio aut negociationi ipſum mancipaſſet, quaquam in re leuaret aut ſuppetias ferret.

Chinenſium leges volunt, vt filius artem, quam pater exercuit, itidem profiteatur & exerceat. Vnde duplex emergit commodum. Primo enim omnes artes optime excoluntur. Deinde cuiuis occaſio eſt domi ſuę diſcendi ea, è quibus olim victũ

quærat. Hoc modo ignauum & ocioſum à Rep. arcetur. Quid quod ne cæcis quidem & claudis apud ipſos ociandi locus eſt, ſiquidem certis ac peculiarib.ad hoc deſtinatis operis vacare iubentur. Non eſt qui in prochorropheia ſe recipi optet: at ne recipiuntur quidem, niſi ſic affecti, vt quoquomodo ſe torqueãt, victum tamen parare ſibi non poſſint. Rex Viteus,à quo plurimas leges & ſtatuta mutuatus eſt rex Chinæ, edixit, vt fœminæ artificia paterna & tenerent & exercerent, aut minimum colum acumque tractarent.

Reges Romani, quo ſubditi maiore ſtudio ad defenſionẽ patriæ accenderentur, publice edixerunt,vt, quoad eius fieri poſſet, ex ciuibus ſinguli ſua tenerent prædia, vt deſiderio tutandi prædij pro communi ſalute alacrius concurrerent. Fore creditis,ait Nabidius Q. Flaminio, vt per æquationem fortunæ ac dignitatis multi eſſent, qui pro Rep. arma ferrent.

Quoniam vero non cuivis contingit prædia poſſidere,aut mercimonia tractare(ſiquidem humana vita ſic comparata eſt,vt pluribus indigeat) intereſt boni principis conſtituere aliquid,ex quo ad pauperiores quid lucri redundet. Sic imperator Auguſtus plurima ædificia extruxit: ſimul optimates adhortatus,vt ſe imitarentur. Atq; hac ratione egentiſſimi quiq; alebantur. Erat Veſpaſiano artificioſus quidam architectus, qui inueniſſe profitebatur, quomodo ingentes columnas exiguo ſumtu in Capitolium inferret. Verum, Veſpaſianus inuentum quidem ſibi probari(quãobrem etiam præmium dederat) cum vero plebi pau-

Digitized by Google

paupertate preſſæ non ſit lucroſum, id ſe reſpuere reſpondit: indicaturus, illas impenſas, quibus multi fruerentur, maxime ſe approbare.

Denique, non infima ſecuritatis ratio & hæc eſt, ne cui Reipubl. clauum committe, niſi cuius multum interſit pacifice & tranquille viuere: & cuius ſalus, ſuborta aliqua calamitate, periclitari poſſit. Sic Q. Flaminius in ordinem ciues Theſſaliæ redacturus, eos tantum, quorum cum ad remfamiliarem tuendam, tum ad dignitatem exornandam, maxime intereſſet, Rempubicam ſaluam & quietam eſſe, muniis principalioribus præfecit, & ad honoris & potentiæ culmen euexit.

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

De ſubditis nuper acquiſitis, quomodo erga illos ſe princeps gerere debeat.

HACTENVS ſatis ſuperque, niſi fallor, de hæreditarijs ſubditis dictum eſt. Sequitur, vt deinceps, qua fieri poteſt breuitate, ſubditos nuper acquiſitos ſiue aduentitios contemplemur.

Prima vero & maxima cura principis esto, vt eiusmodi subditi in sua ditione iure municipali & negotijs lucrosis gaudeãt non secus ac si essent hæreditarij. Abalienatis enim à principe subditorum animis, principatus vtique plantæ, quæ radice caret, haud absimilis videtur. Vt enim ad quemvis ventulum eiusmodi plantæ trepidant & prosternuntur: sic quoque quovis fortunæ strepitu mouentur subditi: imo pariter cum fortuna mutantur: atque ad victores transeunt. Vnde deinceps dissidia & factiones in Rebuspublicis existunt.

Vna hora Gallis totam Siciliam, & perbreue tempus regnum Neapolitanum, ducatumque Mediolanensem abstulit: nulla alia de causa, quã quod subditi nulla spe lucri & vtilitatis oblata fauere magistratui non possent. Animaduertentes enim, par lucrum & ex Gallis & ex Hispanis, alijsque ad se redundare, subito mutatis animis in alterius se tutelam recepere.

Pari modo reges Galliæ, vt & duces Mediolanenses sæpe Rempublicam Geneuatum amiserunt: & aliquantulum ante Latinis imperium Constantinopolitanum eadem de causa excussum est. Sic Angli multis & florentissimis & populosissimis prouincijs, quas terra habebant, exciderunt. Quæritas causam? Ministrabant eam sibi ipsimet ignari quomodo suum dominatum plebis fauore & applausibus metirentur, & lucrosa negotia ostentarent. In bello à Selymo contra Mamaluchos moto, populi Soriæ & Ægypti pertœsi crudelis, superbi, & inhumani barbarorum do-

dominatus apertis portis Turcam vltro receperunt: tantum aberat, vt contra eos dimicare vellent.

Est itaq;, vt inprimis subditorum animi ita lactentur, ita inescentur, vt ex nostro dominatu immunitates, honores, ac omnis generis bona sibi polliceri queant; adeoque ad principis salutem tutandam vel quouis dispendio satellites armati videantur. Manuductionem vero rationes fauorem obtinendi & auctoritatem comparandi eæ, de quibus supra dixi, sufficienter suppeditant.

Plurimum autem prodest, iustitiæ vbique patrocinari, in pace eos conseruare, eorumque bona tueri. Plurimum autem hac in parte vendicat sibi amor religionis, artium humaniorum, virtutis, verbi diuini ministrorum, literatorum, & optimis quibusque præmiorum digna distributio. Hæc qui fecerit, citra laborem reliquam plebeculæ partem sibi demerebitur. Theologi enim populi animos, literati autem eius sensum ac voluntatem quasi in manu gerunt: atque horum iudicia magnum habent pondus: illorum quidem propter vitæ sanctimoniam & reuerentiam: horum vero propter ingenij excellentiam & auctoritatem. Hinc plerunq; illorum dicta & facta iusta & tanquam é tripode Apollinis profecta censentur, adeoque digna, quibus omnes acquiescant.

Præterea, quoque opifices, quorum exacta artis suæ peritia cum virtute coniuncta est, quidquid etiam opificij exerceant, oblectando & captando populo non omnino incommodi sunt.

Quo fit, vt principes, se illorum amore duci reipsa demonstrando, facile à suis amentur & magnifiant. Quo ingenio fuisse Carolum Magnum constat, qui præter summum religionis & liberalium artium amorem ad bene merendum de pauperibus mire fuit propensus. Nihil vero gratius, nihil accommodatius, nihil efficacius est ad conciliandum populi fauorem, quam prædictæ rationes, quarum causa & miram de se expectationem mouet princeps, & summam laudem apud omnes meretur.

Nullum vero vallum, neque vllum munimentum ad stabiliendam dominationem benignitate & æquitate, modo non prodigatur, potentius: cum videlicet princeps, vt ne inhumanus & immitis habeatur, ignoscendo & iuris rigorem mitigando, ductu clementiæ naturæ insitæ: sed condemnando sontes, iustitiæ impulsu, communisque tranquillitatis studio, feciſse creditur. Non ignorabat hoc imperator Nero, qui, quum ei pro more allata esset sua manu confirmanda capitalis sententia, alte ingemiscens, Ah, inquit, quam optarem me nunquam scribere didiciſse.

Sunt præterea & aliæ exellentes atq; egregiæ virtutes, quibus non tantum nostrorum fauorem inuitamus, sed & hostium animos ad amorem & admirationem nostri inducimus. Exemplo est Alexandri magni castitas & modestia, vt & Scipionis, magnaminitas Camilli erga Falisços, Fabricij erga Pyrrhum, Conradi Imp. erga ducē Misiconem. Hic enim persequente Conrado, ad Odori-

cum

eum Bohemiæ regem confugit, plene ſperans fore vt ſibi tutũ præberet aſylum, ſed ſpe fruſtratus ſenſit Bohemũ leuitate, aut auaritiæ impulſu cũ imperatore velle colludere, & de eo tradendo agere. Imperator vero, vt erat apertus & magnanimus, perfidiam improbat, Miſiconemque adhortatur, vt ſibi ab hoſpite, apud quem diuertiſſet, caueret. Miſicon ſummam hoſtis clementiam admiratus, vltro ei ſe dedit.

Præcipue vero cauendum quam diligentiſſime ne promiſſis euacuetur fides, ſed ijs æque ac pactis ſtetur. Pactiones enim & conditiones, quib. ſubditos tibi ſubiunxiſti, reſciſſæ aut immutatæ maxime omniũ ſubditorum animos, quos nuper acquiſiſti, abalienant. Norandino, regi Damaſci, qui noſtros Soria eiecit, conuentorũ conſtantia nihil fuit cõducibilius. Nam, cũ aduentitij eum à nouis expilationibus, & grauaminibus abſtinere, & promiſſorũ ſeruantẽ viderent, conſulto & vltro ſeſe ſubmittẽtes obediẽtiſſimi vbiq; fuerũt.

Nec in minimis ponenda eſt educatio atq; aſſuefactio, quæ eſt altera natura: & ſubditos nup partos naturalibus & hæreditarijs adæquat. Sic Alexander Magnus triginta millia è iuuentute Perſica, veſtitu, armis, exercitijs & geſtib. ad Macedonum habitũ induebat, ijs non minus quam hæreditarijs ſubditis in bellis ſe vti poſſe ratus. Ita tyrannus Turcicus Ianizaros, (de quibus infra dicetur) qui ſunt filij Chriſtianorum, à ſe ſubiugati, educatione fortiſſimos & fideliſſimos ſatellites efficit. Hi impatoris Turcici cuſtodes ſunt, hi negotijs ſublimiorib. vbi fides & virt⁹ deſiderãtur, adhi-

adhiberi ſolent: atq; ſic duplici ratione ſe munit; Prima, dum hoſtes potentia ac robore exuit; altera, dum hoſtium liberis ſe ſuaque confirmat, ac munit.

Plurimum etiam tribuendum eſt amicitiæ & affinitatibus, quas princeps eiuſque ſubditi cum aduentitijs contrahunt. Alexander Magnus Roſſanam, fœminam Perſicam in vxorem ducendo, barbarorum animos ſibi fecit propenſiſſimos: certo enim inde perſuaſum habebant, fore ipſum regem tranquillum & pacificum. De Capuanis reliquit Liuius, quod deſciſcere, & fortunæ Annibalis inſeruire volentes, ea maximum impedimentum amicititias & cognationes, quæ ipſis cum Romanis intercedebant, allegarunt.

Æterna memoria dignum eſt illud Tarquinij Priſci: quo ſubditos & confirmauit, & caritate ſibi obſtrinxit. Latinos enim, florentiſſimum populum, deuictos non reddidit vectigales, ſed cõfœderatione ſibi iunxit. Hæc antiquiſſima fuit ratio, qua imperium Romanum ad tanta potentiæ & honoris faſtigia aſcendit: ſiquidem Latini & Romani coniunctis animis & armis pro Reip. ſalute ſe obiecerunt.

Hoc fœdus poſtea renouauit Tarquinius Superbus, qui pubem Latinam, ſed ſine duce & ſignis, collectam iuuentuti Romanæ immiſcendo diuerſas gentes vniuit, conſtituto illis duce de ſanguine Romano. Quo vero plus dignitatis & ſolennitatis facto ineſſe videretur, edixit, vt confœderatæ ciuitates, quarum numero quadraginta ſeptem erant, in monte Albano Ioui Latiali

fanum

fanum ponerent. Ibi quotannis festa Latinorum celebrata sunt, & in prædictas ciuitates bos, quem immolabant Romani, distributus est. Vnde satis apparet, Latinis, quamuis essent populus confœderatus ac socius, Romanos superiores fuisse, vt iam satis declaratum est.

Multum etiam refert, nostrum idioma aut linguam illi terræ, quæ recens domita est, inferre: id quod factitare Romanis non infrequens erat. Fecerunt idem Arabes, magna in parte Africæ & Hispaniæ. Idem in Anglia ante annos quingentos Guilielmus dux Normandiæ. Facilime autem peregrina lingua introducitur, per leges illa lingua conscriptas: nec non cum principes & præfecti illo idiomate ad populum loquuntur. Idem de omnibus negotijs, commissionibus, diplomatis, alijsque consimilibus, quæ lingua, quam introducturus est princeps, conscribi conuenit, dictum volo.

Tandem vt supremam addam manum, Carolus Magnus pulsis Longobardis, exercitum Romanis ecclesijs dono datum, Romanum vocauit, quo milites illius exercitus à Græcis, sub quorum imperio antea fuerant, derelicti pedetentim propensiores Romanis, magis magisq; papæ Romano adstipulaturi, euaderent.

CAPVT II.

De infidelibus siue incredulis: quomodo tractandi, vt conuertantur.

Paucis

PAVCIS etiam de ſubditis, qui omni religione prorſus carent, aut ſi habent, peruerſam & pollutam tamen, loquamur. Bona pars imperij religio eſt, adeoque neceſſarium, vt fideles religione orthodoxa commonſtrata toto animo ad Deum conuertantur. Diuerſitas autem opinionum in religione, pandora fere eſt omnium malorum, quæ in mundo magno cum hominum interitimento quaſi diſſeminata ſunt. Multum quidem rationes hactenus auditæ ad imperij adminiſtrationẽ valent; maxima vero eius pars, vt dictum eſt, religio: ea iungit animos: iunctosque continet, itaque decreta Dei altiſſimè ipſis infigantur oportet.

Multis modis id conficitur. Eſt enim opus cooperatijs, numero multis ſed fidelibus, qui ſacra ſcriptura inſigniter imbuti, & inculpata vitæ ratione exorbitantes ouiculas in veram ſemitam, apertiſſimaq; cœleſtis veritatis paſcua reducant. Verbis exprimi non poteſt, quantum huc conferant ſcholæ: quæ & doctis Magiſtris liberalium artium, honeſtisque exercitijs, quæ infidelium filijs iucunda quaſi palæſtra eſſent, ad erudiendam iuuentutem abundant. Sic enim parentes vna cum liberis in veram viam perducuntur. Parentes quidem ob egregia documenta & exempla, quæ tenellis pectuſculis inculcantur, & imprimuntur. Hinc memoriæ proditum eſt, Sertorium, quod non tantũ magiſtros eruditione conſpicuos aluit, ſed etiam ſtudioſe obſeruauit, quo tenella ætas ſtatim à teneris vnguiculis honeſtè

&

& dextre informaretur, magnam gratiam apud Portugalenſes iniuiſſe. Liberi vero ipſorum facilius, quando nimirum beneficio ſcholarum ab ineunte ætate, ſeminaria Chriſtianæ pietatis ſacrarumque virtutum imbibunt. Hac cauſa inflammati Reges Portugalenſes (præcipue Iohannes III.) numero multa collegia fundarunt, vbi magna frequentia ſtudioſæ iuuentutis, varijs ex locis eo confluentis, ſub Ieſuitarum diſciplina ingenioſiſſime inſtituitur.

Vnde profecto inſignis induſtria Ieſuitarum, qua tam in Germania quam etiam in America, adeoque nouis Inſulis, fidem Romanam mirifice propagarunt, ſatis elucet. Siquidem Germaniæ vrbes, vbi quidem intromiſſi ac tolerati ſunt, in fide hucusque confirmarunt. Braſiliam incredibili celeritate à religione gentilitia abſtraxerunt. Idem etiam hactenus præſtiterunt & adhuc hodie præſtant in noua Hiſpania atque Inſulis Peru, conuerſosque in puluere ſcholaſtico quotidie exercent. Gens enim illa, quæ principio ſine pleniore verbi diuini cognitione baptiſata eſt, ſcholarum beneficio, & liberorum inſtitutione, in fide tanquam renouatur, & ad ſacra deuotius accenditur.

Maxime vero hic elaborandum eſt, vt artium & ſcholarum Magiſtri vitæ innocentia diſcipulis præeant, neque malo exemplo vllum offendant: vt ipſorum eruditio, quæ excellere debet, cum dono continentiæ & modeſtiæ ſit coniuncta, omnique auaritiæ ſuſpicione vacua. Libidines enim & immoderatus amor habendi

ſunt

sunt præsentissima pestis bonorum morum, infestissimumque impedimendum spiritualis politię. Maximum itaque ornamentum est boni principis abundare viris multiiuga eruditione excultissimis, qui iuuenilem ætatē dextre informare possint. Præterea etiam stipatum esse peritis verbi diuini ministris, qui insigni dono concionandi sint prædiți, auditorum animos rite informent & diuina mysteria nostræ salutis, quæ sacra scriptura continentur, ad normam & præscriptum expressi verbi enucleare norint.

Quo autem sanctissimę Dei leges altius animis auditorum insculpantur, immunitates nonnullæ, è quibus honores & vtilitates captari queant, cōcedendæ sunt. Liceat nimirum arma gerere, militare, magistratu defungi, ab omnib. aut aliquot saltem grauaminib. detur immunitas, & id generis alia, quæ ratione temporis & loci nonnunquā mutare conuenit. Constantinus de Braganza, regis Portugalensis vicarius in India, dum erga baptisatos & Christianæ fidei initiatos beneuolus esset, diuina dogmata in prędictis locis incredibiliter propagauit. Silentio hoc in loco prætereunda non est pia æmulatio imperatoris Iustiniani, qui, vt Euagrius meminit, Herulos argento ad fidem Christianam adduxit: eadem ratione multi Iudæi ab imperatore Leone VI, ad veram fidem conuersi sunt.

CAPVT III

De infidelibus, qui veram fidem admittere nolunt, quomodo tractandi.

Postea-

Digitized by Google

POSTEAQVAM appetitus carnis, cui infideles promte obtemperant, δια διαπαντος vt aiunt, ſpiritui Euangelij contradicit, plerunque euenit, infideles ceu Turcos aliosque tam obſtinato, tam indurato corde eſſe, vt omnino ab admonitionibus ſalutaribus abhorreant, easque in vniuerſum reſpuant.

Magna itaque (ſiquidem pacem Euangelij ab angelis annũciatam & à Chriſto ſaluatore noſtro de cœlo delatam bello mutant) veſania atq; dementia haberetur, velle eorum opera in Reip. adminiſtratione vti. Quamobrem ſicco pede prętereundum id non eſt, ne quid agas, dubites.

Præſentiſſimum autem pharmacon, quo & alia mala extinguuntur, eiuſmodi hominib. propinari poteſt, ſi principijs obſtemus, id eſt, ſi in primo conflictu, qui ſolet eſſe aſperrimus, contrarias partes fortiter defendamus, adhibitis deinde præceptionibus, quas ſupra inculcauimus. Sin & hic oleum & operam perdideris, neq; vlla ſpes de illis conuertendis & Reip. noſtræ accommodandis ſubſit, eſt vt conſilio, quod Terentius Varro cum Hoſtilio communicauit, vtamur. Toſcanos, inquit, in pace & obedientia conſeruabis, ſi omnes virium neruos illis incidas, vt, quam maxime velint, irritus tamen & vanus eſſet conatus. Triplici autẽ ratione hoc confieri poteſt. Prima, tumidos illorũ ſpiritus frangendo: altera, omni potentia & viribus exhauriendo: vltima denique, omnibus modis illorum cõuenticula, vbi conſultent, dirimendo. Seditionib. n. præbet ortũ hominũ animoſitas ſiue cõfidentia, potentia aut multitudo.

CAPVT IV.

Qua ratione rebellium animus frangendus, & quasi in desperationem sit adigendus.

NOSTRO instituto plurimũ conducit, rebelles omnib. illis, quæ animum adiicere & erigere possunt, priuari, ceu sunt nobilitatis, imaginumq; ac sanguinis progatiua, equorũ vsus, quo iam pridẽ Christianis Turcæ interdixerunt: arma eorumque exexcitatio, quibus Diocletianus alijque Ecclesiæ Christi persecutores, fideles, & Theodoricus, rex Gotthorum, Italos arcebant.

Adimendus est omnis magistratus: abstineant vestitu lauto & pretioso: vili & abiecto tantum vtantur. Si enim aliud hominum animos, certe pannosus & cõtemtus vestitus abijcit. Hinc Christianis Ottomanni non permittunt candida redimicula gerere. Quid quod Saraceni etiam nomen Persarum sustulerunt, eo, ne nominis appellatio pristinam fortitudinem refricaret, & ad rebellandum moueret. Gulielmus dux Normandiæ deuicto regno Anglico, vt victis adimeret animum, omnes magistratus abdicauit, præscriptis legibus lingua Normandica: hinc vt commonefierent esse translatum sceptrum, & cum legibus & lingua pariter omnia mutanda.

Nec ab re erit, grauissimis oneribus alijsque grauaminibus eos premere, pressos macerare, vt à Pharaone domitos Iudæos legimus: aut abie-

ctis & contemtis munetibus præficere, vt Iudæi Gabaonitas & Romani Calabreſes, aut alijs laboribus, agriculturæ nimirum, artibusque illiberalibus deſtinare. Agricultura enim in agris eos retinet, reique familiari intentos: animumque altius ſapere, aut ſublimiora meditari non ſinit. Recte itaque Cimon ſacramento militari reliquos Græcos liberauit: quo occupati ruſticis laboribus paulatim regnandi cupiditatem abijcerent: interim rectiſſime fecit, ciues ſuos terra mariq; armorum vſus edocendo.

Artium mechanicarum hæ ſunt proprietates, vt ſuos cultores aſtringant officinis, ibique rationem victus quærere ſuadeant. Cumque è re ſit mechanicorum, laborem ſuum vigere, non poſſunt non amare & iurare Reipubl. tranquillitatem. Hinc mercimonia, hinc negotiationes florent: hinc in emporijs pacem non tam optari quam amari videmus.

Præter hæc tyrannorum reſtat inuentum: ij liberos eorum, à quibus rebellionem metuebant, delicate & effœminate educari curabant: id quod Dion Halicarnaſſæus Ariſtodemo tyranno Cumano adſcribit. Nam ne in trucidatorum filijs, patrum vulnera recrudeſcerent, callide illorum virtutem eludere conatus eſt, dum vſque ad annum viceſimum delicatiſſime fœminarumque more educari eos iuſſit. Tunica præterea vaga longaque, ad talos vſque demiſſa vti, criſpis & prolixis capillis eſſe, & coronas ſerteas gerere: facies vero fucatis pigmen-

gmentis illita delicatiores & molliores, quam natura erant, reddebat: in gynæceo nutriebantur, vt & moribus & animo fœminas adæquarent. Ac quemadmodum Circe, vt à Poëtis traditur, veneficio ſuo poculo homines in bruta ſubito trásformauit; ita huic tyranno adoleſcentulos in mulieres immutare, animus fuit.

Imprudens vero fuit & ſtultum tyranni factũ: ſiquidem maſculis in fœminas abeuntibus mulieribus anſa dabatur officia virilia tractandi. Itaque pro colo & acu (quæ maſculis relinquebant) arreptis armis indignum tyranni facinus vindicarunt: id quod Ariſtodemus tandem etiam, plus quam vellet, ſenſit. Accedit huc Muſices ſtudium: vt enim blanda mollis & delicata eſt, ita quoque animos hominum exculpit. Itaque priſci illi Arcades, quod ex aſperiore ſoli habitu incolæ feros quoque & agreſtes mores contraxerant, introducta Muſica ab innata illa feritate auocatos ſenſim ad manſuetius vitæ morumque genus abduxere. Mollitiem autem maximam præ ſe ferunt cantiones quieti & ſeptimi toni: ideoque à Lydis & Ionibus, qui otio & voluptatibus diffluebant, olim præcipue frequentatæ: at Ariſtoteli, qui in lib. de Rep. primum tonum, vtpote maſculis dignum reſtituit, improbatæ ab eoq; interdictæ.

Cæterum ne Muſicam Ariſtoteles à Rep. ſua omnino exterminaſſe putetur, idẽ in Politicis, Muſicam ad otiũ animi mentisq; quietẽ in omni vitę ſtatu plurimum conferre ideoq; neceſſariã eſſe aperte affirmat. Etſi enim quidam ex Ariſtotele aſtrue-

astruere conantur, Musicã neq; necessariam neq; vtilem esse, ad quod confirmandũ sententiã Aristotelis allegant, Quocirca, inquientis, musicam maiores nostri inter disciplinas numerarunt, non quod sit necessaria, nihil enim tale habet, neque quod sit vtilis. Aristoteles tamen ipse se in sequẽtibus explicat, nempe quod non sit vtilis aut necessaria, vt aliæ literæ, ad lucrandam pecuniam, aut rem familiarem destinatæ; quasi diceret, Musica est vtilis & necessaria, non tamen vt aliæ artes, quæ suum opus & quæstum habent. Tempus autem me deficeret, si de antiquitate, dignitate, vsu ac necessitate musicæ, quæ velim, hoc loco scriberem. Itaq; laconica breuitate eius laudẽ perstringam. Quod itaq; primo ad Musicam naturalẽ (quæ vulgo mundana nominatur) attinet, ea partes mundi omnes & singulas respicit, in quibus est admirabilis quædam harmonia & concordia; vnde Pythagoras & Plato in motu cœlestium corporum Musicam posuerunt, & sane non solum in diuinis illis sphæris ad numeros & proportiones perpetuo rotatis, sed etiam in elementis, maxime autem in partibus humanis, adeoq; in animi potentijs canentium, veluti chorus visq; tota musices inesse videtur. Est enim anima (definiente Boëtio) veluti dulcissima naturæ cythara potentijs suis tanquam neruis ac fidib. compacta. Quid hic dicam de philomelis? de alaudis? de alijs sexcentis auium generibus, quas non industria, sed ipsa natura Musicam edocuit? Qui ergo Musicam contemnit, lapis non homo est, degener & spurius non naturæ filius, vt olim Æteas ille fuit,

qui magis equos hinnientes aut balantes oues audire quam homines canentes peroptauit. Quid quod vere Deus omnipotens (in quo præter concentum nihil inest) hanc quoque harmoniam dedit, quæ Musica vocalis dicitur vocumque concentu perficitur, qui linguam & vocem finxit, qui matres infantulos canendo placare docuit, qui angelos Gloriam in excelsis cãtantes misit, qui cantatores in templo suo collocari iussit. Amphionem, Orpheum, Orionẽ, Timotheũ aliosq; infinitos laudatissimos viros hic nõ inducam, qui Deũ mouisse, infernos spiritus lenisse, lapides & syluas traxisse vi musices dicũtur. Cãtauit Dauid, Elisæus à Psalte coram se canẽte ad prophetandũ excitatur. Deus Psalmis & hymnis se coli & honorari iussit. Musica porro instrumentalis organis ac instrumentis suauiter sonantibus constituitur. Quanta vero vis huius generis sit, Orphei lyra, Hectoris tuba, Cythara Dauidis mirifice & aperte docent. Est insuper & alia species Musices, quæ mixta dicitur, quæ vel ex omnibus vel ex pluribus vocibus ac instrumentis inter se coniunctis constat; in hac est tam incredibile mouendi sensus, mentisque artificium, vt plane mentiar, si non affirmem, hoc genus artis omnem scientiam sui delectatione superare. Fessa etenim corporis membra reficit, spiritus attonitos viuaciores reddit, vires sepultas excitat, ipsumque animum deiectum mirifice erigit & confirmat. Quid multis? Negociorum tœdium musica lenitur, musica in pace Dei numen colitur; musica in bello hostis furor frangitur: nulla ergo est pars

vitæ,

vitæ, siue in otio siue in negotio, siue in pace siue in bello, quæ musicæ vsu non reficitur. Quid quod Musica sanitatem conseruat, morbos pellit, malos dæmonas fugat, amicitias gignit, sensus ad obedientiam mentis, mentem ad Deum trahit. Nulla igitur ars est excellentior aut diuinior quam Musica. Non tamen hic intelligo mollem & effœminatam illam symphoniam, qua vagabundi tibicines ad illecebras vtuntur: sed grauem & diuinam eam, quæ cum anima humana proportionem habet, quæque nos nostrosque sensus & affectus à terra ad cælum, à vanitate ad virtutem, ab inani strepitu mortalium ad gloriosum chorum cælestium spirituum, ab hoc indiuisibili puncto temporis ad infinitam circumferentiam numinis possit allicere, possit auocare. Nec homo audit musicam vt leo, sed de ea iudicat & distinguit, eiusdemque nutu & quasi instinctu ad virtutis studium & amorem ducitur. Atque vt ex alijs obiectis sensus exteriores pulsantibus phantasmata quædam in occultis potentijs animi imprimuntur, quibus tanquam formis ac imaginibus mens ipsa depingitur efficiturque sciens: ita chordæ musicæ & concentus ab auribus ad intellectum, ab intellectu ad voluntatem transfusi in animo mirificos affectus fructusque mirabiles virtutis pariunt, quibus homo iustus, sapiens & beatus redditur. Talis autem est grauis & diuina illa Musica, oraculis plena, Dorica nominata, illa enim potissimum animum ad studium sapientiæ ac veræ pietatis trahit. Hac olim in Synagogis

Ethnici, hac nunc in Eccleſijs Chriſtiani vtuntur; eſt enim in ea quædam cœleſtis harmoniæ imitatio, qua veluti dulci & ſalutari medicina animi morbi curantur, diſſipantur vitia, minuuntur curæ, ros gratiæ diuinæ ſenſim ac pedetentim inſtillatur, vt Auguſtinus aſſerit, qui Auguſtinus ad lacrymas & fletum voce & harmonia dulciter cantantis Eccleſiæ ſe ſæpe motum fuiſſe confitetur.

Cęterum eſt quoddam genus hominum in hac ætate nimis proteruum, & (vt ita loqar) ſtoice ſuperſtitioſum, quod omnẽ muſices vſum in tribunali ſuo vaniſſime condemnat: prætexunt hi neſcio quam cauſam ſummæ pietatis, nempe vt Deus ab hominibus diſtincte cum intellectu, & non confuſe graculorum more adoretur; quod ſane fieri, vt aiunt, non poteſt, ſi in templo, vt in theatro, cantibus ac inſtrumentis concertemus. Deus, inquiunt, fiſtuloſis organis & lyris neruoſis non placatur: delirant ergo qui ijs vtuntur. Hinc ſæpe vrgent illud, quod antiquitas dedit:

Non vox ſed votum, non cordula muſica ſed cor,
Non clamans ſed amans cantat in aure Dei.

Vtinam votum, cor, amorem Deo iſti perſoluerent, tum quidẽ vox, cordula & clamor omnino non deficeret. Fateor equidem id verũ eſſe, quod Caſſidorus ſcribit: Non ſolũ cantantes ſed intelligentes pſallere debemus. Id quoq; optandum eſt, quod patres in Concilio 4. Carthaginenſi præceperunt: Vide, inquiunt, vt quod ore cantas, corde credas, & q̃ corde credis, opere & vita comprobes. Rationẽ diu⁹ Auguſtinus addit, Bene, inquit,

pſal-

psallere & male viuere est Deo odiosum. Sed qd? An hinc concludis, Musicam omnino à templis exterminandam esse? Hoc est arma militibus tollere, qui artificiose nō pugnant. Etsi enim instrumenta Musices syllabice non loquantur, musice tamen ferentes sonum pios affectus mouent. Quid sæpius hic de Musica in templo Salomonis, de Dauidis cythara & cymbalis bene sonantibus dicerem? Qui de hac re dubitant, legant Augustinum in præfatione, quam in psalmos scripsit, & alios plures, inprimis vero Eusebium lib. 4. de vita Constantini, & decretum totius Ecclesiæ (de quo Euseb. lib. 7. cap. 24.) contra Paulum Samosatenum hæreticum, quod psalmos & cantus, qui ad honorem Christi decantari solebant, tanquam à viris recentioris memoriæ editos exploserit.

Porro non iniuria etiam quærat aliquis, anne prouectioribus quoque ætate praxis huius artis conueniat? Sunt enim Aristarchi quidam, qui actum & opus Musices homines sordidos & illiberales efficere ineptissime dicunt, qui Sardanapalum mollem, Neronem tyrannum, Alexandrum insolentem, Homerum insanum, furiosum Herculem, Paridem adulterum ex opere praxiq; Musices factos esse censent. Habuerunt hi quidem omnes suas lyras, multaque & varia instrumenta Musices; sed negamus lyram, ad quam cantabat Nero, causam fuisse cur Romam incenderit; negamus cytharam, quam Paris tractabat, causam fuisse cur Helenam sustulerit; negamus, inquam, vocem aut instrumentum causam omnino esse, cur isti aut alij quicunque insani, furiosi, adulteri,

aut quouis alio modo flagitiosi fiant: ineptũ sane est mentis labem in artis vsum vertere, vel ꝓpter scelus hominis splẽdorem artis tollere. Fateamur enim quod isti (vt hodie nimis multi) fuerint abusi ad morum licentiam hac diuina scientia, estne igitur venerabilis eiusdem vsus tollẽdus? an inde cõcludes, omnes sordidos & illiberales effici, qui fides & neruos pulsant, aut consorti vocum concentu ad numeros & modos cantant? hoc est gladium Dauidi negare, quia gladio Saulus seipsum transfixit, vsumque rei eximiæ tollere, quia pessimi homines eadem abutũtur. Quid ergo? an senibus decorum esse putas? si Musicis instrumentis digitos admoueant? si in choro contendant? si vociferentur? Ad id respondet Aristoteles, pueris & adolescentibus tractationem, viris vero & senioribus iudicium huius artis conuenire. Possunt itaque senes aut recreationis causa ad solatium vitę, aut causa contemplationis ad cultũ Dei hanc artem exercere, non tamen vt pueri & adolescentes in foro, theatro, ludo, sed vt decet grandiores, in domo, in musæo, in templo, in quibus hymnos Deo canere, & dulcissima pietatis instrumenta tractare senili ętati conuenit. Hinc, vt opinor, Socrates in sua senectute hanc artem didicit, vt Patricius scribit; hinc Epaminondas senex lyram pulsare non recusauit; vana enim non sunt quæ sunt honesta, indecora non sunt quæ ad diuinos vsus destinantur. Imo Socrates apud Platonem tanti æstimat Musicen, vt auderet dicere, mutationem musices aut defectionem Reip. maxime periculosam esse, perinde ac si diceret, ciuium fortunam,

tunam, bellum, pacem, virtutem totam vitæq; rationem quodammodo à fidibus dependere. Hinc Themistocles, cum in epulis recusaret lyram, habitus est indoctior. Quid multis? tanti fecerunt maiores nostri hanc praxin artis, vt indignos, vita, luce, ciuitate putarent, qui lyram aut cõtemnere vt Æteas; aut mutare, vt Timotheus; aut ignorare, vt Themistocles; videbantur. Eccur ergo non probamus, cur non amplectimur Musicam? dat quietem, si simus fessi; mores, si simus mali; sapiẽtiam, si simus ignari; libertatem ab affectibus, si simus scelerib. mancipati: defessos enim recreat, flagitiosos corrigit, ignaros docet, otiosos & segnes ad studiũ pietatis trahit. Huius auctor Deus est, materia melos est, custos homo est, gloria Christi finis est. Stoici ergo sumus si recusemus, Epicurei, si condemnemus. Tubal Adami filius, Miriam Aaronis soror aliæq; mulieres cum tympanis, Anna mater Samuelis, Debora, Dauid, & alij infiniti Deum musice laudarunt. Patriarchæ, prophetæ, angeli ipsi, patres & doctores renascẽtis ecclesiæ cecinerunt, artemq; diuinã hanc exẽplo, voce atq; præcepto cõmendarunt. Musicam ergo vt canonicã artẽ recipiamus & amplexemur.

CAPVT V.

An artes liberales ad bellicarum rerum administrationem aliquid conferant?

DELACET nunc, quoniam de educatione, cuius nobilissima pars in artibus liberalioribus sita est, hoc loco disquirere, quid & quantum artes liberales rebus militarib. prosint. Eum in finem, vt princeps, an sint ediscen-

ediſcendæ necne, honeſtæ cognitu, ac permittendæ ſubditis, an contra, conſtanter queat iudicare.

Duo vero prę̃mitto, quæ fundamenti vice ſunto: nimirum, duo liberalibus artibus ineſſe, quæ bellicæ fortitudini ſint contraria. Primum enim ſui ſtudioſos Muſæ adeo à cæteris rebus gerendis abſtrahunt, vt omnib. deſpectis quaſi toti in ſtudia abſorpti videantur. Argumento eſt Archimedes, qui dum à Romanis Syracuſæ occuparentur, & diriperentur, profundiſſimis ſpeculationibus immerſus nulla prælia, nullos tumultus exaudiuit, quaſi ad ſe communis calamitas nihil ſpectaret, priusq; enſem hoſtilem in ceruice quam hoſtium irruptionem atque vrbis expugnationem ſenſit. Secundo, alacritate pulſa triſtitiam & melancholiam incutiunt: vt & Ariſtoteles & perpetua rerum ſeries ſatis commonſtrat. Ecquis vero triſtitiam alacritati animi, quam arma requirunt, contrariam eſſe non ignorat?

Quod ad primum Muſarum effectum attinet; audiatur Cato: qui tum Romanos Rempublicã perdidiſſe aſſerebat, cum primum Græcæ linguæ & artibus operam dediſſent. Idem, cum olim oratores quidam, quorum numero tres erant, frequensque auditorium iuuenum habebant, Romam veniſſent, ſenatui ſuadet, propediem Athenas eſſe remittendos, ne flos iuuentutis Romanæ liberalibus artibus ineſcatus rei bellicæ fieret negligentior. Gotthi, Muſarum ſtudio homines animo abiecto & bellis inhabiliores reddi, animaduertentes, libros Græcos, quorum magnam copiam penes ſe habebant Vulcano deſtinarunt.

Poſte-

Posterior studiorum natura Gallis (præsertim nobilibus) qui natura sunt læti & alacres, Musarum contemtum peperit. Vnde Ludouicus XI. rex Galliæ, vir alioquin gubernandi peritissimus, ab omni literarum studio filium Carolum remouendum duxit, modo id, quod vulgo fertur, didicisset, *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.* Sed quã prudenter fecerit, in sequentibus patebit.

Contra vero sunt etiam aliæ virtutes artium liberalium, quæ maximi sunt momenti, & rei militari accommodatissimæ. Quarum prima est, ꝙ earum cultores prudentiores reddit, cõsilia acuit, ad perfectionem promouet. Altera est, quod desiderio laudis & virtutis accendit.

His itaque præsuppositis propositum problema in præsenti discutiendum sumam, artibus humanioribus non tantum multum dignitatis & ornamenti belli ducibus accedere, sed etiam scitu fere necessarias esse demonstraturus. Visum enim, vt ita dicam, perspicacem reddunt, ingeniũ acuunt, & à ratione discedere non patiuntur: excitant, & ad honorum laudisque cupiditatem extimulãt: tam prudentem quã fortem reddunt. Prudentia vero cum fortitudine in homine coniuncta ad summam rei bellicæ peritiam & gloriã via quasi præparata facilime ipsum deducit.

Tanta literarum cognitione floruit Alexander Magnus & Iulius Cæsar, vt dubites, an artes liberales, an res bellis gestæ, plus gloriæ eorum existimationi adiecerint. Omitto Hannibalem, omitto Scipionem, quorum vterq; summam artium cognitionem cum rei bellicæ peritia adæquauit.

Vnde

Vnde, cum Iulius Cæsar Pompeium in Pharsalicis campis vicisset, inter alios honores à senatu illi decretos hi fuere, vt currus ipsi aduersum Iouem spectans in Capitolio collocaretur. Ipse quoque super imaginem orbis terrarum positus statueretur cum hac inscriptione: SEMIDEVS EST. Ob eam causam haud dubie in heroicis Gabrielis Simeonis symbolis depingitur stans super globum mundi, sinistra tenens librum, dextra gladium, cum hac inscriptione: EX VTROQVE CÆSAR. Qua pictura demonstratur, his duobus, armis videlicet & literis Cæsarem imperium acquisiuisse, & acquisitum conseruasse. Qua de re etiam extat lex Seruij Tullij sexti regis Romanorum, qua continetur, non solum armis & scientia belli, sed & consiliis artibusque pacis Rempublicam consistere. Atque huc fine dubio respexit Iustinianus imperator in principio suarum institutionum iuris, vbi orditur: Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam, sed etiã legibus armatam esse oportet, vt vtrumq; tempus & bellorum & pacis recte possit gubernare, & princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiamper legitimos tramites calumniantium calamitates expellat.

Diserte autem dixi Musas belli ducibus fere necessarias esse: arguens, vtilissimas quidem, non tamen ita necessarias, vt sine ijs bonus miles esse non possit. Multi enim extitere duces, qui literarum prorsus rudes nihilominus summam in gerendis bellis scientiam consecuti sunt: aut ingenij

rij bonitate, aut longo rerum vſu. Plenius hoc Manlij, Decij, Mariani, Diocletianus, Seuerus, alijque imperatores probant.

Quæ vero principi deligendæ ſint artes, quando ſupra memorati, hic ſuperſedeo. Quod vero ad milites gregarios attinet, ingenue fateor, militi artium ſcientiam neque prodeſſe, neque neceſſariam illis eſſe. Præcipua enim militis virtus eſt obedire: & iuſſa imperatoris expedite exequi: Artes vero expoliunt iudicium, iuuant conſilia, quibus ſoli duci opus eſt. Principis enim vt eſt vigilare, vt cęteri dormiant, ita perſpicacis viſus eſſe, vt alij minori cum periculo cœcutire poſſint. Sic Heluetios populum crudum & rudem, artiumq; liberalium contemtorem, in armis vbique verſatiſſimos fuiſſe conſtat: quod idem etiam de Germanis, Vngaris, & Ianizaris dici poteſt. Imperator Iulianus ſubdola calliditate eccleſiam Chriſti conculcaturus, ſcholas (ex quibus multi ſapientes tanquam ex equo Troiano prodirent,) ſtudiorumque exercitia ſuſtulit.

CAPVT VI.

Quomodo rebellium vires frangi & diſcuti debeant.

SÆPISSIME animum colligunt homines alioquin nauci ac fere triobolarij, ſeditionesque cient, quoties potentiam neſcio quam ſomniant: itaque magna induſtria præuertendi ipſorum conatus, labefactandæ vires, potentiaque adimenda.

Maxi-

Maxima autem fiducia ponitur in robore iuuenum, aut armatura: quæ aut animata: cui annumerantur equi & elephanti: aut inanimata: ceu arma, quibus noſtra tuemur, aut alios repellimus: apparatus bellicus & tormeta terra mariq; : commeatus, munitiones arces, quas aut natura, aut ars humana ohfirmauit: & principale illud medium, quo omnia facile confici poſſunt, nimirum, pecunia. Omnibus hiſce exuendi rebelles; imo omni occaſione illa comparandi, priuandi ſunt.

Iuuentus atque adeo omnes, quorum opera & cõſilijs iuuari poſſent, commodius auelli ab ipſis nequeunt, quam cum princeps ipſe eos ad ſe pertrahit, pertractosque ita, ſecum retinet ſuisq; munijs accommodat. Quoties Cæſar vrbem occupauit ſiue vi ſiue deditione, prima hæc erat ipſius poſtulatio atque mandatũ, vt omnia arma, equos atque etiam obſides, quos ex optimis quibusque atq; ex omni iuuentutis robore ipſe delegit atq; ſegregauit, ſibi exhiberent. Sic omni robore conſilioque vrbes à ſe expugnatas nudauit.

Idem infeſtis copijs Britanniam inuaſurus ferociſſimis & robuſtiſſimis de nobilitate Gallica ſecum abductis, non tantum illorum fidem probauit, ſed mire ſuas copias confirmauit. Imperator Heraclitus, ne frænis laxatis Saraceni & Arabes imperij iugum excuterent, quatuor millia, tãquam ſtipendia mererent, illis ſubtraxit. Nemo vero, vt opinor, vnquam cautius ſibi proſpexit de fide ſubditorum, quam Turcicus tyrannus, dum Chriſtianorum liberos, vt ſupra oſtendimus, abreptos omni robore ac viribus Chriſtianos nudat atq; ad ſe transfert.

Arma

Digitized by Google

Arma autem non tantum illis adimuntur, vſu eorum interdicto: verum etiam materia, ex qua cudi ſolent, imo ipſa cudendi ars. Magna enim vbi populi eſt frequentia, materiæque (modo adſint artifices) copia præſto eſt, facile tunc arma vſui accommoda parari poſſunt. Teſtatur hoc Carthaginenſium obſidio. Callido quidem inuento Carthaginenſes omni armatura, omnique claſſe bellica à Romanis priuati: nihilominus vrgente neceſſitate artifices, quorum numero bene multi erant, omni collecta materia, præter ſpicula, pila, miſſilia, confecerunt centum clypeos, trecentosq; gladios; imo, deficiente cannabe, funes ex mulierum capillis nectebant, deficientibus lignis ædes demoliti naues ſibi extruebant.

Inconſultum eſt, eos ferri illis in locis, quæ aut iam munita ſunt, aut breui muniri poſſunt. Cum Romani Ligures Apuanos ob aſperam & natura munitam regionem, quam incolebant, quæque ipſis magnam ſæpe confidentiam pepererat, & non raro ad ſeditionem commouerat, coercere non poſſent, à montibus abductos, in terram planam & apertam tranſtulerunt. Iidem, Carthaginenſes ſæpe ſeditiones cõcitantes, vt mari relicto in continentem mediterraneam concederent, coegerunt. Vt compeſceret piratas Pompeius, de mari in aridum eos transtulit. Cato Celtibetos & Paulus Æmylius Albanenſiũ vrbes euertit. Vitiſa rex Gothorum ſeditionem metuens, vrbiũ mœnia, exceptis Lugduno & Toleto, diruit. Alij ſeditioſos aliorſum amandarunt.

Imperator Probus domito insigni illo prædone Palfurio in Pamphilia & Isauria, prædonumq; turba ejecta animaduertens, terram illam execrandi illius hominum generis quasi natura feracem esse: Video, inquit, hic citius prædones quã prædonum traduces extirpari posse. Eam ob causam militibus veteranis regendam dedit: hac tamen lege, vt filios iam octodecim annos natos Romanis committerent: quo armis tractandis potius quam prædationibus assuefierent.

Imperator Aurelianus animaduertens Dacos qui hodie Valachi, Moldaui, Transyluani sunt, ac citra Danubium habitant, Romani imperij impatientes esse, citeriorem terram habitandam dedit.

Carolus Magnus imperator frequentibus Saxonum motibus irritatus integram fere familiarum myriadem eo transtulit, vbi nostro seculo Brabantini & Flamingi, qui descendunt ex illis, habitant.

Pecuniarum possessio, quæ hodie summæ potentiæ ac virium neruus est, facile præripi potest per vsitatos census & tributa: verum quia hoc in casu principes iamdudum lynce perspicaciores sunt, ad alia transcendo.

CAPVT VII.

Quomodo rebellium conuenticula impediantur.

VT maxime desudet princeps in frangendis viribus & animis rebellium: nõ tamen animus vnquam ipsis deerit, dum

dum copia eſt conueniúndi & conferendi. Hic enim veriſſimum fit illud:

Jamq; faces & ſaxa volant. Furor arma miniſtrat.

Conuenticula certe illis hominibus maximos addunt animos, vbi ſæpe vnius audacia cæteros omnes accendit, aut vnus aliquis ex ſermonibus, qui in conſultationibus illis habentur, animoſior fedditus, fit audaculus, atque in pernicipem principis deplorata quadam audacia non clandeſtine amplius, ſed aperte aliquid machinatur. Auguſtus imperator ſeditiones metuens, ſatellitium ſuum intra Romæ mœnia tantum è tribus cohortibus conſtare volebat: ædes proprias omnino ijs denegans, ne capitibus collatis ferocirent: cæteras cohortes extra vrbem in finitimis oppidis & munimentis detinebat.

Contra vero Seianus ſub Imperatore Tiberio prætoriarum cohortum dux factus maioris potentiæ cupiditate, exiſtimationem nominis & præfecturæ amplificaturus, cohortes hinc inde diſperſas vnum in locum coegit, perſuadens ſibi fore, vt coniunctæ animoſiores factæ omnibus ſui terrorem incuterent. Res ſane ad Reipublicæ labefactationem valde accommoda, ſiquidem eo ſuperbiæ & inobedientiæ tãdem deuenerunt, vt etiam ſenatusconſulta faſtidirent. Conſimili exemplo tres illæ legiones, (quæ Tiberio Rempublicam capeſſere incipiente ſeditiones in Vngaria mouerunt,) coire & ex tribus vnam legionem conflare, quo & animus præſentior, & robur firmius eſſet, conatæ ſunt.

Non latebat hoc Romanos: itaq; Achęorum, (quamvis in diuersa oppida distributi ijsdem tamen legibus vterentur, adeoque, vt nostro seculo Heluetij, vnum corpus, vnamve Rempublicã constituerent) potentia cum esset Romanis suspecta, varijs modis eos dissociare quærebant. Achæi vero rem admodum molestè ferentes iracundia adeo exarserunt, vt more rabiosæ beluæ vrbem Corinthum aggressæ, quicquid ibi peregrinorum esset, ad vnum omnes opprimerent: imo Romanorum legatos, quos iura violare non sinunt, summa ignominia affectos dimittere nil vererentur.

Ne autem coniungantur rebelles, duplici modo præcaueri potest. Vno, vt animus conspirandi dematur: altero, ne coniungendi ansa præbeatur. Animus autem & conatus conspirandi disseminata inter ipsos suspicione & diffidentia præpeditur, ita vt neuter alteri fidat. Sic enim animi sui sensa explicare, neque quibus cor ęstuat detegere inuicem, nisi magna cum diffidentia audent: at hic exploratorum opera magno vsui esse potest.

Obiter hic incidit illud Caroli Magni, ad frenandos Westphalos vsurpatum. Ducebant ij quamvis baptisati dissolutam & impiam vitam, quæ & in suspicionem eos coniecit, aut incredulos eos esse adhuc, aut certe à Catholica fide breui discessuros. Hanc vitæ ac morum turpitudinẽ vt reprimeret Carolus Magnus, præter ordinaria iudicia aliud iudicium sed clãdestinum instituit: idque demandauit prudentibus, pijs, & candidis

dis viris data licentia absque vlteriore iuris processu ac consueta inquisitione pro suo arbitrio supplicio afficiendi omnes eos, quos à fide Christiana defeciſſe experirentur. Vt autem de ipsius defectione morumque turpitudine certius ipsis constare posset, adhibuerunt ad hanc rem exploratores: viros bonos & apertos: nonnunquam etiam Iudæos: qui tanquam longe ab hoc negotio abessent, peragrata illa regione, omnium dicta & facta consignantes, ad iudices detulerunt; qui deinde in hunc modum delatos, vbi vbi deprehensos à proxima quaque arbore suspenderunt: hinc mortuos prius, quam cur mortui, increbuit.

Mirum autem in modum clandestini illi iudices populi licentiam compescuerunt. Præterquá enim, quod omnes laterent, summa adhibebatur seueritas, quæ nec præpotentibus, sed solis pijs & obedientibus parcere sciret. Quid quod amicus amico, proximus proximo insidiarum metu arcana sua occultabat.

Occasiones autem, quo minus conueniant & colludant, varie tolli possunt: Primum cum nuptijs & affinitatibus contrahendis prohibentur: potissimum vero patricij, qui ab amicis sunt instructiores. Latinis hoc à Romano impositum: siquidem nouis affinitatibus & clandestinis contractibus omnino cogebantur abstinere. Quid quod Macedoniam in quatuor partes, quarū sua cuique metropolis erat, Amphipolis, Salonica, Pella & Pelagonia, distribuerunt, data lege, ne matrimonia inuicem contraherent.

Deinde vero eorum proceres, quos in aucto-

ritate habent mature remouere conuenit: eosq; vbi quid culpa dignum commiserunt, aut omnino muneribus abdicare: (iniustitiæ enim nusquã locus est) aut aliis rebus adhibere. Paulus Æmylius, quo Macedones retineret pacatiores, primores ipsorũ vna cum filiis in Italiam abire iussit. Imp. Carolus M. quo Saxonicarum seditionum finis esset, nobilitatem in Galliam transferebat.

A publicis congressibus abstineant: magistratu careant: neque vlla facultas quouis modo se inuicem coniungendi permittatur. In hunc modum à Romanis Capua eneruata est. Permissum quidem ipsis fuit, vt vrbem inhabitarent propter agrorum fertilitatem. Vt autem formam inter se haberent ciuitatis aut Reipublicæ, id vero omnino denegatum fuit. Ademta itaque ipsis iudicia, ademtus senatus, ipsa denique Reipublicæ administratio vna cum publicis congressibus interdicta fuerũt Sic enim omnem rebellionis ansam ac neruos præcidi posse prudenter existimabant.

Abdala, princeps Saracenorum, Christianis, quibus dominabatur, vigilias nocturnas noluit committere, quanto plus Turcis & Mauris aliisq; infidelibus, quibus inter nos habitare datum, diffidere nos decet? Saladinus rex Damasci expugnatis Hierosolymis campanas sustulit, ne dato signo fortassis concurrerent. Imitantur hoc Turcæ vbique. Atque experientia omnes compertum habent, quantum valeat campanarum pulsus ad concitandos hominũ animos & arma arripienda. Probat hoc vrbs Bourdeaux, quæ propter tributũ salis gubernatore obtruncato à rege Henrico deflexit.

Cum

Cum vero lingua atq; adeo idioma, arctiſſime contineat hominum ſocietates, ad noſtram linguam omnino ſunt aſſuefaciendi vt ſermo eorum intelligatur: id quod Mauris rex Hiſpaniæ iniunxit.

Quid vero dicam de populoſis ciuitatibus, quę vel leuiſſimo ventulo agitatæ deſciſcunt & ceu furore correptæ ad arma concurrunt? Soldani Ægyptij, ſuſpectis Cairi incolis, latis & profundis foſſis vrbem diſtinxere, atq; ſic in formā fere prouinciæ, vbi pagi continentes ſunt, redegerunt; foſſas magno tumultibus & ſeditionibus impedimento futuras arbitrati. Præcipuam cauſam, quæ Venetiarum Remp. quietiorem reddit ac tuetur, in eo pono: quod tota ciuitas infinitis canalibus quaſi diſſecta, populi congreſſus difficiliores reddit: & antequam turbæ motæ ſunt, ſuo molimine retardat.

Multum huc faciunt Citadellæ: delecta præſidiariorum militum cohors, quibus loca ſuſpecta munimus, idq; aut extra aut intra ditionem noſtram. Ea de cauſa Magnus Turca ſuam Cabelliam, quæ 150000. equitum continet, hinc inde in Eſia & Europa in ducentas Sangiacchas diſtribuit: horū eſt in præſidiis limitaneis manere, excubias agere, omnes motus & tumultus, quales illi ſint, pacare.

Quod ſi vero nullum eorum, quæ hactenus adduximus, rebelliū factioſos animos deiiciat, tum demū alia ineūda eſt via. Diſpergēdi nimirū ſunt & in aliā eamq; peregrinā regionem traducendi. Sic Iudæos ſparſim in Chaldæā abducebant Aſſyrij,

rij. Alexander vero Magnus, (ſi vera ſunt, quæ ab Hiſtoriographis hac de re ſcribuntur) in Tartariam, & imperator Hadrianus in Hiſpaniam eos traduxerunt. Iidem tamen ſubdole & fraudulenter ſub rege Euicato Chriſtianæ fidei ſubſcribentes, maxime autem tum Chriſtum oppugnantes omnibus bonis exuti, cum vxoribus & liberis in Hiſpaniam diſſipati pro mancipiis fuerunt. Euenit hoc circa annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum octauum. Idem Dagobertus rex Galliæ factitauit.

Quando vero Arabes (Almoſades dicti, tempore Alfonſi VII. regis Hiſpaniæ, imperium ſuum auſpicati) Chriſtianis locum eſſe ſub ſe denegarunt; quinetiam vt amplecterentur Mahometis religionem, coegerunt; aut ſi facere recuſent, exquiſita ſupplicia ſubirent: quid obſtabit, quo minus ingenia inquieta, profligatæ ſpei & ſalutis noſtris finibus exterminemus?

Nihil autem ferendum eſt, quod infidelium peruicaciam adaugeat. Tollendi itaq; eorum doctores, libri, Typographeia, & ſi quæ ſunt alia. Antiochus edicto Iudæis vetuit, ne die ſabbathi pro more libros Moyſis lectitarent. Diocletianus omnia ſanctorum ſcripta concremari iuſſit. Imperator Conſtantinus Magnus, vt omnia ſcripta Arij hæretici comburerentur, edixit.

CAPVT VIII.

Quomodo præcaueri poſſit, ne ſubditi cum exteris contrahant & colludant.

QVA

QVÆ proxime præcedenti capite disceptata sunt, magnam intelligentiæ lucem huc adferunt. Obstrue enim subditis vias inuicem colludendi & conspirandi, annon simul, vt ne aliorum coniunctione freti insurgant, sustuleris? Coniunctiones illas pariunt cognationes, affinitates, amicitiæ, conuiuia, commercia, colloquia clandestina, quæ omnia impedienda sunt & quasi amputanda: id quod commodissime conficiunt exploratores hinc inde clam & quasi aliud agentes dispositi: sic etiam sub portis & vicinijs, vbi ad nostra aut patet aditus aut egressus. Præclaro autem successu hoc tentari potest in insulis, aut regionibus, quarum angustiam & incapacitatem mare, montes, aut flumina effecerunt,

Remotiores suspectorum translationes inprimis vtiles sunt. Sic Magnus Turca anno post pugnam ad Lepanthum Christianos, ne Latinis se adiungerent, terminis ac portubus Græcorum abire iussit. Liberius autem hoc strategemate vsi sunt Philippus primus & vltimus, reges Macedonum, dum vt pastores vniuersum gregem, integrum populum in terram ignotum transferrent.

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia

LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

Qua ratione princeps ab externis hostibus tutus esse queat.

HVc vsque de tranquillitate inter subditos conseruanda: videamus nunc deinceps rationes, quæ externis symptomatis, quibus Resp. attentari, perturbari, aut euerti possit, ne quid morbi improuiso gignant, medeantur.

Tenendum & fundamenti loco inprimis habendum est, quod quam longissime hostem, impendentemque difficultatem à vertice nostro auertere, maximam pariat securitatem. Mali enim vicinitas pars est mali imminentis: & quo propius abest, hoc periculosius. Itaque etiam atque etiam cauendum, vt vt maxime appropinquet hostis, non tamen, vbi noceat, inueniat.

Accessu autem hostes varie prohibentur. Primum quidem requiruntur munitiones locorum, qua patet ad nos ingressus & transitus. Est itaque vt ibi, vbi commodissimum videtur, munitiones, de quibus iam agemus, extruantur.

CAPVT

CAPVT II.

De munitionibus vtrum neceſſariæ principi & vtiles ſint

ARTIFICIVM loca muniendi ipſa natura dictitat: vt enim facultatem vitalem obfirmaret, periculaque facilius declinaret, & cerebrum & cor multis & duris oſſiculis circumſepſit. Quo conſilio fructus tot ijſque varijs, duris, aſperis ſiliquis & putaminibus texiſſe ac frumenta tam aculeatis ariſtis armaſſe credis? Numquid, vt contra auium depopulationes ſe quaſi tueantur? Vnde ſæpius mirari ſoleo, qua fronte nonnulli in controuerſiam vocare audeant, ſint ne principi munitiones vtiles necne: cum videamus naturam ipſam eas vſurpare.

Nec licet in hoc vniuerſi theatro inuenire vllum imperium, quod non aliquando, quantacunque etiam potentia & dignitate polleat, ſibi à ſubditis, aut finitimis principibus metuat, aut de fide & affectu eorum periclitetur. His & ſimilibus optimam medicinam faciunt munitiones. Præbent enim locum tormentis bellicis, & vniuerſæ armaturæ: certus militum numerus ibi, tanquam in ſchola, exercitatur: paruis mœnibus integram regionem defendunt: exiguoque ſumtu multis difficultatibus obſtant.

Græci, quorum induſtria magna fuit, Romanique, quorum vbique ſumma prudentia emi-

emicuit, plurimum ſemper tribuere Citadellis. Teſtes ſunt Corinthij, Tarentini, Rhegij & alij. Romani imperium ſuum conſeruarunt beneficio promõtorij, vbi extructum fuit Capitolium: quamuis non in limitibus, ſed tanquam in viſceribus Reipublicæ Romanæ ſitum eſſet. Plurima quidem principibus diuerſimode accidunt, & belligerandi occaſiones ſunt innumeræ. Quæ tamen omnes tolluntur, vijs quæ aduentanti malo ingreſſum præbent, obſtructis & munitis. Perſæ magna iactantia in Caballijs ſuis confiſi ſuo exemplo docent, quam vtilis & quam neceſſarius ſit munitionum vſus. Turcæ enim, quamuis aliquoties fuſi bonam imperij partem, ac tandem pollentiſſimã vrbẽ Taures, iam hũc iam alium locum muniendo occuparunt: vnicaque Citadella, quam ibi extruxerunt, ab omni periculo contra eos ſeſe obfirmarunt. Sicque vnica hac cauſa Perſæ, quod deſtituti eſſent munitionibus, vrbes amiſerunt.

CAPVT III.

Quales debeant eſſe munitiones.

VIDEAMVS porro, quæ conditiones munitionum eſſe debeant. Danda autem apprime opera eſt, vt, vbi neceſſitas aut vtilitas eas requirit, conſtruantur. Neceſſariæ vero ſunt, quæ cum non eſſent, ditionem principis denudatam hoſtium incurſionibus exponerent. Vtiles vero, quæ ciuitates opibus & populo abundantes defenſant: impendente difficultate ſubditis aſylum præbent.

Pro-

Digitized by Google

Procul vero à ſede principis remotæ ſint: ſic enim hoſti terrori erunt, ac principem extra tela quod aiunt, conſtituent. Dum enim hoſtis munitionis expugnationem molitur, reliqua ditionis pars tranquilla de neceſſarijs ſibi conſulere poteſt. Hæc facies eſt inſulæ Maltæ verſus Siciliam, & Corſinij verſus Venetias. Cumque procul à principe diſtãt, imo in hoſtiũ agro ſitæ ſunt, bono ipſi eſt, ipſumque reddunt tutiorem. Videre hoc eſt in Orano, Melila, Pegnon di Veles, Setta, Tonger, Mezagam, Arzilla, (quas omnes rex Hiſpaniæ in Africa tenet,) quatenus Hiſpani terram ſpectant. Tales fuerunt Rhodus, Neapolis, Maluaſia, & Famagusta.

Nimium multas autem habere non prodeſt: non enim ſine inſigni reliqui roboris diminutione ac debilitatione defendi, & præſidijs firmari poſſunt. Probe autem munitæ ſint, aut ipſius naturæ, aut artis manu: idq; aſperitate ſoli: aut aqua profluente ſeu ſtagnante. Hoc modo munitiſſimæ ſunt in Italia, Mantua & Ferraria: inprimis autem Venetiæ: in Germania, Argentoratum: in Belgio innumeræ: tam in Hollandia quam Selandia: quibus natura munitiores (quantum ego intelligo) in toto terrarum orbe non extant. Habitant enim ad mare, quod ſtatutis temporibus accedit & recedit, & terram plurimis in locis commodiſſime perluit. Sunt ibi flumina, quæ continentem vndequaque alluunt, & cingunt. Adeo vero demiſſis locis habitant, vt aggeribus reuulſis vniuerſam regionem aquis facile cõplerent & immergerẽt. Non poteſt exprimi, quantopere his condi-

conditionibus ſint munitæ. Ars vero loca, alioquin ſitu incommodiora munit adhibitis certis artificijs in extruendo: nimirum materia murorum bona, probe coagmentata, ſpiſſo aggere, valloque latis & profundis foſſis. Inter hæc vallum muris, foſſæ autem cæteris præferri debent.

Parum hæc efficiunt: inſufficientia enim. Requirit itaque porro quæuis munitio, vt commeatu, tormentis bellicis, præſidijs, robuſto fortique milite, &, quod caput rei eſt, duce exercitatiſſimo ſit inſtructa. Nulla autem munitio, quantumuis ſatis munita, præſidiarios timidos, à quibus defendi debet, pugnaces & animoſos reddit. Vbi vero præſidiarij ſunt robuſti ac animoſi, quemvis locum, quantumuis alioquin etiam expugnatu facilem, defendere, vimque hoſtium propulſare poſſunt. Sæpius experientia docuit, plurimas munitiones, quæ armis inuictæ creditæ fuerunt, facile ac paruo admodum negotio expugnatas eſſe: quod principes nimis munitionum habitu & ſitu confiſi non ſatis proſpexerint de cæteris neceſſarijs. Quid quod pleræque munitiones ijs in locis, vbi natura loci munitiſſimæ & acceſſu difficilimæ ſunt, expugnantur? Videre hoc eſt in monte Aorno, & promontorijs Indiæ, quæ Macedones occuparunt.

Scipio Carthaginem, Franciſcus dux Guiſius inſulam Cales, mari occuparunt. Antiochus Magnus vrbem Sardim, vbi Acheus, celebris ille eques auratus degit, quæ inconcuſſa æſtimabatur,

Digitized by Google

tur, occupauit, cum prius obseruasset, excubias ibi, quam pro re deceat, agi negligentius.

Contra vero sæpius vidimus, plurima loca nec arte nec natura munita contra vim fortiter restitisse: quod principes imbecillitatis illorum locorum conscii forti & animoso milite, eximiisq; ducibus atq; adeo firmiori præsidio muniunt, Exemplo est nostra tempestate Agria in Vngaria, vt & insula & munitio Malta: Loca quidem nec natura nec arte satis munita: verumtamen & ducum & militum virtute acerrime defensata ijsdem immortalem gloriam pepererunt. Hinc interroganti, cur Sparta careret muris, respondens Agesilaus, digito monstratis ciuibus, inquit, En tibi, hi sunt. Idem vero negabat vrbes lignis & lapidibus obfirmandas esse: sed potius virtute incolarum.

Frustraneæ tamen insuper sunt omnes prædictæ rationes, nisi munitio eiusmodi capiatur locis, quæ auxilia à suis facile admittat. Obsidione enim graui & diuturna conquassata munitio hosti tandem in prædam cedit; imo munitiones, quibus nouis subinde subsidijs ac commeatibus subueniri non potest, certissima sunt militum præda. Id quod inter cæteras arx Nicosia in Cypro summo suo cum malo experta est.

Maxime itaque opportunæ sunt munitiones, quæ mari sitæ sunt: quibus subsidia, modo ventus sit secundus, semper ferri possunt.

CAPVT

CAPVT IV.

De colonijs deducendis.

AD coërcendum hoſtes pugnacesq; populos, Romani principio gubernationis, loco munitionum, in proxima quęq; loca colonias, quæ bona parte ex ciuibus Romanis ſiue Latinis conſtabant, deduxerunt: diſtributis inter ipſos deuictorum bonis, quæ iure belli parta erant: quo improuiſa pericula facilius declinarent.

Hic vero dubites, vtrum expediat deducere colonias, an vero munitiones habere? Verum reſponſio vt eſt ſuccincta, ita ſua luce manifeſta. Coloniæ quidem præferendæ erant: ſiquidem coloniæ munitionibus, non vero contra, dominantur, & præſunt.

Romani, qui in Reip. negotijs verſatiſſimi fuerunt, & plus colonijs vſi ſunt, & plus emolumenti inde perceperunt. Sed noſtro ſeculo munitiones colonijs ſunt vſitatiores. Facilius enim parantur, & fortaſſis etiam plus commodi afferunt. Magnam enim ingenij dexteritatem, ſummamq; prudentiam coloniæ, vt deducantur & ordinentur, requirunt. Emolumentum autem, quod inde ſperandum eſt, aliquo temporis interuallo demum ſubſequitur.

Interim tamen negari non poteſt, colonijs plus ſecuritatis, imo perpetuum fere emolumentum ineſſe. Satis huius veritatem arguunt Septa, & Tanagra, quarum ſitum verſus Mauritaniam Portugalenſes maximi faciunt: quę in nouam co-

loni-

Digitized by Google

loniam deductæ fortiter contra Seriffum & Barbaros pugnarunt. Idem teſtatur Cales, quo Angli coloniam ſub Odoardo III. anno ſalutis 1347. deduxerant. Porro vltimus ille tractus fuit, quem terra amiſerunt.

Coloniæ autem in propinquo eſſe debent: niſi enim ſuppetitas ipſis tueris, aut præda hoſtib. factę in eius poteſtatem tranſibunt: aut meliori fortunę ſtatui inſeruient: nihil ſuam originem moratæ. Fecerunt hoc ampliſſimæ Græcorum & Phœnicum colonię, quas ad vniuerſas fere maris mediterranei regiones inhabitandum ablegarant. Romani vero exactiori trutina hæc penſiculati, plures colonias in Italia, quam in reliqua imperij parte, habuerunt: quin imo, anno demũ ſexcẽteſimo ab vrbe condita extra Italiam colonias deducebant: quarum prima fuit in Africa Carthago: in Gallia vero Narbona.

CAPVT V.

De militibus præſidiarijs.

POSTEAQVAM Romanum imperium mirifice in tres mundi plagas extenſum eſſet: non amplius vtile fuit Romanis colonias deducere, tum propter loca maxime diſſita, tum propter ferocitatem finitimorum: quales partim erant, Alemanni, partim Parthi: ſed loco illarum hinc inde ad Rhenum, Danubium, & Euphratem præſidiarios alere, ingensque robur exercitus, cõſultius iudicabant: quorum numerus ſub Auguſto Cæſare vſq; ad quadraginta quatuor legiones (quæ, ſi ratione ineas, efficiunt ducẽta viginti millia peditũ,

inter quos tamen equitatus non refertur) seſe extendebat. Duas præterea triremes vſurpabant, alteram Rauennæ, alteram Miſennæ: quibus integrum mare mediterraneum cogebant. Quæ. n. Rauennæ erat, tanquã in limitibus poſita mature quicquid etiã turbarũ in mari Ionio & altero mari verſus orientem exoriretur ſupprimebat. Quæ vero Miſennæ erat, obſeruabat, ſi qui motꝰ verſus occidentem excitarẽtur, vt eos quamprimũ compeſceret. Sed neq; hoc omnino caruit ſua incommoditate: nam p̃ſidiarij partim ductu ſuorũ prę-ſidum debacchari cœperunt, partim etiam ſuam vicem indignati maximas turbas mouerunt, non ſine maximo imperij Romani periculo. Nonnũquam etiam cohortes quælibet duces ſuos ſalutarunt ſummos imperatores: ex quo non poſſunt non ſequi ciuilia bella. Vix enim fieri poteſt, vt magnus exercitus diu ſeditione vacet: mouent enim aduerſus ſe inuicem, aut aduerſus duces. Adde vero ducum ingenia inquieta & nouationum cupida: oleum camino, quod aiunt, addentes.

Hæc vt præcaueantur, aut educẽdi ſunt in aciem contra hoſtem: aut in diuerſa loca ſegregandi. Diſiunctio enim exercitus, militum animos & eorum ferociam nonnihil infringit: & pariter duces aliosq;, quibus mens inquieta eſt, intra officij ſepta coërcet.

Vnica hæc cauſa procul dubio fuit, quamobrẽ Turcas qui (circiter ſexaginta millia equitũ in Europa & paulo minus in Aſia perpetuo alit) nullam eorum factionem vnquam ſenſit: non enim con-

itized by Google

coniunctim sed sparsim alit. Cum enim nunquã conueniant, nisi quando pugnandi mest fit vt robur viresq; suos ignorent: proindeq; non facile turbas mouent, neq; etiam ab antesignanis, siquidem ad rebellionem inclinare vellent, tam facile sibi persuaderi patiuntur. Quamobrem cum quisq; suo loco suum prædium, quod magnus Turca stipendij loco dedit, colat, adeoque fructus expectet, tranquillitate omnes omnino delectantur.

CAPVT VI.

De finitimarum regionum deuastatione ad arcendos hostes.

FVERVNT, qui difficiliorem hosti accessum facturi finitimas regiones deuastarunt. In hoc autem ducem & quasi exemplar naturam imitati sunt, quæ regna non tantum montibus, mari, alijsq; flaminibus, sed etiam deserto & vasta solitudine nonnũquam distinxit: sic Mauritaniam à Quinca, Numidiam à Nubia, Nubiam ab Ægypto natura distinxit. Imitabantur hoc olim Sueui. Et paucis annis ante Tammas rex Persiæ, vt Magnum Turcam longè à finibus suis abarceret, finitimas regiones ad quatuor aut plurium dierum itinera omnino deuastatas in vastam solitudinem immutauit.

CAPVT VII.

Quomodo hostis præueniendus, & quomodo id commode fiat.

PTIMA ratio à ſede noſtra hoſtem depellendi eiuſq; impetum retundendi in eo poſita eſt, vt præuentum in ſua terra obruas. Qui.n. res ſuas periclitari videt, is ꝓfecto de alienis minus eſt curioſus. Frequẽs hoc erat Romanis in omnibus bellis grauiorib. excepto Gallico & ſecundo Punico, ꝙ tamẽ finire non potuerũt, dũ trãs mare & alpes exercitũ abduxerũt. Annibal cõſulturus Antiocho contra Romanos dicere ſolebat, Nihil eũ memoria laudeq; dignũ cõfecturũ, niſi in Italia eos adoriatur.

Itaq; nõ deſino mirari, cur noſtro ſeculo in dubiũ nonnulli trahãt, an præſtet Turcicorũ armorum ſtrepitus in mœnib. & portis noſtris exaudire, quam in Turciam ipſam copias noſtras abducere. Veteribus hoc nunquam dubium: quandoquidem firmiter ſententia ſtetit, ſatis eſſe ꝓuocare quam ꝓuocari. Si enim legitime, nulla arrogãtiæ temeritate irritatus, prouoces & adoriaris hoſtẽ, moleſtiſſimus profecto eris hoſti, anges & cõfundes, bona imminues, reditus labefactabis, commeatum ſubtrahes, aut vt ipſe ſibi officiat, impelles. Laceſſens ſi vincis, præclara eſt victoria: ſin minus, tolerabile eſt dãnum: potiſſimum cum arma in longe diſſitis locis mota ſunt. Summatim vt perſtringam; Martis euẽtus, qui ancipites ſunt, plerunq; fauent laceſſentibus.

Hannibal & Scipio (rerum bellicarum præclara lumina) probro ſibi duxiſſent: ſi ille cum Romanis extra Italiam; hic vero extra Africam cum Carthaginenſibus cõflixiſſet. Belligeratus eſt hactenus Turca contra Chriſtianos, nunquã autem domi

domi desidens Christianorum copias expectauit, sed vel eorum cogitationes, nedũ opus bellicum anteuertit. Hinc adortus nunc hanc nunc illã prouinciam nunquã tantum temporis ipsis indulsit, vt collectis viribus inferre bellum potuissent. Ex quo factum est, vt multorum, quæ nostra fuerunt, dominia ad se per vim transtulerit.

Potentiorem autem semper decet esse, qui primus vult lacessere, aut minimum parẽ ei, qui cum vult conflictari. Fortior autem & par sit: aut copijs, aut virtute, aut occasione. Cui autem minores sunt vires, quam vt cum hoste congredi audeat, alia tentare necessum habet: in primis vero angustias viarum, aliaq; loca, in quibus aliquid momenti situm est, præcludere ac munire, vt in ijs expugnandis aut tempus extrahat hostis, aut virib. debilitetur; tibi vero interim locus sit milites cogendi, aut exterum populum accersendi: id quod Maltæ factum accepimus. Turcæ enim, cum ibi S. Elmi arcem obsidione premerent, integro mẽse Maio frustra insumto præcipuũ exercitus robur amiserunt: interea locus erat nostris, se cõgregandi, & hostem vicissim aggrediendi. Quod si imbecillior es, quam vt præuenias hostem, aut insigni aliqua clade afficias: expeditissima ratio est, vt fortiorem in auxilium accersitum præficias ijs, quibus tu conficiendis par non eras. Genserícus rex Vandalorum, cum imparibus viribus congressus cum Basilio Patritio, ingenti nauali prælio ab eo victus ac magna clade affectus esset, ideoq; deteriora metueret: re composita cum Ostrogotthis, & Visigotthis ipsis persuasit vt Remp.

Romanam hostiliter inuaderent, sicque se ac sua in tutum recepit. Magnopere vero hic cauēdum, ne ex eiusmodi technis grauius aliquid oboriatur: ne idem eueniat, quod Ludouico Mauro: qui, vt ab Arragonensium impetu tutus esset, Gallis semet spoliandum & subiugandum propinauit.

CAPVT VIII.

Alia via hostium incursiones à nostris finibus arcendi.

ALIVD restat subsidium, quo præueniri hostis & abigi potest: si nimirum mittantur clanculārij, qui in hostis aut finitimorū ditione turbarū & factionū seminaria spargant: aut cum consiliarijs capitaneis & optimatib. qui gratia & auctoritate apud principem valēt, clandestine contrahant, vt suo principi expeditionem aduersus nos dissuadeant, aliorsum inflectant, aut executionis mora conatus eius irritos reddant aut alijs modis dehortando & auisendo auxiliētur: Tela enim prouisa minus feriunt.

Quod si clandestinæ huius technæ successus adeo felix sit, vt seditiones, proditiones, aliosve tumultus hosti minari videatur, tum sane res nostræ in bono sunt constitutæ loco: hostis enim de intestinis cladib. anxius intacta nostra relinquit. Hoc strategemate regina Angliæ contra regem Hispaniæ in Flandria, & contra regem Galliæ, ære & cōsilio alijsq; vsa incendium in suis ædibus, quas alioquin iam dudum corripuisset, feliciter hactenus auertit. At interim verum manet illud *Non est consilium contra Dominum.*

CAPVT

CAPVT IX.

De fœderibus cum vicinis factis.

MVLTVM possunt fœdera & pactiones cum ciuitatib. & principibus, qui proxime hostem habitant, aut potentiæ eius inuident, in mutuum auxilium factæ. Adimunt enim hosti animum eorum alterutrum adoriendi.

Ciuitates Heluetiæ pactis inuicem fœderibus adeo se contra vim muniuerunt, vt ne quidem hactenus extiterit, qui hostiliter vel minimum ipsorum pagum aggrederetur.

Venetis sub Solimanno Turca diuturna pax fuit: solum quod Turca videret, si ipsos adoriretur, se cum eo pariter omnes Christiani orbis principes (quorum res plurimum agitur) in sui exitium attracturum. Sed de fœderibus infra lib. 8. prolixius.

CAPVT X.

De eloquentia.

APROPOSITO suo hostem auocãdi magna vis est eloquentiæ. Laurentius Medices in discrimen se adductum videns, ob bellũ quod Sixtus V. & Ferdinãdus, rex Neapolitanus contra Florentinos mouebant, Neapolim abijt, miraq; eloquentiæ suæ dulcedine regẽ cõmouit, vt fœdere rescisso cũ Florẽtinis reconciliaretur. Galeati⁹ Vicecomes à Philippo de Valois, qui ingẽti exercitu Mediolanũ obruturus erat, obtinuit, vt vrbe relicta exercitũ reduceret.

Alfonsus Arragonẽsis bellũ aduersus Renatũ

Angienſem moliens, nam vterq; eorum regnum Neapolitanum affectabat, à Philippi Maria vicecomitis militibus, qui à parte Renati ſtabant, Caietæ captus Mediolanum abducitur. At vero ibi ſua eloquentia plus confecit, quam vniuerſo ſuo exercitu præſtitiſſet. Docebat enim apud principem, quantum periculum Mediolano immineret à Gallis, ſi regno potirentur, aut in Italia inualeſcerent: Renato ſic perſuaſo, ipſe rex Neapoli conſtituitur.

Multum etiam hoſtili potẽtiæ derogatur, quoties finitimis principibus noſtra pericula ipſos quoq; attinere, & ipſis, ſi hoſtem vincere contingat, communem nobiscum fore calamitatem, exponimus. Fecerunt hoc Romani in bello Macedonico, vbi cũ Ætolis: in Ætolico, vbi cũ Achæis; & Aſiatico, vbi cum multis populis & principibus iſto fœdere res grauiſſimas peregerunt.

CAPVT XI.

Quid faciendum, cum hoſtis in noſtrum agrum irrupit.

QVæ hactenus edidimus, conatus hoſtium, qui nondum in noſtram ditionem fecerũt irruptionẽ, retroagũt & configunt, videamus nũc, vbi irruptio facta. Hoc in caſu adhibenda ſunt remedia, quæ præparauimus ſupra, vbi diſputauimus, anne principi ſubditos ſuos armis aſſuefacere expediat. Summatim vt dicam, nihil omnino prętermittendum eſt, quod aut clam, aut vi inter hoſtes diſſidia pariãt, aliaue ratione noxium eſſe queat.

CAPVT

CAPVT XII.

Quomodo commeatu hostes prohibendi?

OMNIS spes frumentationis hostibus est præcidenda: id quod fit vijs, quibus frumenta aduehuntur, præclusis. Sic à Turcis in Esſechico bello commeatus regi Ferdinando intercluſus fuit. Aut cum frugibus aut ſegeti calamitas infertur, vt Galli imperatore Carolo in prouinciam abeunte factitarunt. Dux Coſmus ſuæ regioni à natura inclementius proſpectũ (ſiquidem vna tantum parte quæ põtificis regnũ tangit, frumentari licet) videns, ſummo ſemper ſtudio papæ amicitiam coluit. Cæteris vero partibus, ne quis ſpe potiundi frumenti irrumperet, conſtituit, vt omnes poſt meſſem ſua frumenta in certa & munitiora loca, quæ ipſe deſtinarat, deponerent: & quanto quovis tempore opus haberent, inde repeterẽt. Ideo vero hoc fecit, vt ſi improuiſo infeſtis copiis obrueretur, hoſtes, quibus nullius frumentationis ſpes eſſe poſſet, citra negotium fame enecaret.

CAPVT XIII.

De propulſatione hoſtis.

AVERTERE hoſtem & anteuertere non ſunt eadem. Anteuertimus enim hoſtes ante, quam illi nos adorti ſunt: auertimus vero, cum iam infeſtant.

Auerſione notatu digniſſima vtebatur Agathocles: quandoquidem grauiſſima obſidione

Syracusis à Carthaginensibus cum premeretur, vsq; adeo vt sola deditio opem latura videretur, abductis secum quibusdam militibus in Africam nauigauit, & magna belli mole hostem ad reuocandum exercitum ex Sicilia in patrię defensionē coegit. Est & illa insignis, qua Bonifacius Corsicæ Comes anno Christi 1329. feliciter vsus est. Cum enim Saracenis Siciliam inuadentibus omnia incendiis & latrociniis infesta essent: ipse classe instructa, repente in Africam nauigans totaque vi in hostem conuersus omnibus prælijs victor euasit. Domestica clade Saracenus motus sua defensatū re in Sicilia infecta, regredi coactus fuit.

CAPVT XIV.

Nonnunquam cum hoste transigendum?

SI tanta hostis potentia sit, vt nulla spes eam labefactandi supersit: boni principis erit omnē impēdentem difficultatem quam minimo sumtu auertere. Hic vero omnia reconciliationum genera, pactiones, conuentiones, quæ pecunia confieri possunt, locum & quidem commodissimum habent. Strategema hoc sæpius profuit Florentinis, qui maximis periculis, quamvis magna auri iactura, aliquoties se exemerunt. Geneuates nouendecim millibus ducatorum non secus ac vi armata exercitum Barnabæ Vicecomitis repressérunt. Sic Pippum regis Sigismuudi ducem Venetiani auro retroegerunt. Qui postea auro, quod liquefactum collo rex infundi iubebat, periit. Hæc ratio pro

Vene-

Venetianis ſæpe contra Turcas militauit: dum ampliſſimis muneribus affecerunt cum ipſos bellorum duces, tum etiam eos, quos apud hoſtem magnæ auctoritatis eſſe norant: imo interdum etiam ipſum Turcicum imperatorem. Bellum enim, vt inquit Ludouicus Viues in Epiſtola ad Henricum octauum Angliæ regem, non eſt facile ſuſcipiendum, nec certa pax ſpreta victoria permutanda: de re nulla magis aut crebrius quam de bello deliberandum eſt, in quo non licet bis peccare, & ad q̃ princeps deſcẽdere vix debet, etiam inuitabili neceſſitate preſſus, omnib. primo remediis tentatis, & fruſtra conſumtis, nullum eſt tam felix bellum, quo non potior ſit iniqua pax, ſiue curas, ſiue ſumtus, ſiue diſcrimina conſideres & contempleris. Itaque de iure ſuo citius decedat princeps, quam de ſumma periclitetur, & tantam fortunæ plagam leui lateris inflexione declinet. Varij ſunt belli caſus, & exiguo momento maximas res voluit. Vnde Mauortem veteres nominauerunt bellũ, in cuius manu eſt ſuſcipere, nõ deponere. Initia belli penes principes ſunt, exitus penes fortunam, ſeu verius Deum, cuius voluntatem erga nos non ſine cauſa ignoramus: videlicet neſcij quam apud eum gratioſi ſimus. Itaque non ſecus quã pecunia noſtro arbitrio aleæ expoſita, ilico alieni fit iuris, incertũ cui ceſſura ſit: ita princeps & tota ditio in ſortẽ euentus cõijcitur, moto bello. Quã multos pœnituit belli vel ꝓſpere cœpti? Nec vlla Resp. inſtabilior eſt, quã q̃ ſæpe mouet arma. Quoties in extremũ diſcrimen Athenæ venerũt, à Perſis exuſtæ, à Lacedæmoniis oppreſſæ

ac

ac ſpoliatæ mœnibus, à Philippo fractæ, ab altero Philippo afflictæ, à Mithridate occiſæ, à Sylla propemodum deletæ. Bellatrix illa Roma à Tatio capta eſt, à Porſena obſeſſa, à Gallis incenſa, à Pyrrho territa, ab Annibale concuſſa, ſuis denique armis dilacerata. Dicet aliquis: Armis & bello creſcunt regna: ſed & eisdem quoque pereunt. Minus forſan eſt in pace ſplendoris & glorię, falſæ illius quidem, ſed plus quietis, minus controuerſiæ ac periculi, & proinde firmitatis plurimum. Non laboro, inquit Theopompus rex ſapientiſſimus, quam amplum filiis regnum tradam, ſed quam manſurum ac ſtabile. Nihil ab alijs repetis, ſed nec abs te alij, in quorum vtroque eſt periculum, ſiue cum fortiore congrediaris, ſiue cum debiliore, quippe nihil eſt tam infirmum, cui ſuæ ad nocendum vires deſint: deſtitutaq; facultate omni iuuandi ac benefaciendi, multum adhuc ad lædendum ſupereſt, tanto videlicet promtius eſt malefacere, ſeu robore ſui, ſeu imbecillitate noſtra. Quocirca, vt inquit Thucydides (libr. 1. in concione Corinth. 3.) virorum prudentium eſt, ſi non laceſſantur iniuria, quieſcere: bonorum autem, ſi iniuria afficiantur, pacem bello mutare: ac ſi bene ceſſerit, iterum pro bello pacem inire, & neque belli ſucceſſu efferri, neque pacis tranquillitate captos iniuriam pati eos decet. Nam tum ille, qui voluptatis cauſa cunctatur, ilico priuari poteſt oblectatione trãquillitatis, cuius gratia ſegnis eſt, ſi quieuerit: tum qui in bello proſperitate abundat, non cogitat ſe incerta temeritate efferri. Multa enim male cõſultata, eo quod

hoſtes

hostes inconsultiores fuerint, feliciter euenerunt: & plura, quæ recte instituta videbantur, turpiter in contrarium euentū relapsa sunt. Nullus enim eadem factis præstat, quæ inter deliberandum sibi promittit. Nam consultamus securi, in opere autem cum timore deficimus. Non inficior sane, vt inquit Franciscus Petrarcha, quosdam militia ad amplissimas opes, siue etiam ad summum imperium peruenisse. Crede autem mihi, plures ad inopiam, ad carcerem, ad seruitutem, ad violentiam, subitamque mortem, eodem tramite peruenerūt. At inquis: Belli dux victoriis clarus sum? R. Quanto melius pacis dux virtutibus clarus esses. G. Multa bella confeci. R. Quietem tibi atq; alijs abstulisti clarum opus. G. Victorijs atque triumphis notus sum. R. Sæpe malum bono notius & atra tempestas serenitate famosior. Deniq; parasti busto titulos, vulgo fabulam, tibi nihil. Idem Dialogo 97. de exercitu armato. G. Exercitum armatum habeo. R. Mirabar, nisi regnum atque imperium exercitus, hoc est, miseria miseriam sequeretur. Atque Seneca Scipionem Africanum cœlotenus attollit: non quia magnos duxit exercitus, quos & furiosi nocentesque duxerunt, sed ob egregiam moderationem, quam nunquā certe dat exercitus, sæpe eripit, sæpe minuit. Quæ enim tam solida virtus est, quam tot sceleratorum, totque carnificum cruentorum conuersatio exemplumque non deterreat? G. Fortissimum habeo exercitum. R. Habes belli materiam, pacis excidium. Si huic gaudes, ad cælestem certe non pertines ciuitatem, G. Habeo exercitū ingentem.

R. Ha-

R. Habes vtrumque ad latus, hoſtes armatos, quos nec murus à te ſeparat nec vallum: anceps profecto negotium ac graue. G. Mihi multæ ſunt & validæ legiones. R. Harum tædia nemo facile atque moleſtias, inſolentiasque dinumeret: ſed tu omnia experiundo condiſces, & quanto ſit ſatius, ſolum viuere, quam cum multis legionibus. Profecto nullæ iniuriæ, nulla perfidia, nulla credulitas, caſtrenſium moribus conferendæ vel cõparandæ ſunt: intelliges per teipſum, quam ſit verus verſiculus ille, pueris quoque paſſim notiſſimus:

Nulla fides pietasq; viris, qui caſtra ſequuntur.

G. Magni dominus ac rector exercitus ſum. R. Tutius paſtor tygridum forſitan ac vrſorũ eſſes. Poſſunt manſuefieri corda ferarum, at quorundam hominum non poſſunt, & minantur antequam ferian: fere odia hominũ improuiſo erumpunt. Hi quos tuos reris, qui te dominum vocant, heu quam paruo precio venale gerus & infrabile, quam leuibus ex cauſis mutabuntur, & ex mili.ibus hoſtes fiunt. Blandi vultus in horrorem, datæque tibi dextræ tuam forſitan in perniciem conuertentur, neq; ſi fiat, nouũ erit aut inſolitũ. Ad Placentiam aduerſus Iulium Cęſarem exercitus ſuus inſurrexit. Alexander Romanus à ſuis militibus interfectus eſt, poſtmodum Maximi pater & filius. ſic Galbinus & Maximus: ſic Probus dux clariſſimus: ſic Gratianus & Valentinianus iunior, optimi fratres: ille à ſuis legionibus, hic à ſuo comite proditus. Sic innumerabiles à ſuis hoſtibus inuicti, ſuis exercitibus periere, & quos mi-

lites

lites appellabant, inuenere carnifices. Vide ergo, quo gaudeas: tuus hic exercitus, trux, immitis, vtq; ait ille, bellua multorum est capitū, nihil non ausura, ira illam vel inopia vel auaritia irritante. G. Mihi exercitus ingens est. R. Pompeio quidem Thessalico plio, aut ait Florus, nihil magis exitio fuit, quam ipsa exercitus magnitudo: & ferme in omnib. bellis maior semper exercitus succubuit, minor vicit. Idē Dialogo 99. de machinis bellicis: G. Balistis affluo. R. Melius belli odio & studio pacis affluueres: cum cætera quidē arma inquieti & degeneris animi signa sunt: nec pacificis quidem grata, & bellatorib. inuisa magnanimis. Deniq; sic habeto, qui balistam primus inuenit, ille aut pauidus fuit aut proditor, & nocendi auidus & metuens hostes. Itaq; cogitauit, quod Lucanus ait, longe tēdere neruos, & quo ferre velint, committere vulnera ventis. Idque de omni genere missilium puta. Fortis bellator congressum hostis exoptat, quem sagittarius vitat. Idem Dialogo 100. G. Thesaurum in bella reposui. R. Rem malam in vsus pessimos. Quanto tibi & aliis erat vtilius, hunc & amicorum & patriæ vsibus aceruasse, maximeq; necessitati indigentium, ille demum thesaurus verus esset: Et thesauri precium cœlestis, nunc precium est inferni: deinde thesaurus animi vires extenuat, bellum viros: vtrumq; pestiferum. Postremo solet iste thesaurus possessori suo perdendi metum adferre, hostibus lucri spem, & bellandi simul audaciam. Quis non alacer ad id bellum eat, qui quærere multum possit, amittere nihil? Pugnasse quidem feruide inopem ac vicisse, eun-

eundemque mox diuitem refrixiſſe, apud Flaccum legis. Virtutum nutrix optima eſt pauperras, opulentia vitiorum: ergo theſaurus recondi-tori parit curas, & inuidiam hoſtibus, ſtimulos furibus. Recte itaque veteres poëtæ, qui rerum vim ac naturam ſagaciſſime perſpexerunt & aptiſſimis figmentis adaptarunt, adumbraruntq;, tradidere, bellum ab inferis immitti, idq; furiarum miniſterio, nec quamlibet furiam ad hoc negotij conficiendum eſſe idoneam. Deligitur omnium peſtilentiſſima, cui nomina mille, mille nocendi artes. Hęc innumeris armata colubris, tartarea bucina præcinit. Pan inſano tumultu complet vniuerſa. Bellona furioſum quatit flagellum. Furor impius ruptis omnium vinculorum nodis euolat horridus, ore cruento. Quo congruit, quod Eraſmus in Chiliadibus, Bellum, inquit, nihil aliud eſt, quam multorum commune homicidium & latrocinium: hoc ſceleratius, quo latius patet. Sed ridẽtur hæc, inquit ibidem, ceu deliramẽta ſcholaſticorum à craſſis proceribus noſtri temporis, qui cum præter figuram nihil habeant hominis, tamen ipſi ſibi plane dij videntur, & tamen ab ijs initijs huc videmus eſſe peruentum inſaniæ, vt tota vita nihil aliud agatur. Belligeramur aſſidue, gens cum gente colliditur, regnum cum regno, ciuitas cum ciuitate, princeps cum principe, populus cum populo, &, quod Ethnici quoq; fatentur impium, affinis cum affine, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre: denique, quod ego ſane puto ab his omnibus atrocius, Chriſtianus cum Chriſtiano. Et ô cæcitatem men-

mentis humanæ, hęc nemo miratur, nemo deteſtatur: ſunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem plusquam tartaream ſanctam appellent, ac principes vltro inſtigent, oleum (quod aiunt) camino addentes. Iocus & ludus ſunt, inquit Ludouicus Viues, in militia domus diripere, fana ſpoliare, virgines rapere, ſolidas vrbes atque oppida incendere. Hæc ſunt belli decora: profuiſſe nemini, nocuiſſe quamplurimis, nullo reſpectu aut recordatione præſidentis mundo Dei, ita gerunt in pollutis corporibus cæcos animos, vt Dei iuſtitiam non videant, & admonere indigne ferant. Qui dicunt Deo, recedere à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus, at qua inſolentia & ore quam importuno diuinas leges negligunt, humanas aſpernantur? Vt hoc demum videatur eſſe, vere ac germane militari: nihil arbitrari æqui ac boni, propter ſe eſſe ſancitum, nullo ſe iuri eſſe ſubditum, ſe in vagina leges omnes cum ferro geſtare, quicquid conſcelerato animo collibuerit, id ſolum eſſe ius atque æquum. Principes etſi alia omnia in bellum inuitarent, illud vnicum debet retrahere, ne ipſa res eſſet eum militibus, hominum genere iniquiſſimo. Neque vero tales ſunt ſolum in alienum principem, ſed etiam in ſuum: cuius dignitatem, opes, præſidia in ſe ſolis collocata eſſe putant, & poſſe quocunq; velint, transferre. Quæ porro in pace, ne cogitant quidem, quum populus adeſt, proceres quieſcunt, propinquæ nationes & reges pacati ſunt, ipſi milites ad togam & paganum cultum redacti, neceſſariis ad vitam operibus deſtinantur, magisq; illis ad me-

liorem vitam vacat. Quod si pestis hæc celsitudinem quoque principatus pertingit & infestat, reputare conuenit, multo acerbius humiliora premi ac diuexari. Quippe populus non tantum premitur ab ijs, qui militiæ sacramento sunt rogati, sed ab ijs etiam omnibus, qui se illis adiungũt, vel adiunctos sumũt, vt per militarem licentiam impune possint malefacere, intentis iis, penes quos summa est potestas, in cogitationem bellorum, nec in eos audent animaduertere, qui se quoquo modo milites profitentur, ne seditionem incommodissimo tempore moueant. Postremo multitudo grauata indictionibus & tributis, exclusis per bellum terra & mari commercijs, in summa egestate ac miseria vitam trahit, tam exhausta & perdita, vt quiete ac pace deinceps reddita, vires tamen longo etiam tempore recipere non valeat. Quo spectat, quod Antisthenes cuidam, pauperes in bello interire dicenti: Imo plures tunc fiunt, respondit.

Ac præterquam quod bonorum bona continuis bellis attenuantur & exhauriuntur, etiam permulti ad rapinas atq; latrocinia rebus desperatis sese conuertunt: præsertim ingenti licentia atque impunitate scelerum, quam belli tempore necesse est contingere, cum quisque ita sanctissimus ac honestissimus habetur, vt animus est ei promtissimus facinoribus ac flagitijs pattandis, tanquam in eiusmodi dextris posita sit regni salus, quæ maxime malam perniciem regni adferunt. Ergo boni præsentem rerum statum oderunt; mali sceleribus adsuescunt, ac perinde im-

pu-

punitatem diligunt; iura illis, leges, iudices inuisa sunt; & his ipsi infesti.

Quinetiam passim poëtæ, tam Græci quam Latini, bella execrati, pacem omnibus commendarunt. Sic enim Philemon poeta græcus in Pyrrho. Inquirunt, (inquit,) vt audio, philosophi, & multum in hoc absumũt temporis, Quidnam sit bonum: necdum vllus inuenit quid sit: Alius virtutem, alius prudentiam inquit, & hæc etiam intricant magis quam quid bonum sit. At rusticus ego terramque fodiens, nunc bona quæ sint pacis inueni. O Iupiter carissime, amabilis illius & benignissimæ Diuæ nuptias, festa, cognatos, liberos, amicos, diuitias, sanitatem, amorem, vinum, voluptatem Pax confert: Quod si omnia hæc defecerint, perijt omnis comiter viuentium vita. (Hęc sententia sicut & sequentes è Græco simpliciter ita reddũtur.) Et Euripides ὦ τῶν ἀθλίων. O stulte, stulte, hæc omnia paci insunt; Vt ruri aliquis in prædio habitet, immunis à forensibus negotijs, proprium possidens iugum boum, balantes & audiat oues, capræque vocem ad mulctram emulgendæ: Obsonijs autem vtatur, conchis & turdis, neque expectet in foro venales pisciculos triduanos magni pretij, contrectatos piscium venditoris iniquissima manu. Sane, vt Euripides, tragicus poeta inquit, cum de bello suscipiendo suffragia fert populus, tum nullus mortem imminere sibi cogitat, sed istud infortunium in alium conijcit: Quod si mors ob oculos esset, dum feruntur suffragia, nunquam insano belli amore capta periret gratia.

Cum itaque, ſi omnia circumſpiciamus, vt Cicero inquit pro lege Agratia, quæ populo grata ſunt atque iucunda, nihil tam populare quam pacem, quam cõcordiam, quam otium reperiamus, nihilque ſit, vt inquit Caſſiodorus, quod principem melius prædicet quam quietus populus, cõcors ſenatus & tota Respublica morum honeſtate prædita; quid eſt amplius, cur ſe temere bellis implicet, ac non potius pacem omnibus modis inſectetur, bellum vero vt minime bellum atque amabile declinet atque abominetur.

CAPVT XV.

An principi conueniat, alterius principis clientelæ ſe ſubmittere?

INSTANTE periculo, quod non tantum præſentem libertatis amiſſionem, ſed totius ditionis euerſionẽ minetur, non vitio ſibi princeps ducet, ſeſe alterius principis tutelæ fideiq; ſubmittere, qui nimirum ab hoſtium incurſionibus vindicare queat. Sic Romanis ſeſe ſubmiſerunt Capuani, vt à Samnitibus, à quibus inſignibus ſæpiſſime cladibus affecti fuerant, tuti eſſent. Sic Geneuates nunc Gallis, nunc duci Mediolanenſi ſeſe ſubmittebant, vbiq; pro imminentis periculi grauitate. Piſani nũc tutelæ, nũc imperio Venetorum ſe ſubiecerunt, ſed parũ prudenter. Etenim Veneti cõtra Florentinos, qui ipſorum hoſtes erant, difficulter eos poterant tutari, ob difficilimũ & periculoſiſſimum transitũ, nimiamq; loci diſtantiam, quodq; plures tum feciſſent

ciſſent ſumtus, quam à Piſanis expectarent ſibi reſtitui. Inconſultum enim eſt principi, eos in clientelam ſuam recipere, à quibus plus detrimenti quam emolumenti in ipſum redundat.

CAPVT XVI.

Vicinis diſſidentibus princeps ſibi caueat.

VICINIS inter ſe hoſtiliter digladiantibus, princeps non tantum non ſibi gratuletur, ſed potiſſimũ ſibi vſquequaq; tum propiciat; fieri enim haud raro ſolet, vt hoſtes reconciliati omnem belli molem in neutrales, hoc eſt, in eos qui neutri ſeſe parti voluerunt adiungere, ſæpius conuertant, quinetiam impetiti ab extero hoſte, ſæpenumero arma, quæ in ſe inuicem verterunt, coniungunt atq; in hoſtem vibrant. Quod probe intellexit quõdam Cotio dux Dacarum. Cum enim Dacæ finitimæq; illis gẽtes intelligerent, Romanos inter ſe arma vertiſſe, miroq; ob id raperentur ardore belli in eos mouẽdi, Cotioq; illorum dux alia nequiret tantũ impetũ ratione compeſcere, in principum ipſorum conuẽtu ac frequẽtia, ferociſſimos duos canes emitti è catenis iuſſit, qui ſtatim in ſe cõuerſi atrociſſime inuicem ſæuiebãt. Cumq; illorum maxime atrox ac ſæuiens certamen eſſet, ex occulto lupum immitti iuſſit; quo viſo canes quaſi pacatis animis ac concordi fœdere, in lupum è veſtigio illati ſunt, pugna inter ſe diremta. Prudentiſſime igitur dux Cotio, quod nec ratione nec oratione perſuadere poterat, belluarum exemplo perſuaſit.

Compoſita inter Carolum II. regem Neapolitanum, & Fridericum Aragonem, pace, milites qui vtrinque ſtipendia meruerant, Catalani atq; Itali, reconciliatis regibus & ipſi conciliati, inſtructa claſſe ampliſſima numero circiter viginti triremium, ex Sicilia atque Apulia, Rugiero templario ſibi præfecto, ſoluentes, atque hinc inde impetu facto, totam maritimam, quæ Macedoniam & Græciam attingit, depopulabantur. Inde vires eundo acquirentes, innumera ad ipſos vagantium militum confluente multitudine, maris Ægæi inſulas diripuerunt, quinetiã vrbes in arido aggreſſi maxima clade affectas depopulati, ex aliorum interitu prædijs ingentibus potiti ſunt.

Sic inita pax inter Philippum Mariam & Venetianos eccleſijs atq; adeo earum nutritoribus fraudi atq; incommodo fuit. Vtrinq; enim duces ac milites compoſita pace in eccleſiaſtica demũ bona inuolarunt. Sic Maximiliani & Venetiani arma inuicem poſuerant. At Hiſpani ipſorumque complices, qui tum militauerant, duce Franciſco Maria Vrbinum adorti, in tãtas anguſtias papam Leonem adduxerunt, vt cum ſe ſaluum nec graviora perpeti vellet, maximum lytrum pendere cogeretur.

Verum enimvero tametſi hæc ita vſu venire videamus, idq; exemplis iam adductis ſatis cõprobatum ſit, tamen haud raro etiam diſſenſiones ac digladiationes Chriſtianorum principum in maximum ipſorum vtrinque vergunt diſcrimen. Etſi enim verum id ſit, quando Chriſtiani cum Chriſtianis digladiantes à tertio demum Chriſtiano prin-

principe bello infestantur, tamen constat, id nequaquam aut sane rarissime euenire, vbi Turca infensissimus Christiani nominis hostis Christianos inuicem dissidentes bello aggreditur, tum enim tam obfirmatis animis inuicem repugnant, vt citius in tyrannidem Turci quam mutuas pacis compositiones concedere sæpius malint.

Non ignorat id Turcorũ tyrannus, quapropter etiã tanto confidentius in Christianos arma mouet, & si qui sparguntur de Christianorum concordia rumores, tãquã inanes ac futiles explodit. Id quod ex sequenti narratione satis liquet. Cum aliquando & quidem haud ita pridem, Turcico tyrãno quidam ex suis bellum aduersus Christianos dissuadere conaretur, quippe formidandum esse diceret, ne Christiani bello irritati tandem in vnum conuenirent, bellumq; aduersus eum cõmuni consilio & ope gererent. Tyrannus ridens recitasse fertur fabulam illam vulgo notã de canibus bellum aduersus lupos intentãtibus. Cum, inquit, lupi aliquando magnã canum multitudinem aduẽtare aduersus se intellexissent, ingensq; propterea terror eos occupasset: vnus ex ijs, qui inter eos senior erat, in propinquũ montem profectus, cacumen eius, vt canũ specularetur aduentũ, conscendit. Verũ cum eos multos quidẽ, sed diuersorum colorũ esse cõspexisset, lætus gestiensq; ad suos reuersus: Bono, inquit, este animo. Tanta enim est in hostibus nostris colorum, morum, studiorumq; diuersitas, vt consentire vna ac conspirare in aliquẽ oẽs simul nõ possint: singulos vero, si venerint, absorbere sine difficultate poterimꝰ.

Cui conuenit, quod Imbraimus interpres Turcici Imp. Francofurti in electione Maximiliani II. Cæsaris, cuidam vires & potentiam Germanorũ deprædicanti, respondisse fertur, Videri sibi, Germanorum animos similes esse belluæ multorum capitum & plurium caudarum, quæ agitata sepem transire conaretur. Vnde cum capita diuersa, diuersa foramina transeundi quærerent, necessariũ fore, vt simul & corpus & caudæ immotæ manerent, & ne progrederentur vlterius, impedirentur: imperatorem vero suum se cõparare belluæ vnicipiti, quę plures caudas haberet, ita vt si caput per vnicum transitum penetraret, necessario & corpus & caudæ vna absque omni impedimento cogerentur sequi. Qua sane similitudine haud insulsa, nihil aliud innuere voluit, quam dissensionem animorum & distractionem viriũ Christianorum, econtra concordiam & potentiam vnitam Turcarum. Idipsum Tacitus de Britannis queritur, quorum dissensio victoriam Romanis contra ipsos peperit. Olim, inquit, regibus parebant; nunc per principes factionis studiis trahuntur: nec aliud aduersus validissimas gẽtes pro nobis vtilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusq; ciuitatibus ad propulsandum commune periculum conuentus: ita dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur. Cum quibus plane cõgruit, quod de Grẽcis pronunciat Iustinus historicus: Græciæ ciuitates, dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt.

IOAN-

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I.

De principis potentia.

EGIMVS huc vſq; de ijs, quæ tranquillitatem ſubditorum & procreant & tuẽtur: diſpiciamus quoque de nonnullis, quæ ad imperij dilatationem faciunt.

Innituntur autem ea, principis facultate & potentia, quas alias inſtrumenta prudentiæ & fortitudinis voco. Sigillatim vero ſi exponere velim, quid vocula *Potetia* intelligendum veniat, quidve complectatur, immenſum opus & inſtituto maius efficerem: placuit itaq; paucis de præcipuis capitibus aliquid adferre. Sunt autem fere hæc: miles fortis, pugnax, & copioſus, pecunia, commeatus, bellici apparatus, arma, quibus bellum & inferimus & auertimus. Ne vero longius abeã, paucis dicam, quæ & qualia arma ſint congerenda & conquirenda. Prudenti itaq; & ſapiẽti principi tanquam librum, in quo omnis generis arma cõſignata extant, armamentarium Venetianum, ſua lingua Arcenale vocant, in quo tanquam in ſynopſi omnia armamenta contemplari poteſt, propono.

In hoc ampliſſimo Venetorum armamentario, quod ſeſquimilliare Italicum & vltra ambitu ſuo complectitur, vndique altiſſimis muris ſeptũ, tantam licet videre armaturã, tot machinas, tot inſtrumenta, quæ bellicis negotijs & vtilia & neceſſaria ſunt, terra marique: vt vel oculatus teſtis ſæpiſſime de apparatus veritate dubitet. Capaciſſima ibi intueri licet naualia & fornices, quæ aliquot centum triremibus, alijsque nauibus maioribus & minoribus tutam ſtationem præbent. His quotidie nouæ naues addũtur, quæ tanta celeritate & dexteritate conficiũtur, vt plerunq; ſingulis diebus noua triremis in mare ducatur.

Sunt præterea ibi diſtincta eaq; ampla admodum repoſitoria, quorum hæc tormentis, illa gladijs, hæc haſtis, illa ſclopis, hæc galeis, illa clypeis alijsve omnis generis armamẽtis referta ſunt. Omnia autem ita ſunt diſpoſita, vt intuentiũ oculos atq; mentes mire afficiant, timidiuſculos quidem ad horrorẽ & conſternationem, fortes vero & excelſos ad animoſitatẽ & confidentiam. Inſuper ſunt etiam ibi omnis generis officinæ capaciſſimę: quædam ferro, quædam cupro, quædã cannabi, quædam lignis, quędam alijs ſunt deſtinata. In quibuſdam ferrum ducitur ad cudendas glandes, clauos, anchoras, &c. In quibuſdam liquatur cuprum, tormenta funduntur. In quibuſdam varie decorticata cannabis materiã præbet plegmatis, funibus, rudentibus, velis alijsque. In quibusdam videre licet infinitam ſtruem lignorum, ex quibus remi, mali, tabulæ, nauiumque armamenta conficiuntur. Simul & ſemel vt dicam, qui-

quiuis princeps, qui probe ab armis instructus esse cupit, ob oculos sibi proponat armamentarium Venetiarũ, quod omnis generis arma principi necessaria, repræsentat. Vnde Marchio Alfonsus Aualus viso instructissimo hoc Venetianorũ armamentarij apparatu, omnibusque probe cognitis, recte dixit, malle se vnum eiusmodi habere armamentarium, quam quatuor vrbes Lombardiæ.

De commeatu, itemque equis iam sileo, sufficiant quæ tanquam in transitu, cum de agricultura ageremus, præmisimus. Duo hic principatui restant, quæ artem & industriam requirunt, subditi & pecunia. Quanquam vero, qui subditis abundat, pecunia non careat, paucis tamen his immorabimur. vt expeditius in cæteris queamus progredi.

CAPVT II.

An cum principis dignitate conueniat, colligere thesauros.

PLANE contra principis officium agit, quisquis data opera, nulla euidenti vrgente necessitate thesauris corradendis inhiat. Siquidem hoc ipso dilectionis & beneficentiæ exercitium plane animo suo delet: radicemque & fundamentũ dilectionis, quæ subditorũ animis erga principes inesse debet, & beneficijs, potissimũ q̃ à principib. acceperũt, initiũ, violẽta manu subuertit. Ideo, q̃ princeps fisco explẽdo incũbit, nõ potest quin subditos nouis exactionib. oneret. & insueta onera imponat. Quibus ferundis cum subditi nõ sunt, aut immutatio-

tationem ſuæ Reip. optant, aut cum ferre decreuerunt, facile ſeditiones cient.

Accedit huc, quod nimius amor habendi pecuniæq; conquirendæ ſtudium, nimis confidentes reddit, modosque, quibus Reſp. & incolumis ſtare & rite propagari poteſt, omnino proterit & conculcat. Vnde auari principes non raro ſuo imperio plane excidunt opesq; longo tempore congeſtas hoſtibus relinquunt. Vſuuenit hoc Sardanapalo, qui quadragies millies ſuis interfectoribus reliquit. Darius quoq;, quem Alexander Magnus victum regno extuderat, octogies millies reliquit. Sic Perſei opes aurumq; Romanis, à quibus regno exuebatur, in prædam ceſſerunt.

Qua vero ratione princeps auarus, qui toto animi impetu in congerendo theſauro deſudat, animi cogitationes præclaras & honeſtas virtutique conſentaneas voluat? Satis hoc ſuo exemplo probat imperator Tiberius, ſatis probat Alfonſus II. Rex Neapolitanus, qui porcos ſuos ſubditis ſaginandos dedit, demortuorum vero pretium ab ijs poſtulauit. Porro omnia olea in Apulia & ſegetes coemtas, poſtea quanto pretio potuit vendidit, addito edicto, ne quis aliquid venderet, donec rex omnia ſua diſtraxiſſet. Omnium vero maxime execrandũ eſt, quod publica quandoque officia ac dignitates proſtant, vt nemo ad eas niſi data pecunia promoueri queat, id quod in ſummam principum ignominiam, ſubditorũ vero maximam vergit perniciem. Et vt ſummatim dicam? Auaritia ad quæuis vitia illectat principes: & violenta quaſi manu virtutis organa, honorisq; acceſſiones abripit.

Quid

Quid vero laudem? Plerique theſauri, quos principes illegitime corraſerunt, tranſeunt in hæredes prodigos inutiliterq; perdentes. eſt enim ſatis vulgatum, quod de male quæſitis non gaudet tertius hæres. Rex Dauides magno quidē ſtudio, at legitimo, auri argentiq; theſaurum deponebat, adeo vt nulli regi tantus antehac fuerit: quandoquidem plusquam centies & vigeſies auri millies collegerat. At regni ſucceſſor Solomon congeſtum theſaurum (præter ſumptus templi) liberaliſſime impendit ædificijs ſplendidiſſimis, vrbanis & ruſticis, æſtiualibus & hyemalibus, viridarijs, piſcinis, equis, curribus, cantoribus & cantricibus, luxui & voluptatibus, adeo vt theſauro paterno deficiente, ſubditorum plurimi, ob exactionum magnitudinem à filio deſciſcerent.

Ecquis verò vſus æris illegitime cōgeſti? quod inde emolumentum? quæ ſpes? Imperator Tiberius grauiſſima tributorum & onerum impoſitione theſaurū ſexagies ſepties millies & vltra corraſit: q̄ omnia ſucceſſor Caligula intra vertētis anni curriculū peſſime dilapidauit. Id vero inde accidit. Princeps nouitius p̄cipue iuuenis tāti theſauri poſſeſſione varijs inuoluitur meditationib. quæ vt infinitæ ſic inquietæ ſunt. Qui itaq; in theſauris nimium confidit, plerunque ſe immiſcet negotijs, quæ ſupra vires ſunt: pacem odit: vicinorū amicitiam floccipendit: mouet bella, quæ neq; vtilia neque neceſſaria, imo ſibi & ſubditis plurimum nocent. Hinc eſt quod Dion noluit regem habere argenti & auri immenſa pondera.

Cæterum cum ſuperius aliquanto prolixius de

aur-

auaritia egerimus, erimus hic breuiores. Inter cæteros vero Vespasianus imperator facile primas tenet. Legatis illi aliquando renunciantibus decretam illi publice non mediocris summæ statuam, iussit vt eam continuo ponerent: & vacuam ostendens manum: Ecce, inquit, parata basis: significans, vt eam pecuniam, quam in statuam decreuissent impendere mortuo, viuo darent in manum. Idem quoniam rapacissimum quemque promouere solebat, vt mox ditatos condemnaret, vulgo dictus est, officiarios suos habere pro spongijs, quod veluti spongias & siccos madefaceret & humidos exprimeret. Quocirca cõgrue admodum rusticus quidam, cum gratuitam libertatem suppliciter ab ipso petens repulsam pateretur, confidenter in hæc prorupit verba: Vulpes pilos mutat, mores non mutat: exprobrans illi naturæ rapacitatem, quasi mercede data concessurus fuisset, quod gratuito negabat. Indignum sane quod de tanto principe vere dicatur. Nullum enim, vt inquit Cic. lib. 2. Offic. est vitium tetrius quam auaritia, præsertim in principibus & Remp. gubernantibus. Habere enim quæstui Remp. non modo turpe sed sceleratum etiam & nefarium est. Itaq; quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia nisi auaritia esse perituram; id videtur non solum Lacedæmonijs, sed etiam omnibus opulentis populis prædixisse. Cum enim cupiditates sint insanabiles, atque, vt inquit Aristoteles lib. 1. polit. desiderium diuitiarum in infinitũ vadat (quemadmodum enim, vt inquit Seneca de benef. carnis missa à domino

frusta

fruſta panis, aut carnes aperto ore captans, quicquid excipit, protinus integrum demittit & properat ad ſpem futuri. Idem, inquit, euenit nobis. Quicquid fortuna expetentibus proijcit, id ſine vlla voluptate demittimus, & ſtatim ad rapinam alterius erecti & attẽti ſtam⁹) ſit vt haud raro hinc odia, diſſidia, diſcordię, ſeditiones ac bella naſcãtur. Ac ſane ſi ad alia cõferatur vitia paſſim gliſcẽtia, facile cõperiemus, auaritia nullum eſſe deteſtabilius. Inuidia quidẽ, vt ait Petrarcha, li. 6. Epiſt. famil. mæſta ſæpe, attamẽ otioſa eſt. Auaritia vero & triſtis eſt & occupata. Superbia dum ſe aliquid magnũ putat, falſa licet opinione delectatur. Auaritia vero ſemper ſe famelicã & egenam ſentit, neq; fallitur. Veriſſimũ. n. eſt poẽticum illud: Semper auarus eget. Nam ſi auarus eſt, cupit: q̃ ipſum vitij nomen indicat. Sane, quod ait Seneca, non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Et hoc inde concluditur, q̃ non paucitas rerum inopem facit, cum paucis natura cõtenta ſit, cui qui rite ſatisfecerit, diues eſt, & nihil ei deeſt; ſed cupiditas expleta, quæ indicat ſibi tantum deeſſẽ quantum cupit, cupit autẽ omnia, & optanda ſuperuacua fecit neceſſaria. Quo ſpectat, quod Seneca, Neminem, inquit, pecunia diuitẽ facit; imo contra, nulli non maiorẽ ſui cupiditatẽ incuſſit. Et ſequitur: Quæris, quæ ſit huius rei cauſa? plus incipit habere poſſe qui plus habet. Venio autem ad reliquas peſtes, & eius quidem, quam accidiam noſtri vocant, eadem ratio eſt quæ inuidiæ fuit. Gula autem ac libido ſæpe ſuis fruuntur delitijs, quibus exultant, & gaudia fugitura per-

percipiũt. Auaritia nulla re fruitur, niſi curis auariſſimis: dum enim quærendis inhiat, & illa non habet, & quæſita non videt niſi ad ſupplicium, hinc trepida, inde ſollicita. Quæ cum ita ſint, inde auaritia ſororum omnium peſtilentiſſima dici poteſt, quam traducem omnium malorum vocat Apoſtolus. Et Epiſt. 99. Quid eſt, inquit, auaritia quod delectet? Nempe nil aliud quam quærendi labor, quam ſeruandi pauor, nil inquam aliud, quam timere ruinas, incendia, rapinas, domeſticos & externos fures, ad extremum, mures & tineas. Nolite ergo, vt idem inquit Epiſt. 117. cupiditati aurem dare, nunquam dictura eſt, ſufficit: ſemper neſcio quid deerit, habet hoc auaritia proprium ac peſſimum. Inſatiabilis eſt, & dum promittit abſentia, præſentibus vti vetat. Hæc habẽdi ſitis nunquam plura quærendo, ſed pauciora concupiſcendo ſedabitur. Recte itaque atque admodum concinne Diogenes eos, qui immenſas opes cumularent, μεγαλοπλούτους id eſt, magnificos pauperes appellare ſolitus eſt. Auaro ſiquidẽ tam deeſt quod habet, quam quod nõ habet; qua ratione non incongrue magnificus pauper, ex ſententia Socratis dici meretur. Quibus concinit, quod Seneca in prouerbijs ſcriptitat.

Auarus ipſe miſeriæ eſt cauſa ſuæ.
Auarus niſi cum moritur, nihil recte facit.
Auaro quid mali optes; niſi vt viuat diu.
Auaro negandi cauſa nunquam deficit.
Pecuniæ imperare oportet non ſeruare.
Pecunia ſi vti ſcias,
Ancilla eſt; ſi neſcias, domina.

Quo

Quo referenda est inuectiua illa Plinij in aurum, lib. 33. cap. 1. Imus, inquit, in viscera terræ, & in sede manium opes quærimus: illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit atque demersit illa, quæ non nascuntur, vt repente mens ad inane euolans reputet, quis deinde futurus finis est? seculis omnibus exhauriendi ea quousque penetret auaritia? Quam innocens, quam beata, imo vero & delicata esset vita, si nihil aliud de ea, nisi quod supra terras, concupisceret, haberetq; non nisi quod secum est. In quam sententiam etiam Ia. Philomusus Poëta ita in aurum aurive cupiditatem inuehitur:

Aurum destructor vitæ, princepsq; malorum,
O quam difficiles nectis vbiq; dolos!
O vtinam natum nunquam mortalibus esses,
Dulcia suppeditas quæ nocumenta viris!
Te propter pugnæ fiunt, & bella mouentur,
Ad prædam & cædes corpora nostra trahis.
Tu facis, ingratus patrem quod filius odit,
Inter & agnatos iurgia sæpe moues.
Prosternis gentes, & totum destruis orbem.
Nulla fides hominis te duce stare potest.
Fœdera tu regum, tu falsos iungis amicos,
Imperio seruit & genus omne tuo.
Scrutamur montes, atq; intima viscera terræ,
Nec tutum poteris subtus habere locum.
Felix ille tamen, modico qui viuit in agro,
Vincula nam mortis hunc leuiora manent.
Et linquit post se nullas in funere lites,
Dat mentem superis, ossa q; condit humo.

CAPVT III.

Neceſſarium principi eſt habere theſaurum.

NON obſtantibus ijs, quæ hactenus diximus, tam ad pacem quã ad bella plurimũ cõducit, vt fiſcus principis promta pecunia ſit inſtructus. Fac enim principem eſſe negligentiorem, neque velle ad certos vſus theſaurum colligere, niſi cũ iam iam neceſſitas efflagitet, annon tum non ſolum difficile, ſed etiam periculoſum erit? Difficile ſane, quod inter arma omnes negotiationes cõticeſcunt, agricultura iacet, frumentorumque collectio turbatur: adeoq; legitima tributa alijq; reditus imminuuntur. Periculoſum vero: quod ſubditi militũ tam domeſticorum quam exterorum iniuriam & crudelitatem, quæ militibus nimis eſt familiaris, experti variosq; Martis caſus grauatim ſuſtinentes facile in ſeditiones conſpirant, ſi principes præter hæc inclementius noua tributa, numaria difficultate preſſi exigerent.

Eſt itaque, vt in huiuſmodi vſus reſeruata & promta pecunia huic malo occurrat princeps, hoſtemq; abigat, quo frugibus terræ alijsq; beneficijs ſubditi fruantur. Imminente ſiquidem bello, vtrum difficilius ſit dubites, pecuniamne an militẽ cogere ſeu hoſtẽ armis abigere. Suma itaq; neceſſitas à principe requirit vt ampliori quadatenus theſauro ſit munit⁹ quo iminente hoſte nõ de pecunia demũ ſed duntaxat de coactione cura ſit neceſſaria. Niſi.n. principijs obſtes, facile fieri poteſt, vt interea tẽporis, dũ de comparanda pecunia cõſultatur, ſua agendi celeritate eo diſcri-

mini-

minis te adducat hostis, vt nec pecunias nec militē cogere permittat. Admirabilem celeritatē adhibet Turca bellū exteris illaturus: de fisco. n. stipendia militi persoluit, armis se instruit, & quæ requirit apparatus bellicus, probe adornat. Sumtus bellicos postea fisco ex tributis, censibus, alijsque exactionibus subditorum refundit.

Hinc facile est colligere, q̄ princeps q̄ in numerato pecuniā non habet, multū tēporis inutiliter insumet, dū vnde conquirat, deliberat, imo semet occasionib. quib. ad victoriā duci potuisset priuat. Vsitatissimus sane modus cōficiendi pecuniā est, dum æs alienū ad vsuram cōtrahimus. Verum hęc conqrendi ratio multa regna exhausit, imo plane euacuauit. Nā ad vsurarū exolutionē plerunq; ordinarij redit⁹, & vectigalia oppignorātur: Hinc vero, pxime subsequūtur extraordinaria tributa, nona vectigalia, aliaq; quę corradēdę pecunię subseruiūt. Hæc vbi semel inualuere, nunq̄ abrogantur, sed in consuetudinē & legem abeunt, id q̄ si opus esset facile, pbarem. His vero nihilo pl⁹ agitur, quā quod mala malis nō tolluntur, quin potius accumulantur, statusq; imperij quantūuis antea quidē fuerit amplissimus, certissimā tandē sentit ruinā.

Cum itaq; ex his nō obscurū sit, tā ad cōseruandam dignitatē regnorū & Rerump. quam ad propellendā vim & iniuriā, in pace & bello thesauros id est, pecuniæ collectionē esse perneccssariam & ideo nō negligendam: eamq;, vt recte dicitur, esse nerui belli, sineq; ea neq; subditos recte pacatos teneri, neque hostes fortiter propelli posse. Proinde in omnem euentum principem instructum

esse perneceſſarium est. In colligendis vero theſauris certus modus est adhibēdus, ne ex ſanguine & viſceribus ſubditorum corraſus, ne quid amplius dicam, theſaurus paſſim dicatur. Aurum enim, vt grauiſſime dixit Tiberius II. Imp. Græcus, cum lacrymis & querelis ſubditorum collectum, adulterinū & venenoſum est. Colligenda itaq; est pecunia, ſic tamen vt minus animaduertatur; id quod duobus perfici poteſt. Primo ex ordinarijs reditibus, deinde ſi princeps largitionibus non neceſſarijs abſtineat.

Porro quam periculoſæ ſint inſperatæ illæ exactiones, patet etiam ex oratione quam habuit quondam Gorellus Orilia ad Ladiſlaum ducem Neapolitanum. Cum enim Ladiſlaus victus fugatusque ab hoſte ex agro Catinate Neapolim confugiſſet, ibiq; de comparanda pecunia, ad reſtituendum exercitum admodum eſſet ſolicitus, decerneretq; ſuadentibus quibuſdam magis partium ſtudioſis quam ſapientibus viris, noua quædam inuſitataq; tributa parentibus populis imponere: ea re cognita Gorellus, quanquā ſenex ac pedibus laborans, regem adijt, & qua erat comitate atq; prudentia. Quam, inquit, vereor, ô rex, ne, dum hoſtium impedire conatus ac repellere vim ſtudes, id ipſe agas, vt tuos in te populos popularesq; noua ob tributa iratos excites, prouocesq; in odium ac malenolentiam. Quid obſecro, qui tibi male volunt, quiq; aduerſariorum rebus fauent, quid inquam, aut magis cupiāt, aut vehementius optent, quam id conſilij vt ineas, quod auertere à fidelitate atq; in te beneuolētia & ſtu-

dijs

dijs quam facilime populares tuos queat? Atqui hęc quidē & vna & certissima est ad idipsum via: quam vt ineas, qui rebus tuis male consultū volunt, sub beneuolētię speciem suadere tuto habeant. Quocirca cōsilia hæc vt parū vtilia, vt minime salubria, atq; ab hostibus tuis magnopere expectata ex animo tuo prorsus eijce, quodq; summa tibi centum millium opus est, eaq; præsenti, nobis familiaribus tuis atq; administris, quorum vna futura tecum est fortuna, cogēdam inter nos atq; enumerandam statue. Atq; his dictis assumto cōfestim calamo, paucos quosdam regis ex administris designauit, quanta cuiq; sibiq; inprimis ipsi pecunia irrogāda esset, notata, eaq; è vestigio persoluta est. Prudentissimum sane pro re ac tempore & datum à Gorello & acceptum à rege consilium est. Quo effectum est, vt ex hac subsidiaria paucorum eorumque fidelissimorum hominum contributione, peruersis hostium obuiam iretur consilijs, regisque necessitudini, & popularium consuleretur beneuolentiæ ac quieti.

CAPVT IV.

De reditibus Principis.

PRINCIPIS redituū duo sunt genera: ordinarium & extraordinariū. Proueniunt. n. reditus aut ex agrorum frugibus: aut ex labore & industria humana. Agrorū reditus sunt duplices, quoniā immediate q̄dam prædia principem, quædam vero subditos spectant Principis, ppria sunt prædia hęreditaria, quemadmodū & illa q̄ alterius dominio nō sunt subiecta: hęc princeps q̄ diligentissime coli instar

boni patrisfamilias curet, fructusque constituto tempore demeti. Quædam ferunt segetes, quædam pascua, quædam ligna, quædam alia, lacus, piscinas, flumina complectuntur.

Porro terræ fructus quidam in terræ visceribus quidam in superficie terræ nascuntur. In visceribus terræ inueniuntur varia metalla: aurũ, argentum, cuprum, stannũ, ferrum, argentum viuũ, sulphur, aloë, sal &c. Porro etiam variæ gemmæ pretiosiq; lapides, marmorei, alijq; infiniti. In superficie terræ sunt segetes, legumina, animalia parua & magna, fera & domestica. Multa etiam eaque vtilissima ex aquis habentur, quorũ quædam animata & conseruationi vitæ humanæ apta, ceu pisces, ostreæ &c. quædam inanima, vt corallia, vniones, aliaque. Quædam vero ancipitis naturæ, de quibus dubites, vtrum viuant necne; sunt autẽ fungi, quibus mediam naturam inter viuam & non viuam Aristoteles adscribit.

Vsitatum erat Mahometi II, quoties agris abundaret, nonnullos ex Sclauis seu mãcipijs suis eo amandare & singulis quantum agri quindecim diebus ararent bou[illegible] & frumentum, quo primo anno sementem facerent, dare. Primis duodecim annis dimidiam partem fructus ex illis agris sibi sumebat: insequentibus vero septimam. Hoc ipso vero mirum in modum annuos suos prouentus adauxit.

De subditorum bonis principi debentur tributa, census, aliaq; grauamina, quæ vrgente publico cõmodo nõ improbantur. Æquum. n. est & indubium ꝙ priuatorum bona Reip. sine qua salua esse

non

non possunt, inseruire debent. Non autem debẽt capita seu personæ æstimari, sed fortunæ & bona subditorũ: Alioquin enim bona parte grauaminũ egena plebs demũ affligeretur. Siquidem etiamnũ plerunq; nobiles in subditos, vrbes in pagos, sua grauamina deriuant. Quod cum fit, nimiũ plebs premitur, tandemq; cum ferundo amplius nõ est, ijs succumbit: id q̃ sæpe fit magno cũ nobilitatis & amplissimarũ ciuitatũ detrimento. Tũc enim suis sumtib. bella gerere: hæ vero maxima p̃sidia alere tenentur? Factitatũ id in Gallia oẽs norunt. Romæ omnia tributa & census imperijs imponebantur.

Subditorũ quoq; bona aut certa sunt aut incerta. Per certa intelligo im̃obilia, p incerta vero mobilia. Ex his de immobilibus tantũ pendentur tributa. Tributa nuper etiam bonis mobilibus imposita totã Flandriã à duce Albaniæ defciscere fecerunt. Quod si extrema necessitas bona mobilia iubeat censere: vtique non improbarem morem quibusdam Germaniæ ciuitatibus receptum, vt cuiusq; conscientia iureiurando obstringatur.

Per ea quæ labore & industria humana comparantur, intelligo contractus, cõmercia & negotiationes. Ac meo quidem iudicio nõ est prouentus vllus nec census magis legitimus quã hic. Quid. n. legib. & æquitati magis cõsentaneum: quam vt is, qui in nostro territorio, aut ex nostris quæstum facit, suaq; ampliora reddit, principi, cuius permissu negotiari ipsi ibi permittitur, aliquid pendat.

Negotiatores autem ac propemodũ proxenetę cum aut subditi sint, aut exteri: fas est, exteros & pegrinos grauius censeri quã subditos. Stricte hoc

Turcæ obſeruant. Nam de mercibus Alexandrinis peregrini decẽ, ſubditi vero quinq; duntaxat pendunt. In Anglia quadruplo amplius exteri quam ſubditi dependunt.

Cum diuitiæ ibi plerunq; cõfluant vbi abundantia rerum, quib. vita humana ſuſtentatur, aut neceſſaria enaſcuntur: ſedulo principi opera danda eſt, vt ſubditos ad agriculturæ, & mechanicarũ negotiationũ amorẽ alliciat. Sed de his ſuo loco.

CAPVT V.

De pecunia mutuo ſumenda.

NON raro contingit annuos prouentus expediẽdis negotijs nõ ſufficere: eo caſu nihil obſtat, quo minus princeps pecuniam à ſubditis ad vſuram ſumat aut ſine vſura. Vt vero priuatus, ſic quoq; princeps ab ære, de quo vſuram præſtet, omnino abſtineat: niſi ſumma id efflagitet neceſſitas. Sine vſura namq; facile obtinebit princeps: modo ſuis promiſſis ſtet firmiter & definita die creditum reſtituat, ne creditori res fraudi ſit.

Henricus II. rex Galliæ, exercitum ſuum à Cęſarianis fuſum redintegraturus, conuocatis tribus regni ſui prouincialibus, p Cardinalẽ Lotharingię edixit, vt quisq; è ſua prouincia mille viros ſeligeret, quorum ſinguli mille coronatos absque vſura regi crederent: id quod facile ab ipſis obtinuit. Atq; hoc modo termillies auri coëgit, belloque reſtaurato res præclaras non ſinè magna ſui laude confecit. Neque vero plura onera ſubditi propterea ſenſerunt, quippe quorum opes cenſibus iam ante erant attritæ. Norat procul dubio

rex

rex pecunia mutuo ad vſuram ſumta incredibiliter reditus excreſcere, fidem contra imminui & deperdi. Et ſi verum fateri licet, tantopere ſe ære alieno obſtrinxit prædictus rex, vt regnum Galliæ nimis obæratum nondum omnia nomina expunxerit.

CAPVT VI.

De auxilio bonorum eccleſiaſticorum.

ECCLESIASTICA bona ad inſtar ſacræ ancoræ habent, religioſa itaque habenda, neque temere violanda: niſi papa permittat, Reipublicæque ſalus ita velit. Papæ enim indulgentia quadamtenus coram Deo: at neceſſitas coram hominibus excuſat. Quod ſi alterutrum deſit, fieri non poteſt, vt res felici exitu claudatur.

Plurima exempla adducere poſſem; lubens tamen omitto, ne cui ſtomachum commoueam. Vnum multorum loco eſto. Emanuel rex Portugaliæ in bello Indiano & Africano feliciſſimus erat, vtrobiq; enim rebus præclare geſtis magnum fecit quæſtum: vt vel rebus difficilimis maximum auri & argenti pondus quaſi auro enaſcoretur. Poſtea vero inſtinctu ſuſurronum, quibus aures dabat, neſcio qua inſania abreptum mala cupido magnam vim pecuniæ de reditibus eccleſiaſticis colligendi inceſſit, permittente quidem papa Leone. Quod cum in Portugalia increbuiſſet, magna vbique in Portugalia indignatione & fremitu exceptus eſt. Rex itaque intelligens, nulla ſe neceſſitate impulſum, omnium iras animorumq;

abalienationē in ſe deriuaſſe, papæ bullā donauit eccleſiaſticis: qui ſubmiſſi animi beneuolentiam teſtificatum cētum quinquaginta millibus coronatorū ipſum vltro donauerunt. Ab hinc vero nō tantū omnia bella inauſpicatò geſſit, ſed & auctoritate & potentia, qua ante florebat, plane tandē exutus eſt. Opem autem ferūt eccleſiaſtica bona duobus modis: aut cum bona immobilia diuenduntur; aut eorum prouentus. Bona eccleſiaſtica diſtrahere pinde eſt ac ſi ſecuri tibiæ admota neruos incidas: id quod in Gallia ſæpius euenit. Accedit etiā hoc mali: quod papali bullæ executio nō reſpōdet: plus enim ſemper petitur, quam illa indulſit, & vt dicitur, dato digito, palma deuoratur. Quid quod quibusdam ea opinio animo inſedit, Deo ſe gratum opus præſtare, vbi reditus eccleſiaſtici direpti in alienos vſus conuertuntur.

Partem vero eccleſiaſticorum redituum, vbi neceſſitas exigit, adhibere, & clericatui tolerabilius, & Reip. eſt vtilius. Comprobat hoc Gallia: vbi clerici ſumtus bellicos vt plurimū ſuſtinuere, & plusquam vicies millies ad bellum regi ſuppeditarunt. Similiter in Hiſpania factū eſt: ibi enim eccleſiaſtici aliquot annos ſexaginta triremes easq; inſtructiſſimas ſuis ſumtibus aluerunt, ſumtusque duplo maiores in aliis fecerunt.

CAPVT VII.

De redditibus extraordinariis.

HACTENVS de prouentibus ordinariis verba fecimus: reſtant principibus alii, quos extraordinarios vocamus. Hi aut ex ſubditis aut exteris proueniunt. Ex ſubditis

ad

ad principem deriuãtur actiones iniuriarum, capitis, mulctę, donationes. Ab exteris vero tributa, pẽsiones, munera, aliaq; eius generis. Hæc omnia cõferentur legitime, modo quo supra docuimus de reditibus ordinariis. Qui princeps eo modo in expẽdendis prouẽtibus versabitur, næ ille bonã partẽ sibi reliduam in singulares casus reseruabit.

CAPVT VIII.

Impensis inutilibus abstinendum. Vbi & quædam de magnanimitate dicuntur.

INVTILES impensas voco, quæ Reip. bono non sunt, & neq; ad eius munitionem, neq; ad principis existimationẽ conducunt. Vt autẽ luxus & voluptates infinitæ sunt, sic etiã impensæ, de his dictũ est etiã aliquid superius, atq; hic prolixius dicetur. Summopere cauendũ, ne modus largitionũ & munerũ excedatur. Debentur autẽ meritis ac dignis tantũ, eaq; modice. Munera.n. in indignos collata offendunt bene meritos. Quo factum est, vt etiam Christiani quidam proceres, quorũ tamẽ nominibus parco, funditus perierint. Nimiæ.n. largitiones & donationes liberalitatis & beneficẽtiæ fontem exhauriunt & exiccant. Vnde sæpissime fit, ꝙ principes fisco largitionibus exhausto à munerib. ad extorsiones facto transitu vi aliena rapiant. Nero intra 14. annorum spatium circiter bis & vicies millies donationibus effudit, id est, quingenties & quinquagies cẽtena millia aureorum. Galba vero successor publico edicto oĩbus Neronis donationib. reuocatis decimã partẽ donatariis reliquit. Nero ꝙ̃ dissipato fisco nõ esset, vnde liberalitatem suã ostẽ-

oſtentaret, latrociniis aliisque ſceleribus animum adiecit. Et in hoc habuit imitatorem C. Caligulam, qui & opes immenſas à Tiberio congeſtas, ac vicies ſepties millies ſeſtertium intra annum abſumſit. Demetrius Antigoni & Aratonices filius ducenta talenta ſcortis dari iuſſit, auctore Plutarcho. Apitius omnium fere luxum ac prodigalitatem nepotinis helluationibus ſuperauit. De quo Martialis lib 5.

Dederas Apici bis trecenties ventri,
Sed adhuc ſuperat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus ne ſitim & famem ferres,
Summæ venenum potius duxiſti.

Quod ſic interpretatur Budæus: Apici ſexcenties ſeſtertium, id eſt, quindecies centena aureorũ coronatorum millia, inexplebili illa helluatus ingluuie, cum poſſes adhuc ducentis quinquagenis millibus (quod centies laxum poëta appellat) vitam, cauto & eleganti victu producere, tamen venenum miſer hauſiſti, ne patrimonio tanto ſupereſſet, quod iam non te deſerturum videbatur.

Heliogabalus inuitatis ad prandium ſummis viris, croco menſam ſternebat, dicens, ſe fœnum pro eorum dignitate exhibere. Idem triclinia, lectus & porticus omni florum genere ſtrauit, liliis, violis, hyacinthis & narciſſis, quos flores pedibus conculcabat, naues precioſis mercibus onuſtas mergi in pontum iuſſit, magni id animi eſſe dicens. Aureo vtebatur vaſe ad corporis excrementa: gemmas ab optimis ſculptas artificibus in calceamentis ferebat, quæ nunquam iterabat: precioſas veſtes ſæpe conſcidit: minxit etiam in myrthi-

thinis & onichinis vasis, omnibus meretricibus sine effectu libidinis multos quandoq; dedit aureos numos. Alexander Macedo Promachum bibacissimū hominem, victorem in vini certamine aurea corona donauit. Alphonsus rex Neapolitarum, cum multa per luxum prodegisset, conflatoque ære ingenti alieno iam non haberet, vnde creditoribus satisfaceret, dolore & ira permotus plerosque suis spoliauit bonis. Cleopes Ægypti rex sumtu pyramidis eo redactus inopiæ est, vt filiam exponere venalem ad meretricium quæstū coactus sit. Xerxes opum regiarum ostentatione eximia, eousque luxuria progressus est, vt edicto præmium ei proponeret, qui nouum voluptatis genus reperisset; hinc deinceps factum, vt dum delitiis nimiis caperetur, amplissimi regni ruina euaserit. Caius Sergius Orata pensilia balnea primus facere instituit, quæ impensa leuibus initiis cœpta, ad suspensa calidæ aquæ tantum nō æquora penetrauit. Idem, videlicet ne gulam Neptuni arbitrio subiectam haberet, peculiaria sibi maria excogitauit, æstuariis intercipiendo fluctus, piscium que diuersos greges separatis molibus includendo, vt nulla tam sæua tempestas incideret, qua non oneratæ mensæ varietate piscium abundarent. Ædificiis etiam spatiosis & excelsis, deserta ad tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore vsu conchyliorum frueretur, vbi dum se publicæ aquæ cupidius immergit, Considij publicani iudicium nactus est, in quo Lucius Crassus aduersus illum causam agens, errare amicum suū Considium dixit, quod putaret, Oratam remotū

à lacu

auaritia egerimus, erimus hic breuiores. Inter cæteros vero Vespasianus imperator facile primas tenet. Legatis illi aliquando renunciantibus decretam illi publice non mediocris summæ statuam, iussit vt eam continuo ponerent: & vacuam ostendens manum: Ecce, inquit, parata basis: significans, vt eam pecuniam, quam in statuam decreuissent impendere mortuo, viuo darent in manum. Idem quoniam rapacissimum quemque promouere solebat, vt mox ditatos condemnaret, vulgo dictus est, officiatios suos habere pro spongijs, quod veluti spongias & siccos madefaceret & humidos exprimeret. Quocirca cõgrue admodum rusticus quidam, cum gratuitam libertatem suppliciter ab ipso petens repulsam pateretur, confidenter in hæc prorupit verba: Vulpes pilos mutat, mores non mutat: exprobrans illi naturæ rapacitatem, quasi mercede data concessurus fuisset, quod gratuito negabat. Indignum sane quod de tanto principe vere dicatur. Nullum enim, vt inquit Cic. lib. 2. Offic. est vitium tetrius quam auaritia, præsertim in principibus & Remp. gubernantibus. Habere enim quæstui Remp. non modo turpe sed sceleratum etiam & nefarium est. Itaq; quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia nisi auaritia esse perituram; id videtur non solum Lacedæmonijs, sed etiam omnibus opulentis populis prædixisse. Cum enim cupiditates sint insanabiles, atque, vt inquit Aristoteles lib. 1. polit. desiderium diuitiarum in infinitũ vadat (quemadmodum enim, vt inquit Seneca de benef. carnis missa à domino

frusta

fruſta panis, aut carnes aperto ore captans, quicquid excipit, protinus integrum demittit & properat ad ſpem futuri. Idem, inquit, euenit nobis. Quicquid fortuna expetentibus proijcit, id ſine vlla voluptate demittimus, & ſtatim ad rapinam alterius erecti & attẽti ſtam⁹) fit vt haud raro hinc odia, diſſidia, diſcordię, ſeditiones ac bella naſcãtur. Ac ſane ſi ad alia cõferatur vitia paſſim gliſcẽtia, facile cõperiemus, auaritia nullum eſſe deteſtabilius. Inuidia quidẽ, vt ait Petrarcha, li. 6. Epiſt. famil. mæſta ſæpe, attamẽ otioſa eſt. Auaritia vero & triſtis eſt & occupata. Superbia dum ſe aliquid magnũ putat, falſa licet opinione delectatur. Auaritia vero ſemper ſe famelicã & egenam ſentit, neq; fallitur. Veriſſimũ. n. eſt poẽticum illud: Semper auarus eget. Nam ſi auarus eſt, cupit: ꝙ ipſum vitij nomen indicat. Sane, quod ait Seneca, non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Et hoc inde concluditur, ꝙ non paucitas rerum inopem facit, cum paucis natura cõtenta ſit, cui qui rite ſatisfecerit, diues eſt, & nihil ei deeſt; ſed cupiditas expleta, quæ indicat ſibi tantum deeſſe quantum cupit, cupit autẽ omnia, & optanda ſuperuacua fecit neceſſaria. Quo ſpectat, quod Seneca, Neminem, inquit, pecunia diuitẽ facit; imo contra, nulli non maiorẽ ſui cupiditatẽ incuſſit. Et ſequitur: Quæris, quæ ſit huius rei cauſa? plus incipit habere poſſe qui plus habet. Venio autem ad reliquas peſtes, & eius quidem, quam accidiam noſtri vocant, eadem ratio eſt quæ inuidiæ fuit. Gula autem ac libido ſæpe ſuis fruuntur delitijs, quibus exultant, & gaudia fugitura per-

percipiũt. Auaritia nulla re fruitur, niſi curis auariſſimis: dum enim quærendis inhiat, & illa non habet, & quæſita non videt niſi ad ſupplicium, hinc trepida, inde ſollicita. Quæ cum ita ſint, inde auaritia ſororum omnium peſtilentiſſima dici poteſt, quam traducem omnium malorum vocat Apoſtolus. Et Epiſt. 99. Quid eſt, inquit, auaritia quod delectet? Nempe nil aliud quam quærendi labor, quam ſeruandi pauor, nil inquam aliud, quam timere ruinas, incendia, rapinas, domeſticos & externos fures, ad extremum, mures & tineas. Nolite ergo, vt idem inquit Epiſt. 117. cupiditati aurem dare, nunquam dictura eſt, ſufficit: ſemper neſcio quid deerit, habet hoc auaritia proprium ac peſſimum. Inſatiabilis eſt, & dum promittit abſentia, præſentibus vti vetat. Hæc habẽdi ſitis nunquam plura quærendo, ſed pauciora concupiſcendo ſedabitur. Recte itaque atque admodum concinne Diogenes eos, qui immenſas opes cumularent, μιζαλοπλόϰους, id eſt, magnificos pauperes appellare ſolitus eſt. Auaro ſiquidẽ tam deeſt quod habet, quam quod nõ habet; qua ratione non incongrue magnificus pauper, ex ſententia Socratis dici meretur. Quibus concinit, quod Seneca in prouerbijs ſcriptitat.

Auarus ipſe miſeriæ eſt cauſa ſuæ.
Auarus niſi cum moritur, nihil recte facit.
Auaro quid mali optes; niſi vt viuat diu.
Auaro negandi cauſa nunquam deficit.
Pecuniæ imperare oportet non ſeruare.
Pecunia ſi vti ſcias,
Ancilla eſt; ſi neſcias, domina.

Qui

Quo referenda est inuectiua illa Plinij in aurum, lib. 33. cap. 1. Imus, inquit, in viscera terræ, & in sede manium opes quærimus: illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit atque demersit illa, quæ non nascuntur, vt repente mens ad inane euolans reputet, quis deinde futurus finis est? seculis omnibus exhauriendi ea quousque penetret auaritia? Quam innocens, quam beata, imo vero & delicata esset vita, si nihil aliud de ea, nisi quod supra terras, concupisceret, haberetq; non nisi quod secum est. In quam sententiam etiam Ia. Philomusus Poëta ita in aurum auriue cupiditatem inuehitur:

Aurum destructor vitæ, princepsq; malorum,
O quam difficiles nectis vbiq; dolos!
O vtinam natum nunquam mortalibus esses,
Dulcia suppeditas quæ nocumenta viris!
Te propter pugnæ fiunt, & bella mouentur,
Ad prædam & cædes corpora nostra trahis.
Tu facis, ingratus patrem quod filius odit,
Inter & agnatos iurgia sæpe moues.
Prosternis gentes, & totum destruis orbem.
Nulla fides hominis te duce stare potest.
Fœdera tu regum, tu falsos iungis amicos,
Imperio seruit & genus omne tuo.
Scrutamur montes, atq; intima viscera terræ,
Nec tutum poteris subtus habere locum.
Felix ille tamen, modico qui viuit in agro,
Vincula nam mortis hunc leuiora manent.
Et linquit post se nullas in funere lites,
Dat mentem superis, ossaq; condit humo.

CAPVT III.

Neceſſarium principi eſt habere theſaurum.

NON obſtantibus ijs, quæ hactenus diximus, tam ad pacem quã ad bella plurimũ cõducit, vt fiſcus principis promta pecunia ſit inſtructus. Fac enim principem eſſe negligentiorem, neque velle ad certos vſus theſaurum colligere, niſi cũ iam iam neceſſitas efflagitet, annon tum non ſolum difficile, ſed etiam periculoſum erit? Difficile ſane, quod inter arma omnes negotiationes cõticeſcunt, agricultura iacet, frumentorumque collectio turbatur: adeoq; legitima tributa alijq; reditus imminuuntur. Periculoſum vero: quod ſubditi militũ tam domeſticorum quam exterorum iniuriam & crudelitatem, quæ militibus nimis eſt familiaris, experti variosq; Martis caſus grauatim ſuſtinentes facile in ſeditiones conſpirant, ſi principes præter hæc inclementius noua tributa, numaria difficultate preſſi exigerent.

Eſt itaque, vt in huiuſmodi vſus reſeruata & promta pecunia huic malo occurrat princeps, hoſtemq; abigat, quo frugibus terræ alijsq; beneficijs ſubditi fruantur. Imminente ſiquidem bello, vtrum difficilius ſit dubites, pecuniamne an militẽ cogere ſeu hoſtẽ armis abigere. Sumã itaq; neceſſitas à principe requirit vt ampliori quadatenus theſauro ſit munit⁹ quo iminente hoſte nõ de pecunia demũ ſed duntaxat de coactione cura ſit neceſſaria. Niſi.n. principijs obſtes, facile fieri poteſt, vt interea tẽporis, dũ de comparanda pecunia cõſultatur, ſua agendi celeritate eo diſcri-

mini-

minis te adducat hostis, vt nec pecunias nec militē cogere permittat. Admirabilem celeritatē adhibet Turca bellū exteris illaturus: de fisco. n. stipendia militi persoluit, armis se instruit, & quæ requirit apparatus bellicus, probe adornat. Sumtus bellicos postea fisco ex tributis, censibus, alijsque exactionibus subditorum refundit.

Hinc facile est colligere, ꝙ princeps, ꝙ in numerato pecuniā non habet, multū tēporis inutiliter insumet, dū vnde conquirat, deliberat, imo semet occasionib. quib. ad victoriā duci potuisset priuat. Vsitatissimus sane modus cōficiendi pecuniā est, dum æs alienū ad vsuram cōtrahimus. Verum hęc conqrendi ratio multa regna exhausit, imo plane euacuauit. Nā ad vsurarū exolutionē plerunq; ordinarij redit⁹, & vectigalia oppignorātur: Hinc vero, ꝓxime subsequūtur extraordinaria tributa, nona vectigalia, aliaq; quę corradēdę pecunię subseruiūt. Hæc vbi semel inualuere, nunq̄ abrogantur, sed in consuetudinē & legem abeunt, id ꝙ si opus esset facile, ꝓbarem. His vero nihilo pl⁹ agitur, quā quod mala malis nō tolluntur, quin potius accumulantur, statusq, imperij quantūuis antea quidē fuerit amplissimus, certissimā tandē sentit ruinā.

Cum itaq; ex his nō obscurū sit, tā ad cōseruandam dignitatē regnorū & Rerump. quam ad propellendā vim & iniuriā, in pace & bello thesauros id est, pecuniæ collectionē esse perneceslariam & ideo nō negligendam: eamq;, vt recte dicitur, esse nerum belli, sineq; ea neq; subditos recte pacatos teneri, neque hostes fortiter propelli posse. Proinde in omnem euentum principem instructum

esse perneceſſarium est. In colligendis vero thesauris certus modus est adhibēdus, ne ex sanguine & viscēribus subditorum corrasus, ne quid amplius dicam, thesaurus passim dicatur. Aurum enim, vt grauissime dixit Tiberius II. Imp. Græcus, cum lacrymis & querelis subditorum collectum, adulterinū & venenosum est. Colligenda itaq; est pecunia, sic tamen vt minus animaduertatur; id quod duobus perfici potest. Primo ex ordinarijs reditibus, deinde si princeps largitionibus non necessarijs abstineat.

Porro quam periculosæ sint insperatæ illæ exactiones, patet etiam ex oratione quam habuit quondam Gorellus Orilia ad Ladislaum ducem Neapolitanum. Cum enim Ladislaus victus fugatusque ab hoste ex agro Calinate Neapolim confugisset, ibiq; de comparanda pecunia, ad restituendum exercitum admodum esset solicitus, decerneretq; suadentibus quibusdam magis partium studiosis quam sapientibus viris, noua quædam inusitataq; tributa parentibus populis imponere: ea re cognita Gorellus, quanquā senex ac pedibus laborans, regem adijt, & qua erat comitate atq; prudentia. Quam, inquit, vereor, ô rex, ne, dum hostium impedire conatus ac repellere vim studes, id ipse agas, vt tuos in te populos popularesq; noua ob tributa iratos excites, prouocesq; in odium ac maleuolentiam. Quid obsecro, qui tibi male volunt, quiq; aduersariorum rebus fauent, quid inquam, aut magis cupiāt, aut vehementius optent, quam id consilij vt ineas, quod auertere à fidelitate atq; in te beneuolētia & studijs

dijs quam facilime populares tuos queat? Atqui hęc quidē & vna & certissima est ad idipsum via: quam vt ineas, qui rebus tuis male consultū volunt, sub beneuolētię speciem suadere tuto habeant. Quocirca cōsilia hæc vt parū vtilia, vt minime salubria, atq; ab hostibus tuis magnopere expectata ex animo tuo prorsus eijce, quodq; summa tibi centum millium opus est, eaq; præsenti, nobis familiaribus tuis atq; administris, quorum vna futura tecum est fortuna, cogēdam inter nos atq; enumerandam statue. Atq; his dictis assumto cōfestim calamo, paucos quosdam regis ex administris designauit, quanta cuiq; sibiq; inprimis ipsi pecunia irrogāda esset, notata, eaq; è vestigio persoluta est. Prudentissimum sane pro re ac tempore & datum à Gorello & acceptum à rege consilium est. Quo effectum est, vt ex hac subsidiaria paucorum eorumque fidelissimorum hominum contributione, peruersis hostium obuiam iretur consilijs, regisque necessitudini, & popularium consuleretur beneuolentiæ ac quieti.

CAPVT IV.

De reditibus Principis.

PRINCIPIS redituū duo sunt genera: ordinarium & extraordinariū. Proueniunt. n. reditus aut ex agrorum frugibus: aut ex labore & industria humana. Agrorū reditus sunt duplices, quoniā immediate q̄dam prædia principem, quædam vero subditos spectant Principis, ppria sunt prædia hęreditaria, quemadmodū & illa q̄ alterius dominio nō sunt subiecta: hęc princeps q̄ diligentissime coli instar

non possunt, inseruire debent. Non autem debẽt capita seu personæ æstimari, sed fortunæ & bona subditorũ: Alioquin enim bona parte grauaminũ egena plebs demũ affligeretur. Siquidem etiamnũ plerunq; nobiles in subditos, vrbes in pagos, sua grauamina deriuant. Quod cum fit, nimiũ plebs premitur, tandemq; cum ferundo amplius nõ est, ijs succumbit: id q̃ sæpe fit magno cũ nobilitatis & amplissimarũ ciuitatũ detrimento. Tũc enim suis sumtib. bella gerere: hæ vero maxima p̃lidia alere tenentur? Factitatũ id in Gallia oẽs norunt. Romæ omnia tributa & census imperijs imponebantur.

Subditorũ quoq; bona aut certa sunt aut incerta. Per certa intelligo īmobilia, p̃ incerta vero mobilia. Ex his de immobilibus tantũ pendentur tributa. Tributa nuper etiam bonis mobilibus imposita totã Flandriã à duce Albaniæ defciscere fecerunt. Quod si extrema necessitas bona mobilia iubeat censere: vtique non improbarem morem quibusdam Germaniæ ciuitatibus receptum, vt cuiusq; conscientia iureiurando obstringatur.

Per ea quæ labore & industria humana comparantur, intelligo contractus, cõmercia & negotiationes. Ac meo quidem iudicio nõ est prouentus vllus nec census magis legitimus quã hic. Quid. n. legib. & æquitati magis cõsentaneum: quam vt is, qui in nostro territorio, aut ex nostris quæstum facit, suaq; ampliora reddit, principi, cuius permissu negotiari ipsi ibi permittitur, aliquid pendat.

Negotiatores autem ac propemodũ proxenetę cum aut subditi sint, aut exteri: fas est, exteros & pegrinos grauius censeri quã subditos. Stricte hoc

Turcæ obſeruant. Nam de mercibus Alexandrinis peregrini decẽ. ſubditi vero quinq; duntaxat pendunt. In Anglia quadruplo amplius exteri quam ſubditi dependunt.

Cum diuitiæ ibi plerunq; cõfluant vbi abundantia rerum, quib. vita humana ſuſtentatur, aut neceſſaria enaſcuntur: ſedulo principi opera danda eſt, vt ſubditos ad agriculturæ, & mechanicarũ negotiationũ amorẽ alliciat. Sed de his ſuo loco.

CAPVT V.

De pecunia mutuo ſumenda.

NON raro contingit annuos prouentus expediẽdis negotijs nõ ſufficere: eo caſu nihil obſtat, quo minus princeps pecuniam à ſubditis ad vſuram ſumat aut ſine vſura. Vt vero priuatus, ſic quoq; princeps ab ære, de quo vſuram præſtet, omnino abſtineat: niſi ſumma id efflagitet neceſſitas. Sine vſura namq; facile obtinebit princeps: modo ſuis promiſſis ſtet firmiter & definita die creditum reſtituat, ne creditori res fraudi ſit.

Henricus II. rex Galliæ, exercitum ſuum à Cęſarianis fuſum redintegraturus, conuocatis tribus regni ſui prouincialibus, p Cardinalẽ Lotharingię edixit, vt quisq; è ſua prouincia mille viros ſeligeret, quorum ſinguli mille coronatos absque vſura regi crederent: id quod facile ab ipſis obtinuit. Atq; hoc modo termillies auri coëgit, belloque reſtaurato res præclaras non ſine magna ſui laude confecit. Neque vero plura onera ſubditi propterea ſenſerunt, quippe quorum opes cenſibus iam ante erant attritæ. Norat procul dubio

rex

rex pecunia mutuo ad vſuram ſumta incredibiliter reditus excreſcere, fidem contra imminui & deperdi. Et ſi verum fateri licet, tantopere ſe ære alieno obſtrinxit prædictus rex, vt regnum Galliæ nimis obæratum nondum omnia nomina expunxerit.

CAPVT VI.

De auxilio bonorum eccleſiaſticorum.

ECCLESIASTICA bona ad inſtar ſacræ ancoræ habent, religioſa itaque habenda, neque temere violanda: niſi papa permittat, Reipublicæque ſalus ita velit. Papæ enim indulgentia quadamtenus coram Deo: at neceſſitas coram hominibus excuſat. Quod ſi alterutrum deſit, fieri non poteſt, vt res felici exitu claudatur.

Plurima exempla adducere poſſem; lubens tamen omitto, ne cui ſtomachum commoueam. Vnum multorum loco eſto. Emanuel rex Portugaliæ in bello Indiano & Africano feliciſſimus erat, vtrobiq; enim rebus præclare geſtis magnum fecit quæſtum: vt vel rebus difficilimis maximum auri & argenti pondus quaſi auro enaſceretur. Poſtea vero inſtinctu ſuſurronum, quibus aures dabat, neſcio qua inſania abreptum mala cupido magnam vim pecuniæ de reditibus eccleſiaſticis colligendi inceſſit, permittente quidem papa Leone. Quod cum in Portugalia increbuiſſet, magna vbique in Portugalia indignatione & fremitu exceptus eſt. Rex itaque intelligens, nulla ſe neceſſitate impulſum, omnium iras animorumq;

abalienationē in ſe deriuaſſe, papæ bullā donauit eccleſiaſticis: qui ſubmiſſi animi beneuolentiam teſtificatum cētum quinquaginta millibus coronatorū ipſum vltro donauerunt. Ab hinc vero nō tantū omnia bella inauſpicatò geſſit, ſed & auctoritate & potentia, qua ante florebat, plane tandē exutus eſt. Opem autem ferūt eccleſiaſtica bona duobus modis: aut cum bona immobilia diuenduntur, aut eorum prouentus. Bona eccleſiaſtica diſtrahere pinde eſt ac ſi ſecuri tibiæ admota neruos incidas: id quod in Gallia ſæpius euenit. Accedit etiā hoc mali: quod papali bullæ executio nō reſpōdet: plus enim ſemper petitur, quam illa indulſit, & vt dicitur, dato digito, palma deuoratur. Quid quod quibusdam ea opinio animo inſedit, Deo ſe gratum opus præſtare, vbi reditus eccleſiaſtici direpti in alienos vſus conuertuntur.

Partem vero eccleſiaſticorum reditūum, vbi neceſſitas exigit, adhibere, & clericatui tolerabilius, & Reip. eſt vtilius. Comprobat hoc Gallia: vbi clerici ſumtus bellicos vt plurimū ſuſtinuere, & plusquam vicies millies ad bellum regi ſuppeditarunt. Similiter in Hiſpania factū eſt: ibi enim eccleſiaſtici aliquot annos ſexaginta triremes easq; inſtructiſſimas ſuis ſumtibus aluerunt, ſumtusque duplo maiores in aliis fecerunt.

CAPVT VII.

De reditibus extraordinariis.

HACTENVS de prouentibus ordinariis verba fecimus: reſtant principibus alii, quos extraordinarios vocamus. Hi aut ex ſubditis aut exteris proueniunt. Ex ſubditis ad

ad principem deriuãtur actiones iniuriarum, capitis, mulctę, donationes. Ab exteris vero tributa, pẽsiones, munera, aliaq; eius generis. Hæc omnia cõferentur legitime, modo quo supra docuimus de reditibus ordinariis. Qui princeps eo modo in expẽdendis prouẽtibus versabitur, næ ille bonã partẽ sibi reliquam in singulares casus reseruabit.

CAPVT VIII.

Impensis inutilibus abstinendum. Vbi & quædam de magnanimitate dicuntur.

INVTILES impensas voco, quæ Reip. bono non sunt, & neq; ad eius munitionem, neq; ad principis existimationẽ conducunt. Vt autẽ luxus & voluptates infinitæ sunt, sic etiã impensæ, de his dictũ est etiã aliquid superius, atq; hic prolixius dicetur. Summopere cauendũ, ne modus largitionũ & munerũ excedatur. Debentur autẽ meritis ac dignis tantũ, eaq; modice. Munera.n. in indignos collata offendunt bene meritos. Quo factum est, vt etiam Christiani quidam proceres, quorũ tamẽ nominibus parco, funditus perierint. Nimiæ, n. largitiones & donationes liberalitatis & beneficẽtiæ fontem exhauriunt & exiccant. Vnde sæpissime fit, ꝙ principes fisco largitionibus exhausto à munerib. ad extorsiones facto transitu vi aliena rapiant. Nero intra 14. annorum spatium circiter bis & vicies millies donationibus effudit, id est, quingenties & quinquagies cẽtena millia aureorum. Galba vero successor publico edicto oĩbus Neronis donationib. reuocatis decimã partẽ donatariis reliquit. Nero cũ dissipato fisco nõ esset, vnde liberalitatem suã ostẽ-

oſtentaret, latrociniis aliisque ſceleribus animum adiecit. Et in hoc habuit imitatorem C. Caligulam, qui & opes immenſas à Tiberio congeſtas, ac vicies ſepties millies ſeſtertium intra annum abſumſit. Demetrius Antigoni & Aratonices filius ducenta talenta ſcortis dari iuſſit, auctore Plutarcho. Apitius omnium fere luxum ac prodigalitatem nepotinis helluationibus ſuperauit. De quo Martialis lib 5.

Dederas Apici bis trecenties ventri,
Sed adhuc ſuperat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus ne ſitim & famem ferres,
Summa venenum potius duxiſti.

Quod ſic interpretatur Budæus: Apici ſexcenties ſeſtertium, id eſt, quindecies centena aureorũ coronatorum millia, inexplebili illa helluatus ingluuie, cum poſſes adhuc ducentis quinquagenis millibus (quod centies laxum poëta appellat) vitam, cauto & eleganti victu producere, tamen venenum miſer hauſiſti, ne patrimonio tanto ſupereſſet, quod iam non te deſerturum videbatur.

Heliogabalus inuitatis ad prandium ſummis viris, croco menſam ſternebat, dicens, ſe fœnum pro eorum dignitate exhibere. Idem triclinia, lectus & porticus omni florum genere ſtrauit, liliis, violis, hyacinthis & narciſſis, quos flores pedibus conculcabat, naues precioſis mercibus onuſtas mergi in pontum iuſſit, magni id animi eſſe dicens. Aureo vtebatur vaſe ad corporis excrementa: gemmas ab optimis ſculptas artificibus in calceamentis ferebat, quæ nunquam iterabat: precioſas veſtes ſæpe conſcidit: minxit etiam in myrthi-

rhinis & onichinis vasis, omnibus meretricibus sine effectu libidinis multos quandoq; dedit aureos numos. Alexander Macedo Promachum bibaciſſimū hominem, victorem in vini certamine aurea corona donauit. Alphonſus rex Neapolitarum, cum multa per luxum prodegiſſet, conflatoque ære ingenti alieno iam non haberet, vnde creditoribus ſatisfaceret, dolore & ira permotus plerosque ſuis ſpoliauit bonis. Cleopes Ægypti rex ſumtu pyramidis eo redactus inopiæ eſt, vt filiam exponere venalem ad meretricium quæſtū coactus ſit. Xerxes opum regiarum oſtentatione eximia, eouſque luxuria progreſſus eſt, vt edicto præmium ei proponeret, qui nouum voluptatis genus reperiſſet; hinc deinceps factum, vt dum delitiis nimiis caperetur, ampliſſimi regni ruina euaſerit. Caius Sergius Orata penſilia balnea primus facere inſtituit, quæ impenſa leuibus initiis cœpta, ad ſuſpenſa calidæ aquæ tantum nō æquora penetrauit. Idem, videlicet ne gulam Neptuni arbitrio ſubiectam haberet, peculiaria ſibi maria excogitauit, æſtuariis intercipiendo fluctus, piſciumque diuerſos greges ſeparatis molibus includendo, vt nulla tam ſæua tempeſtas incideret, qua non oneratæ menſæ varietate piſciculorum abundarent. Ædificiis etiam ſpatioſis & excelſis, deſerta ad tempus ora Lucrini lacus preſſit, quo recentiore vſu conchyliorum frueretur, vbi dum ſe publicæ aquæ cupidius immergit, Conſidij publicani iudicium nactus eſt, in quo Lucius Craſſus aduerſus illum cauſam agens, errare amicum ſuū Conſidium dixit, quod putaret, Oratam remotū

à lacu carituram oſtreis, namque ea ſi inde peteré non licuiſſet, in tegulis repertarum. Huic nimirũ magis Æſop⁹ tragœdus in adoptionem dare filiũ ſuum, quam bonorum ſuorũ hęredem relinquere debuit, non ſolum perditæ ſed etiã furioſæ luxuriæ iuuenem, quẽ conſtat cantu commendabiles auiculas immanibus emtas preciis in cœna pro ficedulis ponere, aceroque liquatos magnæ ſummæ vniones potionibus aſpergere ſolitũ, ampliſſimum patrimoniũ tanquã amaram aliquã ſarcinã quam celerrime abijcere cupientem. Ingẽs etiam prodigalitas atq; deliciæ fuerũt M. Scauri, L. Syllæ generi atq; priuigni. Nam vt in ædilitate ſua, quẽadmodũ eius honoris mos ferebat, ludos ederet, neq; publicis theatris vti vellet, ipſorum ludorũ gratia tantum quos ipſe editurus erat, extemporarium theatrum extruxit & peractis ludis opus ipſum demolitus eſt. Fuit autem illius magnitudo ſpeciesque tanta, vt viuentium regum nullus his temporibus ſimile pro manſuro opere facturus fuerit. In eo marmoreas columnas trecentas ac ſexaginta poſuit: quę omnes tricenorum octenorumq; pedum ac circiter longitudinem implerẽt. Senę autẽ pars marmorea fuit: altera autem polymito opere exornata tota æneis inauratisq; tabulis tecta. Intercolumnia vero æneorum ſtatuarum tribus millibus exornauit, præter tabularum ornamenta, quę inſignium pictorum opere mira arte confectæ erant. Reliquæ theatri partes aulæis egregij operis veſtita, ita vt quod in eius operis vſum ſupra neceſſitatem cõparatum fuerat, mille ſeſtertiorum pretiũ excederet. Cuius tam ornati pre-

pretioſique theatri amplitudo tãta fuit, vt in eo ſedere homines 80000. potuerint. Quanquam circus Maximus, quem Pompeius lapide calceq; extruxit, vltra 60000. nõ caperet. Quis vero vnq̃ delitiis atque luxuria M. Antonio triumuiro par fuit? Ebrius enim in conſpectu populi Romani, negotium publicũ gerẽs heſternam cœnam euomuit, ac gremiũ ſuum totumq; tribunal incoctæ cœnæ fruſtis vinum redolentibus impleuit, muſicis mimisq; immenſas poſſeſſiones oppidaq; donauit. Nec contentus Cleopatræ arbitrio orientẽ totũ regere, ei Arabiã, Phœniciam, Syriã, Ciliciã, item Iudęæ partẽ, prouincias oẽs maximo populi Romani labore ſanguineque partas dono dedit. Nondum his expletus, q̃ antea in Italia libidinoſe egerat, dum exercitus circuiuit, vir temporib. illis inſigni honore præditus, lectica vna cũ mima deferebatur. Hic amatorẽ Antonium Ægypti regina Cleopatra ſequetur, quemadmodũ & viuentem & morientem ſecuta eſt. Hæc ab irato Antonio in iudicium vocata, cum ex Ægypto in Ciliciam nauigaret, flumẽ Cydnũ incredibili pompa ſubiuit, nauis eius purpurea habuit vela ſericeosq; rudentes, argẽto quoq; remos exornatos remigando tibiarũ ſonũ per dimẽſa tẽporis ſpatia pcuſſit. Ipſa ſub aurea vmbella in media naui in Veneris ſpeciẽ ornata ſublimior ſedebat circumfuſaq; virginum choris in nympharũ formã auro amictarũ. Ad extrema nauis latera pmultę alię inſignes puellę aureis thuribulis ad fluminis ripas adornamẽtapfun debãt. Itaq; haud iniuria tũc diſſeminatũ fuit, Venerẽ ad Bacchũ profectã eſſe. Egreſſa poſtea naui, cũ pro iudicio res in cõuiuiorũ certamẽ deducta

eſſet,

esset, inter cætera, quæ nimis profuse delicateq; egit, cum pepegisset cum M. Antonio se plus impensæ vno bolo quam Antonium magno conuiuio absumturam; ingentem vnionem, cui simili magnitudine specieq; nunquam visus erat, ab aure detraxit, atq; aceto maceratum absorpsit. Et cum iam manū ad alterius auris vnionem apposuisset, ab Antonio, cum vicisse eam declarasset, phibita abstinuit. Quæ quanquam ingenti regno potiretur, non erubuit, cum vxor esse Antonij nō posset, superstite Octauia eius vxore, quæ Romæ erat, cum eo amicæ ac impudicæ nomē sustinere. Caligula lasciuia Venereque perditus numquam nisi in odoribus lauabatur, citreoque ligno naues ædificabat, ornatis auro gemmisque earum puppibus, in eis quoque odoratas arbores atque herbas plantabat, & viridaria porticibus ac tricliniis auratis circumsepta construebat. Quibus nauib. circum Campaniæ littora inter sonos cantusq; ac scorta nauigabat, in cōuiuiis aureo pane aureisq; piscibus in verorum similitudinem expressis mēsas instruebat. Pulmenta, quibus excitari stomachus solet, detritis maceratisque margaritis conficiebat: tanquam alia nulla Romani cōsumendi imperij ratio offerretur. Sumtuosissima quoque cœna, quanquā extemporanea, fuit ea, quam Vitellio principi frater fecit, in qua duo electorum piscium & septem auium pretiosarū millia præter alia exhibuit. Quam cœnam cum superare Vitellius vellet, in sola vna patina, quæ tam late patebat, vt Mineruæ clypeus appellaretur, scaurorum iecinora, item phasianorum atque pauonum cerebrum

rebrum tantum: præterea phœnicopterorum linguas, & murenarum lactes ab orientali plaga Atlanticoque freto, triremibus eius rei gratia missis, aduectarum præbuit: tam longe tantoque impendio palati tam breuem atque pudendam voluptatem & bonæ valetudini vehementer aduersam quærens.

Sed nimium fortasse, cum sceletum etiam molesta commemoratione, hic immoror; verumtamen requirit id ipsa rei peruersitas, cumque recentiora ac viuentium etiam exempla recensere odiosum nimis sit, priscis illis quæ iam adduximus contenti, de officio principis in dispensandis cõferendisque sumtibus atq; beneficijs, quanquam etiam supra nonnihil de hoc actum sit, dicemus. Etsi autem naturæ principis nihil est accommodatius quam beneficentia, ex qua magnanimus potissimum dici meretur, vt in sequentibus dicemus, atque vt Bion dicere solitus est, oportet bonum principem ac discedentem magistratũ non ditiorem sed clariorem euasisse. Ex Cicerone tamen etiam admonendus est, habere beneficentiam multas cautiones.

Primo enim, inquit Cic. lib. 1. Offic. videndum, ne obsit benignitas, & ijs quib. benigne videbitur fieri & cæteris. Deinde ne maior sit benignitas q̃ facultas: tum vero vt pro dignitate cuiq; tribuatur. Sunt multi cupidi splẽdoris & gloriæ, qui eripiunt ab aliis quod aliis largiantur, hiq; arbitrantur, se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacunq; ratione. Id autem tantum abest ab officio, vt nihil magis officio esse possit

contrarium. Videndum est igitur vt ea liberalitate vtamur, quæ prosit amicis, non noceat.

Alter locus cautionis est, ne benignitas maior sit quam facultates; quod qui benigniores esse volunt quam res patitur, primum in eo peccant, Quod sunt iniurioſi in proximos. Quas enim copias his suppeditari æquius est & relinqui, trãsferunt eas ad alienos. Inest enim in tali liberalitate cupiditas plerunque rapiendi & auferendi per iniuriam, vt ad largiendum suppetant copiæ. Videre etiam licet, plerosque non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, vt benefici videantur, facere multa, quæ videntur proficiſci ab ostentatione magis quam à voluntate. Talis autem simulatio voluntati est coniunctior, quam aut liberalitati aut honestati.

Tertium est propositum, vt in beneficentia sit delectus dignitatis, in quo & mores eius erunt spectandi, in quẽ beneficium conferetur, & animus erga nos, & comitas & societas vitæ, & ad nostras vtilitates officia ante collata. Quæ vt concurrant omnia, optabile est: sin minus, plures causæ maioresque ponderis plus habebunt. Hactenus Cicero.

Modum itaque in largiendis muneribus princeps adhibebit eum, quem & natura ac ratio ipsa monstrat. Primum nempe sequè animumque metiatur suum, & quid se dignum sit, cui etiam ipse sit rei idoneus atque appositus, tanquam è statera perpendat. Persuadere enim sibi longe plura ac maiora, ad quæ neque sit omnino aditus,

neq;

neque via pateat vlla, vani est & seipsum decipientis hominis: longius vero cogitationes euagari sinere, incassumque conferre operam, quid est aliud quam in irritum iactare actiones suas? Oportet igitur æquum cumprimis esse sui ipsius, vitiumque ac facultatum suarum æstimatorem, dimensoremque minime vanum expetitionum suarum, ac rerum earum, ad quas contendit, consilio, opera atque actionibus suis omnibus. Persuadere autem sibi supra vires supraque ingenium, & attentare ea, ad quæ non sit accessus, hominis est inconsiderati, parumque omnino confirmatæ mentis; quæ in homine quidem magni animi maxime sedata esse debet, minimeque immoderata aut lubrica, suique ipsius ignara. Itaque difficultatem nullo in genere laudis ac virtutis euadunt rariores, quam in hac ipsa beneficentiæ iusta moderatione, quæ ab animi magnitudine, expetitionumque ipsarum atque ab ipso fine, qui est honor, vocata est magnanimitas. Cæsar diuina & humana peruertisse accusatur, dum cohibere animum, & in gyrum rationis agere cogitationes, atq; consilia aut nequit, aut parum vtiq; vult suæ. Maleq; & seipsum & res suas dimensum esse illud palam fecit, q̃ suis etiam à beneficiarijs confossus fuerit.

Publius Scipio tum ciuis, senatorque, tum imperator nũquam satis laudatus, qualis magnanimus esse debeat in beneficijs collocandis, operaq; multis impartienda, abunde quidem docuit. Quocirca benefaciendi studium viam sibi ad honorem maxime certam comparabit, conferendo

operam ſuam quamplurimis. Quæ enim res maiorem in ciuitate colligere poteſt beneuolentiam, quam beneficentia, quæ maiorem fidem atque auctoritatem adiungere, quam vt ipſe ſis, in cuius præſidiis omnes conſtanter ſperent, nemo vereatur iniuriam? Denique quid tantam poteſt ingenerare in animis ciuium admirationem, quam vt omnes videant, intelligant, ſciant, in te vno & publicum & priuatum ciuium bonũ eſſe collocatum. Itaque vbi tria hæc ſimul conuenerint, vt ament te omnes, vt fidem habeant, vt admirentur, quid deeſſe poteſt, aut non adeſſe ad honorem & gloriam aſſequendam. Scipio idem Africanus, quem, qui veris honoribus dant operam, proponere ſibi ante oculos, vt verum ac fortaſſe ſolum veræ magnanimitatis exemplum, & tanquam ſpeculum debent, non temere domum è foro ſe aut curia recepiſſet, niſi beneficio prius aliquo bene collocato. Itaque fertur de eo, quo die operam ſuam nulli contuliſſet, regreſſum eum domum non modo grauate id tuliſſe, verumetiam obiurganter queſtum eſſe, quod amici diem amiſiſſet. O vocem præſtantiſſimo viro, id eſt, Scipione Africano dignã! Nullum etiam præterriiſſe diem proditum ab ijs eſt, qui de Alexadri Seueri rebus ſcribunt, in quo non ille pium aliquid, liberale, humanum fecerit, publici tamen ærarij ratione habita, vt quamuis imperaret, ſciret tamen moderatum ſe prudentemque Reipublicæ diſpenſatorem eſſe debere? Præcipue igitur in hoc contendet, totusq; in hoc erit vir magnanimus vt proſit, ſi poſſit, omni-

omnibus: noceat nemini, nisi ratio iustitia, maxima honesta causa necessitasque aliter tulerit. Nam cum proprium magni sit animi, velle studere, adniti, quo in honore habeatur & precio, ijs ipse artibus dabit operam, quibus plurimos beneficij deuinctos maximæque obnoxios sibi adiungat: quæ sola est ac vera ratio alios subijciendi, videlicet neutiquam per vim atque iniuriam, sed vera tantum virtute, moribusque quam probatissimis. Quid enim est aliud, honorari velle ab omnibus, quam anteire omnes velle? hoc nisi per virtutem assequi quonam alio modo quis poterit? Namque ab inuito si extorqueatur, esse honor desinit. Cum vis hæc quidem sit ad comparandum in libera ciuitate dominatum, nequaquam tamen ad magnanimitatis assequendum decus accommodata. Etenim magni animi vir, qui ex hoc dictus est magnanimus, vel acerrimus libertatis defensor est, qui cum turpissimum esse ducat seruire aliis, vel inhonestissimũ quidem iudicauerit per violentiam atq; metum alios ad seruiendum compellere? Quando Hercules vt magnanimus monstra, hoc est, tyrannos atque impotentes homines domuit, liberasque ciuitates ac nationes esse voluit. Quonam enim pacto vi vtatur atque extorsione magnanimus, qui ab alijs beneficia accipere etiam oblata defugiat? cum sit eius proprium, nolle obligari, nemini debere, nulli esse addictum, quin deuincire sibi ipsi alios potius, ac subijcere conferendis operis ac beneficijs; quando eius qui beneficium confert, partes omnino potioris sunt ac superio-

ris,illius vero qui accipit,inferioris,longeq; nimis præstantis. Itaq; quã beneficiendo delectatur, tã ipse recusat,parumq; omnino honestum ducit,ac nullo modo suũ,ab alijs accipere fieriq; obnoxiũ. Quo fit vt & rogatus libenter & non rogatus spõte multa conferat in bonos scilicet ac beneficijs dignos: & quidem gratuito, solamque ob benefaciendi gratiam. Neque enim aut fœneratur vir magnanimus aut captator,minimeq; id aut agit, aut respectat, quo emat sibi eum,cui benefacit, Sed quia animi eius magnitudo sic ferat,ratioque quam sequitur, vt nihil inde expectet,præter beneficij conscientiam & honorationẽ eam, quam ex seipsis consuerint benefacta adducere, etiã aut nolentibus aut non cupientibus nobis. Nam etsi veteri est in prouerbio. Beneficium mereri retributionem, mercenarij tamen hæc ratio esse, viri autem potest nullo modo magnanimi, quem nec pecunia moueat,aut aliud remunerationis genus vllum, quam animi magnitudo ipsa, quã honor, quo se dignum iudicat, quem solum sequitur, ad quem actiones suas omnes, suaq; consilia refert cuncta:quo se alijs deniq; superiorem fore,omnibusq; anteferri cupit & summo etiam studio contendit. Tantum vero abest, vt de referenda sibi gratia,deq; remunerando sit solicitus, vt siquando vsu venire est necesse, beneficio se affectum esse senserit, ẽ vestigio det operam, quo se ab obligatione liberet,properetq; ad remunerandum. Cuius rei adeo multum inest ei studium, voluntasq; tantopere propensa, vt multiplicata remuneratione, peraccumulatisque meritis longe quidem

dem arctius atque contentius, à quo beneficium acceperat, illum ipsum sibi obliget, efficiatque, quod mercatores vsurpant, ex creditore debitorem. Est enim eius qui excellere cæteris cupiat, nolle cuiquam debere, minimeque aliis esse obnoxium. Quin illud præcipue cauebit, euitabitq; tanquam scopulum, supplicem se cuiquam facere, aut rogantis personam induere. Quod ad munus, si ratio, si necessitas, si maxima aliqua atque honestissima quandoque adduxerit causa, eum sese nihilominus geret, vt etiam in rogando eius appareat animi generositas, præstantiaq; illa magno & excellenti viro digna. Itaq; apud Virgilium Æneas tempestate iactatus, & partim missis, partim quassatis nauibus, his apud Didonem agit:

——. *Prohibe infandos a nauibus ignes.* Et;

Parce pio generi, & propius res aspice nostras.

Quo autem vultu quoque animo ea diceret, declarant illa:

Quem sese ore ferens, quam forti pectore & armis. Et;

Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.

Degeneres animos timor arguit. heu quibus ille
Iactatus fatis, & bella exhausta canebat.

Cæterum meminerit etiã is, magnanimus qui haberi vult, magni esse animi, placabilitatem vbique seruare & iniuriarum facile obliuisci. Itaque odium eius neque tenax erit, neque diuturnum, studiumque ac propositum vt est eius, superbos debellare, compescereque impotentes, sic victis seque prostantibus parcere, veniamque impertiri

sese dedentibus. Quid enim indignius, quam iniuriarum perpetuam habere memoriam, vulneraque refricare post obductam etiam cicatricem? Si enim (inquit Eusebius Sardus) constitutus in magistratu inimicitiæ memor fueris, in deteriorem conditionem teipsum das, & grauitate ac sanctitate, quæ requiritur in principe, teipsum priuabis apud conscios tibi, quod inimicitiæ indulgeas, & pro sanctissimis nominibus, & pro iudice, inquam, ac principe causam agentium hostis eorum turpissimo nomine appellandus sis. Principatum ergo gerens, ne reminiscaris inimicitiarum & dissensionum, si quæ prius tibi cum aliquibus interceserunt. Non enim ad regnãdum promotus es, vt teipsum vlciscaris, verum vt imperio tuo subditos etiam ab aliorum insidijs securos atq; tutos custodires, & vt custos esses recti, & magnæ Deæ iustitiæ minister ac interpres. Itaque si quid admiseris præter eius sententiam. aut deceperis ipsam, velut in Deam maximam delinquens, tum ab ipsa, tum à constitutis circa eam genijs custodibus & vltoribus pro factis vindictam expectato. Multi sane (vt inquit Plutarchus ad imperitum ducem) regum ac principum sine mente imperitos statuarios imitantur, qui Colossos putant ita demum magnos videri, si multum diuaricatos, distentos, & hiantes fecerint. Nam & illi, principes inquam, grauitate vocis, aspectus asperitate, morum & cõuersandi aspernatione magnitudinẽ & seueritatẽ imperij exprimere se putant. Cæterum oportet, vt idẽ Plutarchus inquit, quemadmodũ amussis, cum

cum plane recta & minime peruersa fabricata est, cætera, quibus admouetur & accommodatur, dirigit: similiter quoq; principem, vbi primum didicerit imperare sibiipsi, & animum suum recte instituere, & mores habuerit bene compositos, ita demum subditos regere. Nec enim cadētis est currere; aut incomposiți cōponere; aut parere nescij imperare. Quinimo, vt inquit Sopater in Epistola ad Hēmetenū fratrē, quos prius nō cognoscebat, & nihil ad se pertinere putabat amplius, quā quiuis homo communem hominum naturam, illos iam princeps fact⁹ reuereri debet, ceu iam notos & familiares, ac omnes sibi amicos esse videns paterna beneuolentia complecti. Fugiendaq; est omnis superbia & coniuncta ei vitia, vt sunt: arrogantia & pertinacia, tanquam humilis vilisq; animæ affectus. Sui enim obliuisci propter phantasiā breuis imperij magnam pusillanimitatem arguit. Curandum est tamen, ne dum probrosos istos excessus malitiæ vitare studet, in alteram improbitatis extremitatem turpiter impingat: lenitatem dico & humilem animi vilitatem. Quapropter oportet vere imperantem mansuetum simul & grauem erga subditos tum videri tum esse, seq; simul & clementem & malis infensum præbere: lente quidem puniendo, clementiam: malis autem indignando, improbitatis odiū præseferendo. Vt hoc quidem, fugienda esse mala; illud autem, non nimis implacabilem ijs, qui peccauerunt, esse fortunam, documento sit. Imperandi ergo modum singulorum moribus decēter accommodet, cum probis moderate, cum supinis vehementer,

cum audacibus acerbe, cum cautioribus denique leniter agens; pronior tamen vbique ad misericordiam sit quam ad rigorem, memineritq; quod obsequendo & placendo (vt inquit Plato in Polit.) hominibus rerum gerendarum commoditas acquiritur: austeritas vero amicorũ solitudinem parit. Sic consequetur, vt & in ipso imperij tempore, (vt inquit Eusebius Sardus) & post id, iustitiæ ac bonorum omnium à subiectis testimonium habeat. Sed extra oleas fere progressus sum. Clamabat Cæsar in acie illa Pharsalica: Parcite ciuibus. Digna vox Cæsare, si post eam victoriam publicæ libertati, ciuibusque ipsis, patriæ denique peperciſſet. Quid contra homine ratione vtente atque inter alios excellere cupiente, aut dignius, aut quod magis expectari ab eo debeat, quam deuictis vt parcat, detque veniam petentibus. Agesilaus ille rex, & imperatorijs & regijs laudibus abunde clarus, ex hoc ipso mirifice laudatus est, quod sua illa animi magnitudine remittentis condonantisque iniurijs potissimum vteretur. Cum autem vindicandi cupiditas ab ira foueatur, quæ studium ipsum vindictæ excitat, iratorum vultus, verba, oculi, motus vniuersi corporis declarant, quam ea dedeceat, quodque sanguinolentia illa ferarum sit propria. Et vero qui parcit, duplici ratione magnitudinem ostendit suam, & quod vicit (est enim victoris parcere) & quod illum, cui parcit, forte aliquando contra insurrecturum minime etiam timeat. Generosum itaque admodum illud Fabricij ad Pyrrhum: Saluum te ab

insidijs volumus, vt armis aliquando vincamus. Ferdinandus Neapolitanorum rex à puero conceptum odium seruauit ad senectutem. Itaque indigne multa præterque regiam dignitatem etiam in innocentissimos homines patrauit.

Multa etiam sunt, quæ partim ridere, partim despicere, partim quæ ne audire quidem aut scire velle magnanimus vir debeat. Idem Cæsar in ignem coniecit & literas & libellos aduersum se scriptos, minimeque à se lectos, maluitque ignorare maleuolentium atque aduersum se sentientium nomina, quam habere certam illis causam irascendi. Augustus quoque multi cum accusarentur, male quod & sentirent de eo & loquerentur, satis esse sibi dixit, qui nocere posset, penitus esse neminem; atque in ciuitate libera, linguas quoque ciuium liberas esse oportere. Generosius Alexander rex Macedonum, qui in detractores liberalitate quoque vsus sit, cum regium esse diceret, à quibus male audias, in eos etiam beneficentiam exercere. Generosissime autem Alexander Seuerus, imperator Romanus, deprehenso enim in coniuratione, tyrannidisque affectatatæ reo conuictoque Quinio Camillo senatorio viro, atq; ad se vocato: At ego, inqt, Quini Camille, vel etiã maximas tibi gratias ago pro suscepta Reip. cura, tantoq; in eam studio: quippe qui spõte eius patrociniũ susciperе volueris, q̃ non pauci & probati quidé viri persæpe oblatum recusent. Atque his dictis deductum eũ secũ in senatũ, quanq̃ ptimescentẽ ob sceleris cõscientiam, & commendauit senatoti-

toribus,& imperij participem ac ſocium appellauit, conceſſis etiam auguſtalibus ornamentis, ſecumq; in palatio habuit, adhibuitque in menſam. Quinetiam ſuſcepta aduerſus Germanos expeditione,ſecum vt proficiſceretur, hortatus eſt, proficiſcentemque vt ſocium proſecutus, donec ille pertæſus laborum, & abdicauit ſe imperio, & in villam atq; agros ſuos, ſenex iam ſeceſſit. Idem itaq; vt facile ponet odium, obliuiſceturq; iniuriarum, condonabitque placabiliter indigne admiſſa, ſic & à maledictis conuitijsq; abſtinebit, ac præſertim querimonijs,quęq; etiam homine indignæ ſunt, conqueſtionibus. An enim qui ſibi ipſi laudibusq; parcit ſuis, delectabitur maledicentia? Quiq; neq; captator eſt laudum, neq; earum curioſus, ſtudebitne obtrectationib. atq; conuicijs? quod muliebris eſt ingenij. An qui laudatoribus vix aures ſuas aperit, patefacietne eas aut vituperantibus alios, aut linguam ipſe ſuam ad criminãdum exacuet? Et cuius oratio & rara eſt & parca, & commendandis aliorum benefactis breuis, anne erit in opprobrijs atq; vociferationibus intemperata & multa? Nec vero prædicator ideo non eſt alienorum facinorum magnanimus, quod aut illis inuideat, aut quod occulta ea eſſe cupiat: ſed quia propter animi ſui excellentiam,cũ nihil ei videatur magnũ,non eſt admirator alienarũ laudũ ac benefactorum, nec etiam commendator ſuorum. Cum igitur pauca ſint quæ admiretur,quęq; digna ſe eſſe ducat, pauca omnino aggredietur, atq; ea quidem tantum,quę ardua,præclara,prorſus magna iudicet, atq; in quibus eius animus dilatari,

latari, & tanquam perſultare arbitratu ſuo valeat, pro animi celſitudine rerumq; ipſarum excellentia, atque cum Hercule ipſo ſemper conſtitutum habeat, virtutis eſſe domare quod cuncti pauent. Proindeque ſe ſuisq; conatibus atq; aggreſſionibus nihil dignum putet, niſi de quo recte dici ac iure poſſit: Hoc opus, hic labor eſt. Pauciq; quos ardens euexit ad æthera virtus.

Quæ cum ita ſint, fit hinc, vt rariſſimi euadant, qui vere quidem ſint exacteq; magnamini, ac nō vnam tantum aliquam aut plures forte aſſecuti virtutis eius partes. Neque enim beneficum eſſe eum ſolummodo oportet, nec iuſtitiæ cultorem, temperantiæ continentiæq;, verum etiam fortitudinis. Nam etſi pericula maxime difficilia, & in quibus pulcrum ſit emori, materia ſit fortitudinis, & quidam quaſi campus, in quo ea ſpatietur, nihilominus magnanimitas quoq; ſeſe in illis exercet, quæritq; ſuum ex ijs decus ſibi comparare atque honorationem. Vir itaq; magnanimus, vt eſt rariſſimarum omnino delector rerum, atq; etiam admirator (neque enim quæ parua ſunt pericula, vt ſeſe indigna, adit, & quia non multa ſunt quæ ab eo magna exiſtimentur, idcirca rara etiam ſunt, quæ ab illo adeantur) adibit illa tantum, quę magna quidem ac ſe digna duxerit, in quibus vtiq; illuſtrari abunde decenterque magnitudo eius poſſit, cum dignitate atq; excellentia, in illisque præ cæteris enitescere. Quod vt aſſequatur, euadatque voti compos, vitæ ſuæ minime parcet, ſecus enim vita ſe indignum putet, ducatq; indecorum viuere. Itaq; in maximis illis quidem pulcerrimisq;

rimisq; inceptis ita versabitur, vti in magnis maior ipse appareat, in maximis quoq; multo maximus ac præstantissimus. Ideoq; periculorum ipsorum erit contemnentissimus, quoq; maiora illa fuerint, eo se in illis fidentiorē præstabit, vt videatur etiā illa nihili ducere. Quo in genere Robertus Sanseuerinius dux Neapol. fortissimus sese præsentissimum ac maxime conspicuum semper præstitit. Inter alia honorifice de eo refertur. Cum aliquando Hierosolymam ad Christi sepulcrum, quo se voto damnatum absolueret, profectus esset, accidit, vt inde proficiscenti ad montem Sinan, quo in monte & D. Carthariuæ monimentum esset, & Deus Opt. Max. Mosi se ostendisset, describendis tabulis ac legibus Iudæorum generi, latrones Assyrij obuiam fierent, qui viam obsidebant. Hos cum aliquanto longius arenarum agitatu venientes animaduerteret, conuersus ad eos, qui Sultani sub publica fide eum deducebant, & quinam essent, percontatus: cumque illi metu repente consternati latrones esse Arabas respondissent, vagos, palantes, nulla lege coërcitos: ibi Robertus confirmatissimo animo cohortatus familiares ac comites, iussit vt sarcinulas explicarent, prandium enim esse parandum aduentantibus, deque puluere atque æstu fatigatis; inde vultu maxime hilari, vt erat statura totoque corporis habitu insignis, processit illis obuiam, arridensque venientibus comiter etiam eos accepit, multaq; per interpretes iucunde, familiariter ac maxime ridenter locutus fuit. Illi autem quanquam barbari

bari atq; inhoſpitales,& maieſtate viri commoti, & comitate ſermonis, pranſi cum fuiſſent, donati ab eo, quibus tum delinire poſſet muneribus; & gratias Roberto egerunt, quod ab eo tam comiter accepti eſſent, & valere hilariter cum iuſſiſſent, diſceſſerunt, quam maxime pacatis atque amicis animis.

Eſt inſuper etiam magnanimi proprium, ita lętari proſperis, vt ne id quidem nimis, eumque in illis ſeſe gerere, rerum vt humanarum nullo modo videatur immemori: ita etiam commoueri aduerſis, vt nullo pacto concutiatur deque gradu corruat ſuo. Sed miraberis fortaſſe quod dico, cōmoueri aſperis magnanimum, eundemq; lętari non omnino multū proſperis. Nimirum commouebitur, quia homo, quem natura ita conſtituit, vt lętetur iucundis, doleat triſtibus; nō conſternabitur tamen, quem ratio quidē ducat, & animi magnitudo illa vbiq; victorem ſtatuat. Etenim in magnum ac præſtantem animum, rerumque humanarum contemtorem non cadit conſternatio. Quid? inſolentemne facient illum ſecundæ res atque impotentem ſui? Minime id quidem. Nam quid obſecro honoris affluentia ſecundius? qui primum inter externa bona locū obtinet. Igitur ſuprema dignitas quē nō extulit, ſummusq; honoris gradus ſui nō reddidit immemorem, efferentne longe inferiora bona, minusque ab illo expetita? ac decoris ſui vt obliuiſcatur impellent? Quarū quidē rerū admiratione, vt pleriq; mortalium, neutiquā capiatur. Itaq; neq; magnanimus efferetur ſecundis, neq; deijcietur aduerſis.

Igi-

Igitur qui videantur aduersantis fortunæ ictus ac procellas ridere, quam sunt qui dominari rebus humanis velint, qui secundas res atq; ad votũ fluentes diuitias, opes, potentiam, non modo nõ admirentur, verum quandoque etiam contemnant, atq; despectui habeant: qui laudari res ab alijs suas minime ambiant, neque ipsi laudandis alienis, quasi earum admiratores sese profundãt: qui non quæcunq; pericula à se obeunda, vtpote parum digna magnitudine sua putent, nisi summa ea fuerint, atq;, vt ita dixerim, Herculea: quibus honor deniq; vix satis omnino videatur, quãuis ciuilium bonorum supremũ sit omnium: neque etiam quiuis honor aut qualiscunq; ; hi iure quasi quodam elati superbique iudicari solent à multitudine, atq; ex eo passim condemnantur. Sed aliud est profecto superbum esse, aliud retinere grauitatem, vbi & quando opus est, supercilium. Etenim honoris comes est grauitas, eademq; magnanimitatis socia; quæ sane, vt inquit Fulgosius, in verbis rebusq; cum superbia aut iactantia caret, in omni hominum genere laudatur; & tamen ijs præcipue, qui in ampliori fortuna constituti sunt, congruere magis videtur. Sic Themistocles, cum aliquando ad mare descendisset, vt occisorum Persarum stragem inspiceret, cum passim humi mortuorum corporibus militũ sparsos torques & armillas aureas videret, ad amicum conuersus dixit: Tu, qui Themistocles nõ es, ista collige. Grauissimo verbo ostendens, conditiones, quibus hominum gradus discriminantur, eas esse, quæ faciant, vt aliquid agere aut deceat

aut

aut non deceat. Sic cũ aliquãdo Simonides poëta eiusdem Themistoclis prætoris operam pro amico in re iniqua peteret; respondit Themistocles, nec Simonidẽ fore bonũ poëtã, nisi mensurã modumq; in canẽdis carminibus, q̃ scribebat, curaret: neq; se bonum prætorem habitum iri, si legibus ac iustitiæ alicuius gratiã præposuisset. Grauiter Lacedæmonij quoq; Philippo Macedonum regi responderunt, cum rem iniquam ab eis petiisset. Hoc enim responso vsi sunt Lacedæmonij Philippo regi: De eo, quod ad nos scripsisti, Non: nulla alia vel excusatione vel verbo addito. Grauissimũ etiam fuit responsum Syagri Lacedæmoniorum legati, cum vna cum Athenien sibus, quo tempore Xerxes expectabatur, ad Gelonem tyrannum Syracusanum missus fuit, vt in eo bello opem ab eo peterent. Nam cum Gelo offerret ducentas triremas, duo equitum & octo peditum millia, ac præterea grandem pecuniã, ac vim magnam frumenti, si Græci in eo bello eum ducem creare vellent; Syagrus respondit, non accipere se conditionem, quia ad quærendos milites & nõ ad sumendum ducem missus erat. Pluris enim patriæ dignitatem, quam eam necessitatem, in qua eos fortuna deprehenderet, facere voluit. Quæ sane magnanimitatis exempla iam allata nullam præseferunt superbiam Etenim superbus non potest esse magnanimus, nec econuerso. Superbiæ enim solet esse adiuncta crudelitas, cum è cõtrario magnanimi propria sit placabilitas. Est igitur magnanimus grauis, non superbus, mitis atq; ad parcendum propensus, non sæuus aut asper, faci-

lis aditu. non difficilis, de ſuo conferens, non eripiens alijs, quod vitiũ ſuperbiam ſequi ſolet illiq; inhærere. Idemq; tutator bonorum, propulſator iniuriarũ, bonus deniq; ipſe & vir & ciuis & princeps: ſecus enim honore eſſet indignus, cum prauitas ipſa ſumme ſit vituperanda, atque aduerſa fronte honori obſiſtat vituperatio, improbatioque reuerentiæ. Quomodo igitur ſuperbi erunt atque impotentes magnanimi, quorum peculiare munus ſit benefaciendi ſtudium? Deſinant igitur, qui male hac in parte ſentiunt, abuti vocabulis, & quæ grauitas eſt, eam appellare ſuperbiam.

Hanc ipſam vero ſuperbiæ opinionem multa ſunt quæ augeant. Primum commotiones viri magnanimi, quæ tardæ quidem ſunt ac ſine vlla leuitate; quæ enim magna, tarda, præ magnitudine videlicet ſua. Et cum honori, qui magnanimum antecedit, aſtet ſemper reuerentia, nimirum leuitatem abeſſe ab eo longius, eſt neceſſe, quæ reuerentiæ plurimum aduerſatur. Deinde vox etiam grauis ipſa quidem ac plena, cuius omnino ſonus nihil habeat muliebre, nihil puerile aut languidum, minime vero petulans. Quid enim in magnanimo languote indecentius? aut abhorrentius petulantia? In Iacobo Caldora duce fortiſſimo, iudicabatur vox tum plena & grauis, tum etiam canora, referre animi eius magnitudinem, & quandam imperandi auctoritatem. Qua è re habebatur elatior, cum eſſet ipſe quidem perhumano maximeq; compoſito ingenio. Sed parte in hac p̃cipue, nõ q̃d vulgus inepte ſentiat,

ſentiat, verum quid magnum virum deceat, magis conſiderandum eſt. Deinde oratio quoq; ſibi conſtans, eaq; breuior, atq; inconfuſa, verba ipſa expreſſa, quæq; præ ſe ferant pondus ac penſum, vt ne vllum prorſus vanitatis, inſidiarum, fraudis, intemperantiæ, libidinis ijs inſit indiciũ, ſed quæ animi potius præſtantiam, firmitatẽ atq; excellentiam repræſentẽt, tũ quotidianis in ſermonibus, tũ etiam in deliberationibus atq; inter cõſultandũ. Ipſa autẽ oratio nullo pacto aut ꝓpropera erit aut diuagans, temperandaq; linguę volubilitas. Qui. n. maximis de rebus eſt ſollicitus, ac neq; multis aut leuib. ſed paucis potius ac maxime grauibus intentus eſt, huic nullo pacto videatur conuenire dicẽdi celeritas, & quædã quaſi præcipitatio. Cum minime quidem ſit ei properandũ propter rerum tum magnitudinem tum etiam raritatẽ: quoniam, vt dictum eſt, magnanimus niſi magna non complectitur & præſtantia: q̃ quidem ipſa pauca prorſus per ſe ſunt, aut non omnino multa. Etenim magno qui grauatus eſt põdere, is onere ab ipſo, ne properet, impeditur: & qui paucis occupatus eſt, huic feſtinatio parum eſt neceſſaria. Adhæc neq; acrimonia, neq; maior vehemẽtia orationi eius ineſſe debet: torrensq; ille oratorius ab eo prorſus alienus. Nã neq; verbis ipſe innititur, verũ rebus ipſis potius, & collectio illa verborũ, efferẽdęq; orationis vehemẽtia, vidẽtur de animi eius magnitudine haud parũ detrahere, cũ fucare velle videaẽ orationẽ atq; illius fuco trahere alios in ſuã ſententiam. Itaq; & oratio & verba, & motus ipſe corporis, geſtus, ſtatus,

retinebunt vbique viro dignam grauitatem ac penſum magnitudini ipſi conſentiens. Inceſſus Catilinæ, inquit Saluſtius, modo cit⁹, modo tardus, fœdi oculi, color exanguis. Quocirca & inceſſus quoq; grauis eius erit, nec pedū modo, verum manuū quoq; atq; oculorū motus erit graui & præſtanti viro, quiq; præter honorē cætera nihili ducat omnia, conueniens atq; appoſitus, omniq; è parte congruens. Quæ quidem ipſa magnanimitati cum ſint coniuncta, ac rerum ipſarum maieſtati, aliterq; eam humilime ſordeſcere ſit neceſſe, quando magnanimitas ab omni prorſus abhorret vanitate, incōſtantia, fuco: nimirum apud homines, quibus rerum natura parum nota eſt, falſam illam ſuperbiæ opinionem ingenerat, quæ ſuo nomine eſt grauitas, maieſtati hominis magnanimi & rerū eius dignitati cōiuncta. Quod ita eſſe, probitas vndiq; ſpectata declarat, viuendiq; innocētia, atq; ad benefaciendū ſemper occupata ſedulitas, mensq; nunquam à publicis atq; priuatis beneficijs cōquieſcens. Minime vero inſolentē debere eſſe eū, aut rapacē, violentūve, aut rapto gaudentē, quę vitia ſuperbiam comitantur, hæc docent, quod minime eſt querulus, deq; ijs pſertim, quæ licet minuta ac paruiducenda, cum tamē defuerint in re familiari, indigētię vt ſuccurrat, nullo modo aut q̄retur apud alios de inopia, aut ſubueniri ſibi rogabit, ne videatur mēdicare, quod ab eius magnitudine penitus & ſit & videatur alienum. Cum magni ſæpe exercitus æquiſſimis ac maxime contentis animis famem tolerauerint, eamq; conſtanter ferēdo euaſerint victo-

res,

res. Adhæc insolentia, crudelitas, vis non cadũt in bonum ac probatum virum, bonitatẽ vero ac probitatem virtus præstat. Quod si per virtutem magno vir animo, & res moderatur secundas, & cõstat sibi in aduersis, nunquã committet, vt honor, diuitiæ, potentia labefactẽt adeo eius animi magnitudinẽ ac robur, vt dilabatur ad superbiã, aut vt habẽdi cupiditas impellat ad rapinam, etiã vbi facultates pro animi magnitudine parũ suppetent. Nec profecto & plurimorũ & præclarissimorũ ei virorũ hac in parte exempla defuerint: cũ ætas illa priscorũ Romanorũ talis omnino fuerit. Itaq; si q forte eiusmodi reperiantur superbi, crudeles, rapaces, violẽti, hi simulatores penitus habẽdi sunt magnanimitatis, cum vere sint nullo modo magnanimi. Quorũ cũ sit ꝓprium, præter honorẽ cætera cõtemnere omnia, quænã erit ista contẽtio, si ab habẽdi cupiditate & studio ad violenta rapiantur ac turpia? falsoq; inferiores sibi ex istimabunt alios, si à fœdissimis ipsi vitijs superabuntur. Oportet.n. virtute præclarisq; actionibus præferentem sese alijs hoc sibi vindicare. Nemo autem remota virtute iust⁹ esse æstimator aut sui aut aliorum potest. Nullus quantumuis diues ac potens, quantũuis etiam generis nobilitate insignis, dignũ se, qui alijs præsit, iure recteq; iudicauerit, virtute neglecta. Quæ vbi vires potestatẽq; retinebit suam, quas diximus opes ac facultates, superbum illum & impotentẽ aut petulantem, & nequam efficient nunquam, multo vero minus turbulentũ, facinorosum, aut in bonos præcipue grassan.ẽ, nec dijs ipsis parcent: nec hominibus.

Potentia namq; ſine virtute anne eſt aliud quam gladius in manu furioſi? aut diuitiæ, præterquam inſtrumentum ad omnem petulantiam atq; improbitatem? Itaque quam huiusmodi homines à magnanimitate abſunt, tam magnanimi ipſi, atque etiam longius ab elatione atq; impotentia, & earum ſocia crudelitate. Imo vero magnanimi comes erit vbiq; ſocia humanitas. Nam ſi placabilis, ſi odij minime tenax, ſi facile etiam parcit, neceſſe eſt ſit etiam & humanus. Adhæc magnitudo illa animi, niſi humanitate temperetur, in neruum rumpat oportet: neque enim ita ſe aliis præfert, aut tanti ſe facit, vultque haberi ab alijs, vt hominem ſe eſſe obliuiſcatur: cum ſciat, Deum nequaquam eſſe ſe, neque inter deos agere, ſed verſari inter homines, quorum maxime propria & peculiaris ſit humanitas. Non temere igitur à poëtis ficta, quæ de Salmoneo referuntur. Nero Auguſtus non minus fuit ridiculus quam crudelis: nam dum ſtudet, cantoribus muſicisque præferri omnibus, humanitatis loco, quam ſæuiendo in bonos exuerat, deſpicabilitatem induit atque contemtum. Quocirca vt iuſtitiæ rectitudo, liberalitati gratia, temperantiæ modus, fortitudini ſecuritas; ſic magnanimitati coniuncta erit humanitas, quæ & animi ſublimitatem atq; excellentiam moderetur illam, & prudentia duce dirigat: cuius ſubductu auſpicioque euadat magnanimus, vt omnium, qui virtute præſtant aliqua, omnino maximus, ſic etiam præclariſſimus.

Cæterum, quæres hic fortaſſe addubitabisq;, qualia

qualia viri magnanimi p̃dia, quales fundi, ædesq; esse debeant, qualis item ornatus corporis suppellexq; vniuersa. Dica ad hæc quæ sentio, queq; digna eo viro, de quo nunc agimus, videantur. Qui igitur cætera omnia præter honorem despicit, præterque magnitudinem illam animo infixam, quæque magnitudine ipsa digna videantur; nihil quærit aliud, nihil affectat, nihil admiratur; an curabit ornatum corporis ac cultum? qui communis sit pueris, mulieribus, effœminatis etiam hominibus. At nihilominus ornatus ac cultus cum honore simul dijs tribuitur, inq; bene constitutis vrbibus, nihil ornatu templorum prius, nihil sacrificijs ac ludorum pompis magnificentius. Quomodo igitur despectui habeatur à magnanimo? qui mea quidẽ sentẽtia, vt magnus ipse per se atq; animo maxime clarus, nec ornatu queret corporis honorari. pusilla sane de re: neq; ob lucra, quę mercatorũ p̃cipue sunt, fortunasq; prædiorũ. Cũ ob animi magnitudinẽ nihil sibi defuturum timeat, habeatq; persuasum virtutem abunde quidẽ omnia suffecturã, nihilq; in magnitudine illa animi, rerumq; q̃ ab ipso administrãtur, nõ summa etiã cũ vbertate affuturũ: ac si quid defuerit, paruũ omnino momentũ habiturum. Namq; ab Alexandro rege Macedone, antequam in Asiã transiret, distributis inter amicos ac benemeritos regijs ꝓuentibus ac reb. fere omnib. dicẽti Perdicæ: Eęquidnã tibi supereſt ô rex? Spes, ille respõdit: q̃ vox futuræ fuit magnanimitatis non obscurũ indiciũ. Verum cũ homo ipse sit, plurimisq; (vt qui magnis versetur in re-

bus) indigeat, nequaquam patrimonium vbi ei opulentum fuerit, negliget, quo benefaciēdi ſuppeditetur copia, alatq; abūde familiam, quiq; ſub vmbra eius degunt: quinetiam liberorum, parentū, cognatorumque, quod naturæ ipſius ius ac lex eſt, proque dignitate etiam ſua bene memor erit: quippe qui alia ratione futurus ſit & parum prudens & minime etiam beneficus, aut iuſtus, cum illis maxime deſit, quibus maxime teneatur. Quo fit, vt quod magnanimitas ipſa per ſe fortaſſe non exigit, & exigat & poſtulet ratio benefaciendi, ac iuſtitia ipſa, quæ humanæ ſocietatis arctiſſimum eſt vinculum, quando, vt dictum eſt, magnanimitas ipſa è quaque virtute, vt eſt ipſa præclara & nobilis, ſic pro natura ac dignitate ſua ſibi mutuatur accommodatque, quod eſt in illa præclarum & nobile. Itaque vt prudens paterfamilias, atque aduerſum eos, quibus maxime obligatus eſt, iuſtus, vtque benefaciendi etiam maxime ſtudioſus, nullo modo negliget res familiares, nec abijciet rerum earum curam, per quas benefacere etiam poſſit quamplurimis. Nam & Paulus Æmilius, licet ex tanta illa multiplicique præda Macedonica nihil intra domum præter gloriam intulerit, rem tamen diligentiſſime curauit familiarem. At Cæſar ſeruari apud ſe diuitias ac partas bello res prædicabat, quę virorum eſſent fortium præmia. Prudenter itaque magnanimus ac pro dignitate rem tuebitur familiarem, & quam ipſe aut parum poteſt ſuſcipere, aut ſe indignū ea iudicat, curā procuratiōnēq; miniſtris ac probatis viris demādabit. Quid

quod

quod nulla tam pudica est matrona, quæ nõ cultum pro dignitate admittat sua. Sunt Dij ipsi per se satis honorati, sine templis, sine aris, donamus tamen eos ędibus etiam magnificentissimus, ijsq; auro, argento, purpuraque instructis atque ornatis. Igitur & magnanimus idem præstabit ipse sibi in cultu corporis domesticoque apparatu, quod & dijs præstatur, quorum aras, ędes, statuas, & purpura ornamus & coronis; non quod inde sit ipse ornatior, (cui enim honor vix est satis, quantum apud eum habeant momenti aut aurata laquearia aut purpuræ?) sed quia naturale est, vt exactissimis ac perfectissimis quibusq; rebus accedat ornatus: qui & ipse sit etiam maxime conspicuus.

Porro cum certa quædam indicia ac signa sese exerere soleant in ijs, qui euasuri sunt magnanimi, ea conabimur hic ostendere: tametsi quem vere, hoc est, exacte perfecteque proferri in exemplum forte cupias, mea quidem sententia nullum habeas; id quod in alijs quoque virtutibus non raro contingit, & in plerisque item facultatibus, vt in Oratoria, in Poëtica, in Medicina. In quibus etsi permulti sunt qui partes aliquas, paucissimi vero qui exacte consecuti sint omnes. Namque vt est in veteri illo maximeque diuulgato prouerbio: Non omnes hominum contingit adire Corinthum. Adeunt autem illi, quibus magnum à natura præbitum est subsidium, eaque tãquam suffragatur nascentibus. Hæc igitur ipsa præsidia adiumentaque, indolem quasi quandam præ se ferunt illorum indicatricem, futuræque

magnitudinis ac virtutis. Id quod in Alexandro, Cæsare, alijsque quibusdam apertissime est cognitum: atque in Alexandro præcipue, vt à scriptoribus est proditum, cum maximi esset ac bellicosissimi regis filius: qui si, dum in quaque re magnitudinem illam magnanimo dignam retinet, ab ijs temperasset, quæ magnitudinem eam & natura ingenitam & moribus confirmatam vel turpissime fœdarunt, quem profecto magnanimum quærimus, prorsus haberemus. Nam Cæsar in libera natus cum esset patria, nec ea præstare puer potuit quæ Alexander, nec etiam adolescens, demumque vt iniustus, & minus in patriam ac publicam libertatem, quæ ipsi cum ciuibus vniuersis erat communis, impie grassatus est, Maior Africanus nec ad Alexandrum accessit, nec ad Cæsarem, licet Annibalis victor, domitorque Carthaginis, quæ tamen est assecutus, ea per omnes suos numeros adimpleuit. Itaque vt illi magnitudine vincunt rerum gestarum, sic hic perfectione & cumulo eorum omnium, quæ magnanimitatem comitantur. Puer igitur Alexander inter eiusdem ætatis æquales constitutus, quidam eum dum percontaretur, libenterne certaturus esset in stadio (pedum enim præstabat pernicitate.) Atqui perlibenter dicebat, si reges secum certaturi essent. Pares dignitate in certamine puer adhuc & pene infantulus requirebat. Perlatis nuncijs victoriarum, atq; expugnationum Philippi patris, conuersus ad æquales, qui astabant, non semel dixisse traditur: Male mecum â pueri agitur, nam dum pater cuncta sibi occupat, nihil mihi relinqt

egre-

egregium, q̃ vobiſcum poſtea exanclare habeam. Mortuo Philippo ac pturbatis tumultuantibusq; prouincijs, cum amici ſuaderent, omittẽdas Græciæ res, quiq; deſciuiſſent barbari, comitate illos clementiaq; reconciliandos. At, inquit, audaciæ potius tutandũ eſt regnum, atq; animi præſertim magnitudine, ſe vero peſſum datum à cunctis iri, vbi præſenſiſsẽt, remiſſius ab ipſo agi: è veſtigioq; coactis copijs aduerſus Triballos in Illyrium profectus, rege in pugna occiſo, profligauit eos. Idem Achillis ſtatuam veneratus cum eſſet, felicemque appellaſſet, quod Homeri præſertim ei præconium contigiſſet, inuitatus ad videndam Paridis citharã, imo vero ſtatim ſubdidit, Achillis ipſius quęritandam eſſe citharam, qua heros ille heroũm laudes resque maxime inclytas decantare eſſet ſolitus.

Cæſar vixdum pubeſcens quamuis dominante Sylla, tamen ad populum Romanum prodiens, fiduciæ plenus, diale auſus eſt ſacerdotium petere. Idem adoleſcens à piratis captus, pro redemtione quinquaginta pependit talenta, cum illi viginti tantum peterent, eos irridens, quod quem captiuum haberent, minime intelligerent, eis & ſæpius & palam minitatus inter iocos, quod ad vnum omnes in cruce eſſet exanimaturus. In alpium Gallicarum trãſitu iter ipſe in Hiſpaniam faciens, ignobile admodum cum præteriret oppidum, à paucisque atque iisdem maxime ſordidis habitatum incolis, ibique è comitibus quispiam per iocum dixiſſet: Ecquidnam & hos quoque inter certamen eſt de principatu ma-

magiſtratibusque adminiſtrandis? Conuerſus ad illum: At ego mehercule mallem inter hos eſſe primus, quam inter tot tantosque Romæ ciues ſecundus. Admirabundum primo eum, poſt etiã lacrymantem ad Alexandri Gadibus depictas hiſtorias, percunctati quidam lacrymandi cauſam cum requirerent, reſpondiſſe poſt aliquantũ ferunt, iure ſibi dolendum eſſe, quod qua ætate ipſe tum eſſet, Alexander innumerabiles ſubegiſſet & vrbes & nationes, cum à ſe nihil actum eſſet interim memoratu dignum.

Cum igitur qui & qualis magnanimus ſit, quæ etiam magnanimitas, quæq; magnanimi indoles, explicauerimus; non alienum fuerit ab hac materia, quantum fortuna ipſa magnanimo conferre ſoleat, declarare. Pompeius cognomẽto Magnus laborante vrbe vniuerſaque Italia rei frumentariæ inopia, huic rei à ſenatu populoque Romano præfectus, cum in Sicilia, Sardinia, Africaque magnam tritici copiam comparaſſet, ea nauibus impoſita, per multos dies aduerſa tempeſtas prohibuit, quo minus ipſe in Italiam atque ad vrbem cum frumento nauigaret. Itaque animi anxius, ac populo fame laboranti quamprimum prouidere cupiens, ad claſſem è continenti profectus, cum videret nauium præſides ac gubernatores omnes vereri ſe procellis committere, nolleque è portu ac ſtationibus ſoluere, nauim ingreſſus confeſtim ſolui ora iuſſit, maximisque increpat omnes clamoribus, ac vociferatur, nauigare quidem omnino neceſſe eſſe, viuere autem minime eſſe neceſſe. Nec multum inde

de abfuit, cum trepidantibus omnibus maximeq; perturbatis, ſecunda ex inſperato tempeſtas exorta eſt, à qua incolumi claſſe in Italiam perlatus, & vrbem Romam & finitimos populos fame liberatos etiam ſatiauit. Quid ſi atrocitas illa procellarum aut perſtitiſſet, aut etiam increbuiſſet? nam nec imperare procellis Pompeius poterat: quod nequaquam victori eius Cæſari ſucceſſit, cum cymbam ingreſſus e Macedonia Brunduſiũ atque in Italiam annauigare vellet, transportandi militis gratia. Ferdinando Neapolitanorum regi circumſeſſo pene Baroli in Apulia ab Ioanne Antonio Vrſino, ac Iacobo Picinino eius duce, ex inſperato cum claſſe affuit Alexander Caſtriotus cognomento Scanderbechus, cum equitibus circiter mille, nec multo minore peditum numero, quos ſecum à Macedonia deuehebat, quo laboranti Ferdinando ſuppetias ferret: non rogatus ipſe, non certior ab rege de obſidione factus, ſed beneficiorum tantum memor ab Alphonſo illius patre in ſe collatorum. Quamobrem repentinus Alexandri huius atque inſperatus aduentus, victoriæ Ferdinandi, quæ poſt ſecuta eſt, maximam attuliſſe cauſam iure quidem viſus eſt. Macedoniæ rex Alexander viſendi Ammonis cupiditate tractus, cunctis diſſuadentibus ac reformidante exercitu, arenas ingreditur, ea per loca proficiſcẽs, in quibus Cambyſes rex cum millibus quinquaginta hominum, ventorum vi atque arenarum turbinibus pene demerſus fuerat. Itaque cum ſitis paſſim timeretur, iterque incertum ſine veſtigijs ac procelloſum eſſet, præter regionis cœlique illius

illius naturam, imbres inter proficiscendum repente è cœlo fusi sunt, qui & æstum leuarent, & metum sitis adimerent, ac restincto puluere firmarent sub incedentium pedibus arenosum solum, nullo perflante vento. Quodq; fortunatius fuit vel diuinius potius, itineris duces cum deerrassent, præter spē affuere incedentib. alites corui, qui die quidem volatu, nocte vero crocitatione & cantu aberrantes dirigerent. Arato Sicyonio rē maxime difficilē ac periculosam aggressō luna & quidē pernox, itemq; nebula ac nubes fuere auxilio. Cum.n. Acrocorinthum admotis scalis nocturno aggressu capere decreuisset, luna ipsa iter militibus, qui præmissi ab eo fuerant, ostendit. Hi cum vrbi propinquassent, eoq; peruētum esset, vt arma videri ob lunæ irradiationē possent à vigilibus, densissima repente exorta è mari nebula, armorum aspectū penitus eripuit. Ipsi autem Arato cū alia manu proficiscenti per loca ignota & confragosa, luna fulgore suo viam similiter aperuit. Rursus vero constitutū vbi peruenit ad locum, ne conspici ab hoste posset, eadem ipsa sub nube admodum densa & atra delituit. Vrbe itaq; potitus cum aduersus arcem profectus esset, copiæq; aduentarēt aliæ, luna ipsa nubibus liberata, radiisq; eius fulgentissime collucentibus, armorum telorumq; ac militū numerum, staturam quoq; progredientiū, ita ingeminare visa est, vt terrorē hostibus mirificum incusserit. His igitur fortunæ fauoribus atq; auxilijs adiutus Aratus, & vrbe & arce præter omnium opinionem potitus est. Non modo autem fortuna, sed dijs quoq; & monitoribus

ribus & auctoribus, ijsdemq; suffragatoribus vsus videtur Lucius Lucullus. Nam cum in certamen descendisset cum Mithridate Ponti rege, nec detrectare vllo modo pugnam honeste posset, licet maxime id cuperet, cõspecta hostiũ multitudine, suorumq; paucitate; hic medias inter acies, cum paulo ante cœlũ minime turbatũ esset, igneus repente globus, argento candenti persimilis, maxime terribili fragore, ex aëre corruit, qui flammantis dolij speciẽ præ se ferret. Qua è re tãtus vtrunque exercitũ pauor inuasit, vt vterq; in castra redierit, religione deterritus. Idẽ trãsmissurus cum exercitu Euphraten, tumentem tunc imbribus ac turbulentum, cum lintribus comparandis daret operam, ac iungendis ratibus, ad traijciendum militem, noctu ita defluxit ac subsedit amnis, vt mane incolumibus copijs, illum vado inuento transierit, obstupefactis accolis, remque insolitam summum in modum admirantibus, ac Lucullum venerantibus, quod flumen ipsum ei & viam aperuisset (conspiciebant enim in alueo breuiusculas quasdam enatas repente insulas, antea nusquam visas) & transitum militibus tutissimum præbuisset: itaque passim prædicabant hæc absque Deorum minime contigisse fauore & munere. Hetrusci rerum in Italia potiti, cum diripiendis intenderent Cumis, quæ vbs ea tempestate in ora Tyrrheni maris admodum florebat, tum ciuium frequentia, tum diuitiarum magnitudine, propter agrorum vbertatem, & rerum, quæ mari comportabantur, affluentiam, quodq; Græca esset colonia, comparato exercitu pedi-

peditum quinquaginta millium ac duodeviginti equitum, vt memoriæ proditum est, castris haud procul Leborijs in campis positis, vrbem quotidianis vexabant impressionibus. Quibus artibus Cumanorum res in arctum ac prope in desperationem adductæ cum essent, accidit, siue Deorũ benignitate & opera, siue assiduis atque ingentibus maris tempestatibus, ab austro vrgentibus, vt Lyris atque Vulturnus amnes, qui finitimum in mare influunt, ab ostijs retrouersum, ad fontes dies plurimos refluerent, manantibus quoque è cœlo continuis atque immoderatis imbribus, omnis vt ea regio restagnaret, & quæ interiacebant proxime oppidum valles, aquis confluentibus obmergerentur. Itaque cum non vt antea Hetrusci palantes ferri possent, angustis admodum itineribus in vrbem irruebant. Quod animaduertentes oppidani, vtendumque in tantis periculis Deorum ope rati, muris egredi in pugnã decreuere, & cum hoste, conserta manu in locorum angustijs in certamen descendere: cum minime timendum viderent, propter lacunas ac restagnantes agros, ne ab hostium circumsisterentur multitudine. Cœpto itaque prælio, cum in acie quatuor cum millibus, aut paulo plus peditũ, equitibusque sexcentis, diuersis in locis acriter stetissent, collatis cum hoste manibus, tãta aquarum moles cœlo repente fusa, tot in hostem excussa è nubibus fulmina, tam emicantes fulgores in illorum ora oculosque ex aëre dissiluere, vt hinc locorum angustijs, inde stagnantibus vallibus, campisque pluuia natantibus, Cumano etiá ipso

ipso premente, Dijs quoque cœlitus fauentibus, tantus exercitus paucis horis fusus, atq; ad internecionem pene redactus à quam pauciſſimis fuerit. Quem ſibi ludum paraſſe fortuna viſa eſt, quo tyrannidem Ariſtodemo ſtrueret, cuius opera in ea pugna maxime perſpecta fuerat.

Ex his igitur quanquam paucis iudicari facile quidem poteſt, ad conſequendam magnanimitatis laudem, quantum etiam in fortuna poſitum ſit & collocatum. Quæ vero ſit magnanimorum fiducia tum in ſuſcipiendis inceptis, tum in faciundis atque obeundis prælijs, exemplis quoque, etſi non multis, teſtificabimur. Cæſarem iter cum exercitu facientem, Heluetij ex improuiſo adorti cum eſſent, & ipſe pedes inter acies verſaretur, oblatusque illi eſſet equus, vultu maxime hilari ſummamque fiduciam præ ſe ferente: Peropportune, inquit, pedibus pugnanti mihi adductus eſt equus, vt habeam quo paratiſſimo haud multo poſt vtar ad inſequendum hoſtem iamiam in fugam inclinantem. Ad Rubiconem cum peruenisſet, deque traijciendo eſſet amne inter amicos diſceptatum, ipſeque cum tacitus aliquantum deliberabundusque perſtitiſſet, obticentibus, vt in re ancipiti, ac dubitantibus illis, obfirmatiſſimo animo, Sit alea, inquit, iacta: iuſſitque ſtatim exercitum transmittere, atque eodem impetu animique confirmatione inceptum proſecutus eſt. L. item Lucullus cum Tigrane rege manum conſerturus pridie nonas Octobris à militibus cum admoneretur, diem eum atrum eſſe ac nefaſtum, quod eo die Romanus fuiſſet

à Cymbris cæsus exercitus: At ego bono, inquit, animo vos esse iubeo milites, hunc enim ipsum diem ex atro nefastoque maxime candidum ac felicem populo Romano faciam. Nec cunctatus instructis copiis, tumulum quendam pedes cum ascendisset, dimensus oculis ordines, situm, hostem cunctaq; cum perpendisset, conuersus ad suos, qui sequebantur, fidentissime exclamauit: Vicimus milites, vicimus; id quod statim secutum est. Euagrius Salaminius cæso patre à coniuratis, puer ipse regno pulsus in Ciliciam concessit, vbi adolescentiam egit. Itaque animo agitans, quanam ratione & patrem vlciscereturr, & regnum per scelus sibi ademtum reciperet, assumtis secum quinquaginta tantum delectis viris, naue comparata in Cyprum delatus, facta statim descensione, ac cohortatus socios ad rem strenue nauandam, recta quidem Salaminam petit, atq; ex improuiso vrbem ingressus, regiam adoritur, summaq; virtute expugnat, tyrannumq; ipsum conficit. Sola igitur fiducia animique magnitudine, cum exiguo admodum numero, pauciss imis non tantum diebus, verum etiam horis, cæsis aduersariis, regnum recuperauit, victorque paterno in solio consedit, multaque ex eo etiam fortissime gessit.

Quæ vero & quales sint magnanimorum cogitationes, quæ item cupiditates, mentisq; agitationes atq; consilia, declarare illud potest, quod nihil nisi magnũ animi eorum concipiant, nihil expetant nisi excelsum, rarum atq; omnium primũ. Arati Sicyonij illa summa & maxime generosa fuit

cura,

cura, ſtudium, conſilium, vt Græciæ vrbes à tyrannis liberaret, atq; in libertate conſtitueret. Antigonus rex & ſua & Demetrij filij opera induſtriaq; ſuccedentibus è ſententia rebus, cum pecuniis, copiis, opibus terra mariq; plurimum polleret, fortuna etiam ſecundo flatu aſpirante, vocato in cõſilium filio, ita quidẽ cum illo ſimul egit, vt nihil magnum adeo videretur, quod non aſſequi ſe poſſe confideret. Itaq; communibus ſimul ſententiis decreuere, ſeruientẽ Caſſandro & Ptolomæo Græciam ſuis opibus liberare. Quo haud ſciam an vlli vnquam reges aut natura iuſtius, aut commẽdatione dignius honeſtiusq; bellum ſuſceperint. Maxima igitur claſſe comparata, ingentibusque etiam inſtructis copiis, ſeruituti Græciæ Demetrius affuit, ſtatimque Athenas liberauit, quæ annis iam quindecim Caſſandri imperium ſeruiliter tulerat. Ex eoque patet & filius maximis & cogitandis & gerendis rebus nunquam defeſſi ſunt. Quod ni Demetrius præclariſſimas à ſe geſtas res voluptatibus inquinaſſet, nimirum poſt Magnum illum, ni fallor, Alexandrum, Græcorum omnium ſineducum ſiue regum gloriam ad ſe ob res fortiſſime geſtas traxiſſet. Quæ Alexander etiã adoleſcentulus animo cõceperit, quibus non gentibus nota ſunt? Idem hic per Indiæ fluuios ad Oceanum delatus, indeque ad Pſytulcin inſulam enauigans, contemplatus cum eſſet & littoris naturam & maris, quantumque adiri liceret, rebus diuinis rite iam peractis, id tantum Deos precatus dicitur, ſuſceptæ à ſe expeditionis terminos ne cui ſupandos mortali poſt ſe

vnquam concederent. Cæsar quo plures assecutus esset victorias, eo magis ad decus ac gloriam accendebatur. Itaque compositis tandem Romæ rebus, ni coniuratorum interceſſiſſent consilia, decreuerat Parthicum bellum suscipere: quo confecto per Hircaniam, perque adiacentis Caspio mari montiq; Caucaso regiones in Pōtum regredi, indeq; in Scythiam ac Germaniam, atq; illinc in Galliam, & per eam in Italiam, atq; ad vrbem tanquam orbis totius victor ac triumphator in patriam reuerti. Marcus Crassus, quanquam infeliciter suscepta expeditio ei cessit, Romanoque exercitui, tamen contra Parthos eo est consilio profectus, nihilque animo agitabat aliud, quam vt imperij Romani fines Caspium mare statueret, Indicumque Oceanum.

Qualis item quantusque in dando atque erogando magnanimus esse debeat, etsi de eius beneficentia & dandi studio in initio multa sunt à nobis dicta, Alexander tamen Macedoniæ rex apertissime id ostendit. Qua de re selecta quædam, deque eodem ipso exempla referemus, quæ magnanimi potius quam liberalis viri esse videantur. Capto Poro, rege maxime inclyto, cui & corporis ingentes inerant vires, & animi longe etiam maiores virtutes: hanc ipsam & corporis & animi excellentiam admiratus Alexander, scisscitabundus ipse quidem, magna tamen comitate adhibita, ab illo exigit, quanam se ab Alexandro ratione tractari, quemque erga ipsum sese gerere Alexandrum cupiat. Ad ea nihil Porus aliud, quam vt pro regia secum dignitate age-

ageretur. Rursus Alexander, numnam forte & aliud? Ad ea quoque & ille subdit, regiam dignitatem, quæ ipse cuperet, omnia secum continere. Quæ dicta cum Alexander pro sua, regiaque & Pori dignitate ac decore pensim examinasset, nō regnum modo illi restituit belli iure vindicatum, verum imperio eius latiores etiam fines adiecit, auxitque popularibus. Quid liberalius, si donum spectes? si victorem ac belli ius, quid clementius? sin animi magnitudinem, quid maius, ratius, memoratu dignius? Venerat ad Alexandrum Taxiles, vir & sapiens & opibus quam maxime insignis, quique magnæ opulentæque Indiæ imperitaret parti. Is igitur primis in congressibus & comiter & magnanime: Neque, inquit, remotissima in hæc à Macedoniæ regno loca ideo profectum te, Alexander, arbitror, quo deuictis nobis ea tantum adimeres, quæ ad victū necessaria sunt, vtque & terram & aquam, quod nostri dicunt, victis eriperes, pro quibus tamen & strenuis & sapientibus viris pugnandum videatur: maiora itaque his à te, tot tantisque laboribus ac periculis quæruntur. Quare sic, ô rex, habeto, si te forte Taxiles hic opulentior tuo etiam ipsius iudicio habeatur, conferendis in te muneribus abunde paratus, atque instructus venit ad certamen: sin maior ipse, longeq; me his instructior es omnibus, tua ipse in Taxilem, vt maior ac locupletior, confer & munera & officia, neque enim inferior tibi esse recusat. Ad quem nec degeneranter Alexander, necnon ex dignitate: Per Iouem, ego quidem, ô Taxiles, vel hoc vno pugnæ

tãtum genere decertaturus tecum sum, neq; ipse vinci abs te vllo modo patiar. Itaque quanquam plura ab illo accepit, longe tamen plurima in illũ Alexander contulit, vt post alia permagnaq; etiã munera, mille talenta familiaritatis ac beneuolẽtiæ gratia ad illum miserit. Atq; hæc quidem aduersum deuictos hostes. Superato autem Poro, proximisq; subactis nationibus, Philippum vnum ex æqualibus suis quinq; millibus præfecit oppidis vicisq; longe plurimis à se captis. Velle autem referre, quibus prouinciis quos præfecerit, quantusq; in hoc Alexander ipse fuerit, historiæ est potius, quam susceptæ de magnanimitate materiæ. Profusus fuit in eodem hoc liberalitatis ac magnanimitatis genere Marcus Antonius. Sed quis hominem laudet de publico erogantem? quando largitio ea iure ipso videri potest rapina. Alexander vt victor ipse sibi lex erat & aliis præscribebat. At Antonio Romanisq; aliis patria ipsa lex erat, ad quam referenda erant omnia, quippe cuius auspiciis pugnabatur.

Ne autem hunc tanquam vltimum de magnanimitate actum perinde ac neglectum relinquamus, magnanimorum quoque principum, eorumque laudatissimorum exempla quædam referemus: quibus & abunde constet, magnanimum virum virtutibus vndique omnibus munitum esse oportere: & qui volunt principes & Rerumpublicarum administratores in hac ipsa virtute potissimum enitescere, habeant quos potissimum imitentur, cum aperte viderint, quæ ipsi verbis prosequimur, extitisse qui factis ea actio-

ni-

nibusque & declarauerint illis, qui tunc temporis viuerent, & post se etiam aliis perpetuo testata reliquerint.

Breuiores vero erimus referendis Iuliani Augusti monimentis, propter nomen eius Christianis hominibus parum gratum: quippe qui à Christi religione, in qua natus atque educatus esset, parũ pie desciuerit: & quod à militibus oblatum per ambitionem imperium præoccupauerit, non expectato Constantij obitu, qui Galliæ eum cum imperiõ præfecerat, aduersus quem collectis in vnum copiis suis omnibus ac viribus armatus instructusq; processerit, paratus confligere. Magno igitur atque excelso fuisse eum animo illud docet præcipue, quod in imperio suo stabilitus, cum & animi sui excellentiã & Romani imperij magnitudinem per fortitudinem ac decus domitandis declarare barbaris vellet, essentq; è consiliariis senatoribusque, qui tum aduersus gentes alias, tũ maxime Getas, qui illo quoq; tempore Gothi vocabantur, & fidem sæpius fregissent & parum stetissent fœderibus, expeditionẽ faciendam suaderent, respõdit, maiorem rem magisq; strenuũ atq; generosum, qui cum confligeret, hostem quærere. Galatas enim mercatores, qui Romano subiecti essent imperio satis quotidie multos ære suo è Gothis coemere, quos perinde ac commerciales prouincialibus exponerent. Itaque quod generosiora ac maiore fama digna sibi proposuisset, in Parthos expeditionem suscepit, quo & cladium exercitibus Romanis illatarum vltor esset, & gentis bellicosissimæ, quæ per annos fere sexagin-

ta finitimarum nationum capitibus insultasset, victoriis suis titulum adiungeret, Parthicusque agnominaretur, cuius rei tanto tenebatur desiderio, vt lituos fere assiduus somniaret & prælia. Pugnauit autem aduersus immanes ac barbaros exercitus, collatis sępius signis vbique victor, profligatorque aduersariorum. Disciplinam militarem constantissime retinuit, quam à militibus seueriſſime seruari iussit, obeundis periculis ac prælijs maxime fidens, ac fortis, moderandis populis citra rigiditatem, iustus ac puniendis criminibus sęuerus. Ipse cǫntinens, gratus, liberalis, beneficus, in sacrificijs magnificus, rerum ciuilium omnisque vrbanitatis, naturæ etiam ipsius rerum eminenter doctus sciensque, ac doctissimorum hominum admirator & cultor. Qui si in qua religione natus, quaque instructus fuerat, in ea perstitisset, vix haberent, qui virtutibus eius ac moribus detrahunt, in quo iure in illum inuehęrentur.

Ante hunc longe maiorem præ sę tulit magnanimi viri speciem Vlpius Traianus aduersum numerosissimas maximeque feroces nationes, plurimis difficilimisque exantlatis bellis. Qua ę re & complures sibi titulos de victorijs comparauit, & Romani fines imperij longe lateque protulit. Nam & Germanos transRhenanosque vt compressis quiescerent spiritibus coegit, & Daciam finitimosque Daciæ populos subegit, compluribus transDanubium regionibus in prouincię formam redactis. Itemque trans Euphraten ac Tigrim. Arabiam quoq; imperio adiecit. Armeniam

à Par-

à Parthis occupatā recepit. Albanis ac Perſis regē dedit. Babylonem finitimasq; nationes ad Indiæ vſq; fines armis ſubactas cepit. Ad mare rubrum proceſſit, tribusq; ibi prouincijs conſtitutis, ingentē claſſem cōparauit, qua in Indiam traijceret. Tantas has bello partas laudes adornauit ſingulari humanitate, qua in oēs vtebatur, ſumma moderatione ac popularitate, Romæ pariter atq; in prouincijs amicos mirifice honorauit, ac beneficijs proſecutus eſt. Liberalitatem in omne genus hominū exercuit, & priuatim erga notos, & publice erga ciuitates ac populos. Vias ſtrauit, flumina pontib. iūxit. Ipſe ingenio maxime trāquillo & placido, moribus adeo cōpoſitis, imperatorijsq; virtutib. ita cumulatus, vt ab orbe terrarum Deo proximus haberetur: nam & mortuus inter deos relatus eſt, & ꝙ Romanorū imperatorū ante eum nulli cōtigit, intra vrbem in foro cōditus eſt. Hocq; poſt ei⁹ mortē in votis māſit atq; cōprecationibus, interq; bene ominandū, dū noui creārētur impatores, vt optarēt illū, qui creabatur, ſicut Auguſto feliciorem, ita Traiano meliorē. Ne autem ſigillatim dicta factaque illius in exemplum adducantur, ſcriptorum iactura in cauſa eſt.

Et quoniam Alexander Mammææ filius, Seuerus Auguſtus, magnanimitatis ipſius numeros aut iam expleuit, aut vt expleret, omni ſtudio contendit & opera: ex vita eius & rebus geſtis exempla ſi non omnia, quod inſtituti non eſt huius, non pauca tamen referemus, quæ declarare facile quidem poſſint, magnitudinem illū animi ſui omni è parte, virtutum ſimul omnium muni-

isse præsidijs. Nam qualis quantusq; animi vigor eius fuerit, illud præcipue declarat, quod prius in Parthos, post in Germanos ferocissimam ac maxime bellicosam nationē expeditiones susceperit, cum Tingitano interim bello Furium Celsum, Illyrico Varium Macrianū, Armenio Iulium Palmatum delegauerit: quibus victorijs consularia ornamenta decreuit, additis etiam sacerdotijs ac prædijs. Igitur mortuo Vario Heliogabalo, cum contaminata propudijs illius omnia ac sceleribus comperisset, quod tum prudentis esset viri, tum imperatoriæ dignitatis, senatum omnem expurgauit, eademq; diligentia & magistratus vrbis & prouinciarum, vrbem etiam ipsam, tanta ex moribus illius corruptio inuaserat. Itaq; impuros & flagitiosos homines publicis à muneribus imperatorijsq; ministerijs amouit, ab equestri item ordine ac senatorio. Tribus quoq; ipsas recognouit: neq; eos neglexit, qui militaribus donati fuerant prærogatiuis: nec magni ciuis, nec boni imperatoris esse ducens pati aut magistratuum impuritatem aut ciuium corruptos mores. Ex aula quoque eijciendos curauit, qui obscænis essent ac perditis moribus, aut quorum aula ipsa minime egeret ministerijs, publice obtestatus: & nequam & malum pupillum esse imperatorem, qui è visceribus prouincialium inutiles parumq; opportunos homines pasceret. Nequaquam enim magnitudo illum animi immemorem sui fecit, vt non consideraret publici census ministrum sese esse, ac dispensatorem, haberetq; ante oculos Varij profusiones familiaritatesq; inquinatissimas.

Legi-

Legibus constituendis de iure fisci, ac populi aliisque item sanciendis, præter graues alios multique vsus viros, viginti semper adhibuit Romani iuris consultos, vsusq; inprimis est Vlpiano & Paulo clarissimis illius temporis ac peritissimis viris. Romani principis ac terrarum orbis rectoris proprium cum iudicaret, & tueri leges & corrigere, proq; re ac tempore nouas condere. Quibus condendis alijsque item constituendis adeo circumspectus fuit & consideratus, vt quos præfectos prætorij statueret, eosdē in senatum quoque asciscceret, quod indignum iudicaret, de senatoribus alium, quam qui senatorio esset ex ordine, iudicare debere. Popularitate vero fuit tanta, vt præter affabilitatem quotidianam, aditum quoque ad se, non amicis modo ac familiaribus, verum etiam militibus cæterisque hominibus quam facilimum præbuerit. Nam humanitate ea quidē fuit, vt etiam milites, qui de morbo iacerent, visitaret. Quid enim magnanimo viro conuenientius, quam in summa felicitate summoq; in imperio hominem sese esse minime obliuisci? Commonefacientibus matri atq; vxori, ne tātam ob familiaritatem maiestatē ipsam imperij minus venerabilem redderet, Quin hac ratione, respondit, & securiorem illam mihi facio, ac magis magisq; etiam diuturnam. Quo circa excelsam illam animi magnitudinē his alijsq; tum Romano principe, tum magnanimo viro dignis studijs atq; artib. potissimū exornauit. Iusti vero honestiq; supra principes oēs studiosus fuit. Huius rei non exiguum indiciū est, quod Domitium Vlpia-

Vlpianum ac Iulium Paulum, præstantissimos iurisconsultos prætorij sui præfectos habuerit. Ipsum autem Vlpianum tantopere veneratus est, vt sine illo maius aliquid vix decreuerit, quippe quē etiā cænis ac conuiuijs suis testem vbiq; adhibuerit. Deniq; maioribus tractandis rebus, siue publicis siue priuatis, doctos semper viros adesse voluit: qui vero abessent, per epistolam cōsulebat: facile passus vel à mediocribus etiam viris corrigi, cum quibus ipse de ijs quę aut egisset aut acturus esset, conferebat. Negotia causasq; scriniorū præfectis, Romaniq; iuris peritis, viris quidem integris ac maxime probatis demā dabat, probe ab illis cognoscendas atque exanimandas, postque sibi referendas. In deliberando autem & consultando, ne imparatus quispiam respōderet, spatiū ad cogitandum præbebat. Si de iure tantū req; aliqua grauiori aut de moribus tractaretur, solos doctos ac disertos viros adhibebat in cōsiliū: sin de re militari, qui diutius versati fuissent in militia, quiq; locorum, regionum, ponendorumq; castrorum maxime periti essent. E literatis vero hominibus, præcipue qui historias noscerent, è quibus intelligebat consilia, artes factaq; ac dicta veterum imperatorum, tum Romani populi tum externarū gentium. Vsuras fœneratorum moderatus est. Iudices Romę artibus singulis constituit, vt sciret vnusquisque, ad quem causa quæque pertineret. Quos prouincijs rationibusque præfecturus ac præpositurus erat, eorum nomina populo proponebat, requirens, vt de ijs cogitationem susciperet, pœna impolita, si quis falsum perhibuisset testi-

teſtimonium. Nam & notarium falſi conuictum inciſis digitorum neruiculis, ne ſcribere vnquam poſſet, deportari iuſſit. Vetronium Turnum familiarem ſuum, quod fumum, vt ipſe dicebat, venderet: quippe qui præſe ferret, ſuum ad nutũ imperatorem cuncta facere: ad ſtipem alligatũ fumo exanimari iuſſit, excitato è ſtipulis humidis viridiq; è materia: nolebat enim ab aulicis ſuis, vt ipſe vſurpabat, vendi. Cõpilatores deniq; quosque fama erat, depeculari Rempublicam, abominatus eſt adeo, vt ſtomacho moueretur, quoties ex ijs, qui peculatus condemnati eſſent, obuium haberet aliquem. Itaque per præconem edixit, ne qui furti ſibi eſſet conſcius, ad ſe ſalutandum accederet. Condemnationes & rarius fieri & clementius, cauit, ipſasque vectigales eſſe ciuitatibus aut publicis inſtaurandis ædificijs, aut nouis faciendis. Libertinos equeſtrem in ordinẽ redigi minime eſt paſſus, quod ordo ipſe equeſtris ſenatorum ſeminarium eſſet. Itaq; maxime celebrata eſt illius vox, vt magnanimo principe digna: Egone de præfectorum capitibus ſenatorumque mancipia ære empta ſententiam ferre patiar? Itaq; moribus ipſe ſuis & Romæ & per prouincias cenſuram exercuit: non in rebus modo ciuilibus & publicis, verũ etiam militaribus. Nam milites ita continuit, vt ſi quis de via in prædium diuertiſſet, tum fuſtibus tum virgis cædi iuberet: quodſi militis ipſius perſona obſtitiſſet, cõtumelioſius obiurgabat. Dictum illud Chriſtianum, Aduerſum te quod fieri nolis, id tutemet aduerſus alium ne feceris; nõ ſolum libenter vſurpabat,

ſed

sed proclamari à præconibus mandabat, ac publicis celebribusq; in locis inscribi. Quocirca militem, qui aniculæ iniuriam fecisset, exauctoratū prius illi seruum addixit, qui labore eam suo aleret. Itaque quamuis maxime affabilis & erga milites officiosus esset, quippe quos Quirites vbique suos appellaret, neq; vnquā in expeditionib. nisi apertis cænaret patentibusq; tabernaculis ac post cænam statim milites admitteret, quos ad pocula etiā inuitabat, ac nulla vnquam ratione exercitū grauaret. Quin in expeditionibus illos faciēdisq; itineribus, mulis iuuaret camelisq;: & quos languentes vidisset, opportuna illis omnia submini-strāda curaret, matronisq; ac viris sanctioribus commendaret exsolutis impensis. His tamen è moribus ab ipsis militib. vocatus est Seuerus. Ac nihilominus auro argentoq; præter milites rarē-ter alios donauit, indignum ducens, qui dispensator esset publici ærarij, suas in delicias voluptatesq; atq; oblectamenta familiarium prouincialem pecuniam conuertere: quę quidem eo quoq; spectabant, vt à Varij profusionib. ac contaminatis moribus abhorrere, omni è parte iudicari vellet. Ipsos autem milites bene vestitos & calciatos semper habuit. Eratque in illius ore dictum hoc maxime frequens: Militem probe armatum, vestitum calciatumque esse debere, aliquidque habere semper in zonula. Siquidem instructum armis hominem mendicitatem ipsam ad quod non facinus ac desperationem esse impulsurā. Sciebat autem quem quisque gradum haberet in militia, quod etiam stipendia fecisset, quæq; exi-

sterent

ſtérent virtutes cuiusq; ac merita. Alexandri vero tũ ſeueritas tum animi celſitudo in expeditione Parthica potiſſimũ nota fuit. Nã Anthiochię cum eſſet, haberetq; cognitũ, milites lauaſſe apud Daphnem in balneis, ibiq; delicias feciſſe, illos ipſos capi cunctos, & in vinculis vt haberẽtur, impauit. Qua è re legio, ex qua illi erant, tumultuari cum cœpiſſet, ipſe in ſuggeſtũ aſcendẽs ſeueriſſima cõcionem habuit. Cumq; aſſueueraret ſe nullo modo paſſurũ, Romanã diſciplinã corruptum iri, tumultusq; ſtatim eſſet exortus inclamãtis legionis: Iſtas, inquit, voces aduerſus hoſtem exercete, non imperatorẽ qui vos alit: quas ni cõtinueritis, ego vos hodie ad vnum vſq; omnes dimittã Quirites, atq; haud ſciam, an Quirites, qui ius humanũ nõ agnoſcitis. Cumq; his auditis fremerent, ferroq; minabundi aſtarent: Ferrum, inquit, dexteraque in hoſtem exercendæ vobis ſunt: neque enim iſta me terrent, qui ſenatum, qui patres conſcriptos, qui Rempublicam vniuerſam habeam necis meę vindices. Tunc ingenti voce inclamans: Abite hinc, ait, ex Alexandri cõſpectu Quirites, armaq; è veſtigio proijcite. Tantus igitur ex his dictis milites terror cepit, vt poſitis armis ſimul ac ſagulis non in caſtra auſi ſint regredi, ſed diuerſo itinere in familiarium atq; hoſpitum domos exterriti confugerint; ſilentio errorem confeſſi: ac tametſi tricesimo poſt die exauctoratam legionẽ in locum ſuum placatus reſtituit, tribunos tamen ſecuri percuti iuſſit. Tanta igitur ſeueritas militem continentiſſimum præſtitit, vt non exercitus iter per prouincias facere, ſed ſenatus vi-

videretur, qua è re perinde ac Deus à prouincialibus ſuſcipiebatur. Ac nihilominus milites licet iuuenẽ, tamen vt patrẽ eum colebant, vt Dei filiũ venerabantur, quippe quib illo tribuẽte nihil ꝑfus deeſſet. Nam quantũ ad ſenatores ſpectat, eũ ſe erga illos geſſit, tanta humanitate comitateq; vſus eſt, vt ſub eo ſenator omnino perierit nullus. Se vero fortunamq; ſuam, ſummumq; illũ animi vigorem ita moderatus eſt, vt dominum appellari ſe paſſus nunquam fuerit; epiſtolas ad ſe ſcribi perinde ac priuatum voluerit, adhibito tantũ imperatoris nomine. Salutari vero ſe nõ aliter ſuſtinuit, quam vt vnus è ſenatorib. apertis foribus ac patenti velo. Salutandi vero mos hic erat & ſimplex & minime quidem ambitioſus, Aue Alexander. Si quis à ſalutantibus aut caput inflexiſſet, aut blandius locutus eſſet, quaſi adulator aut ridebatur, aut ſtatim iubebatur abire. Itaque vt ipſe cum amicis familiariſſime viuebat, ſic ad eius ſalutationem præter honeſtos & integra fama viros nulli admittebantur: quando parum bonæ famæ mulieres ad conſpectum matris atq; vxoris; ne admitterentur, imperauit. Eunuchos quoque palatijs eiecit, præterquã qui mulieribus miniſtrarent in balneis. Quid quod mulieres infames publicari; exoletos quoque deportari cauerit? A luxu autem ita abhorruit, vtin cõuiuio aurum neſcierit, abacũ eius ne plus ducentę argenti libræ adornauerint, quod videlicet in militum ſtipendia aurum argentumq; conuertendum duceret magis quam in ſpectacula, ſplẽdoremque minime neceſſarium, ac ſuperfluentem

tem: miniſtros ſuos ne publicis quidem in conuiuijs aurata veſte vti voluerit, quo moderatione hac ſua vrbanum quoq; luxũ moderaretur. Quid quod in conuiuijs aut Vlpianum, aut è doctis viris vnum ſemper aliquem adeſſe voluerit, cuius ſermone inter diſcumbẽdum oblectaretur? Cum priuatim cænaret, librum in menſa ſemper habuit, quem cænatus lectitaret. Denique publicis in conuiuijs eam retinebat ſimplicitatem, quam cũ priuatus cænabat. Conuiuia vero eius fuere ipſa quidem parca, ob publicum exemplum, nitoris tamen ſummi eximiæq; lautelæ, ſcenicas tamen in ijs voluptates abominatus. Gemmarum vſum virorum eſſe negabat, muliebremq; ad comtum iudicabat ſpectare. Ipſe vſus eſt chlamyde frequenter coccina, in vrbe tamẽ ſemper toga. Prætextam vero ac togam puram niſi conſul nunquã accepit, eamque de Iouis templo ſumtam. Conſulatum ter tantum inijt, in quo ſtatim alium ſibi ſuffecit. Quod vero dandi virtus erogandiq; cõſuetudo ac beneficentia magnanimitatis ipſius quoddam quaſi condimentum eſſet, liberalitatẽ ita exercuit ac beneficentiam, nullus vt dies præteriret ſine liberali ac benefica eius opera. Oleum quondam populo Romano à Seuero Auguſto conſtitutum, poſt ab Vario Heliogabalo ſublatum reſtitui iuſſit. Ter populo cõgiarium addita carne, ter militi donatiuũ præbuit. Præſides prouinciarum, quos integros comperiſſet, & honoribus & donis ita proſecutus eſt, vt vitæ reliquum poſſent honeſte ducere. Ipſa autem dona cõferebantur pro dignitate cuiusq; ac pro vitæ genere.

Siquidem magnificas ædificare solitus erat domos, quibus postea amicos, deque se ac Republica benemeritos donabat. Viros etiam bonos inopia pressos subleuabat conferendis agris, seruis, gregibus commodisque aliis diuersi generis. Rhetores Grammaticos, Medicos, Haruspices, Astrologos, Architectos salarijs prosequebatur. Oratores qui in foro versarentur, gratisque causas agerent, liberalissime est complexus. In ægros quoque nihil omittebat, quod præstare ipse posset. Vrbibus terræmotu concussis dari pecuniam ex vectigalibus statuit, instaurandis tum publicis tum priuatis ædificijs itemque ad publica construenda opera. Thesauros eorum esse decreuit, qui illos inuenissent. Quos ex amicis ac probatis viris sciret aut nihil petijsse ab se, aut parum quidem accepisse, vocatos coram hortabatur vti peterent, quibus opus esset, ne tacitum haberent, egre se ferre ostendens: quod dū nihil ipsi requirerent, debitorem constituere eum vellent: minime vero id se passurum, vt qui priuatus esset, de Augusto quereretur. Condemnatorum bona ita contulit dispositq; vt e tali collocatione sequi nullo modo posset infamia. Præfecturas, proconsulatus, magistratusque vbique distribuit, adhibito senatus iudicio. Superato Artaxerxe Persarum rege prædam omnem militibus concessit, quæ quidem maxima fuit ac locupletissima: quo tempore Persæ serui Romæ haberi primum cæpti. Vestes ornatusque corporis, post annum inter amicos familiaresque partiebatur. Demum vectigalia ita contraxit ima-

imminuitque, vt qui Varij tempore decem præstitisset aureos, tertiam tantum auri partem præstaret suo. His maxime exemplis iudicari potest, quæ & qualis esse debeat magnanimorum liberalitas, quodque etiam benefaciendi studium, mirificeque esse abstinendum illis à luxu ac superfluentia, ne suo præsertim exemplo ciuitatem inficiant. Magnificentiam quoque Alexander sic exercuit, vt animi magnitudini nulla è parte deesset. Thermas fecit, quæ Alexandrinæ sunt dictæ: addidit & thermis syluas: de oleo etiam cauit, vt & mane & vesperi in illis luceseeret. Ab Antonino Caracalla inchoatas & perfecit & exornauit. Balnea & horrea in singulis vrbis regionibus ædificauit ob ciuium commoda. Basilicam miræ magnitudinis inchoauit, quam morte præuentus non perfecit. In Baiano de matris nomine appellatum cum lacu & piscationibus palatium fecit, alia item ædificia in honorem affinium. Pontes à Traiano factos instaurauit, nomine suo non addito, nouos & ipse fecit. Statuas summorum virorum vndique tralatas in foro Traiani collocauit. In foro etiam D. Neruæ statuas posuit diuorum imperatorum cum titulis & rerum gestarum subscriptione. E Porphyretico & Lacedæmonio lapide immista opera primus instituit, plurimasque statuas hoc genere dispositionis diuersis in vrbis locis posuit. Quodque ad vrbis spectaret atque imperij dignitatem, carrucas, rhedasque, quibus veherentur senatores, argentatas esse voluit. Edendis quoque

ſpectaculis ludisque theatralibus magno etiam opere delectatus eſt. Pietatem vero ac religionem videtur inprimis coluiſſe. Cui enim virtuti vir magnanimus addictus magis eſſe debet quam pietati ac religioni? Cum præmium eius idem ſit illud, quod deorum eſt immortalium, honor ac reuerentia. Itaque vt omittamus, qua pietate vſus ſit in matrem, quæ quidem temporum illorum iudicio maior eſſe non potuit in omni obſeruantiæ genere, templa frequens viſitabat. Romæ cum eſſet, ſeptimo quoque die Capitolium aſcendebat. Rem diuinam ſuo in Larario mane primo faciebat, quoties cum vxore non cubuiſſet. Quo in Larario tum optimorum Principum ſtatuas collocatas habebat, tum ſanctiſſimorum hominum, & in iis Habraæ, Orphei, Apollonij, ipſius quinetiam Chriſti, Saluatoris noſtri, cui etiam dedicare templum cogitauit, cumque inter deos referre, diſſuaſus tamen ab illis eſt, qui dicerent, ſi id faceret, vniuerſos breui futuros Chriſtianos, veterumque ædes deorum quamprimum deſertum iri. Nam exorta contentione inter Chriſtianos & popinarios, de loco quodam, in quo Chriſtiani ſacellum ædificare inſtituiſſent, popinarij vero aduerſarentur, vt qui locum eum ſui iuris eſſe dicerent, conſultus imperator reſcripſit, ſatius eſſe Deum illic coli. Cæterum, quod argentum in templis dedicaret, non temere quinque libras exceſſiſſet, aureum vero tantum aut reticulum eſſet, aut bracteola, ſuſurrare Perſianum illud ſolitus: In templo quid facit aurum

rum? quod ad vſum quidem hominum eſſet inuentum, commutandasque ad res in vita agenda neceſſarias. Quod vero iudicari pium iure ſuo poteſt, præclariſſimorum virorum heroumque ſimulachra ſecundo in Larario venerabatur: in ijsq; & Ciceronis, cuius de Republica, deq; officijs libros frequentius lectitabat: & Virgilij, quē poëtarum Platonem vocabat. Dona, quæ à regib. accepiſſet, reponi in templis iubebat. Matri puellas ſacras inſtituit, quas Mamæanas vocari voluit. Iſium ac Serapium perquam decenter ornauit ſignis additis ac doliatis, quibusq; alijs myſticis opus eſſet. Quem autem imitaretur, elegit potiſſimum Macedonē Alexādrum, cuius laudes & audiebat libentiſſime & legebat hiſtorias. Itaq; ſtatuam eius inter Lararij diuos habebat, venerabaturq;: etſi ebrietatem condemnabat atq; in amicos crudelitatem, delectabaturq; eorum lectione ſcriptorum, qui illum ab ijs vitijs tutarentur. Ad ſecundam menſam in expeditionibus præſertim, militares admittebat amicos ac notos homines, quibus poculum dabat: Sume, inquiens, in honorem Magni Alexandri. Numos quoque ſub imagine illius ac nomine conflari iuſſit ex electro & auro: omni deniq; laborabat ſtudio, quo dignus Alexandri nomine videretur. In expeditione enim Parthica, qua regem illum potentiſſimū vicit, Alexandri ipſius exemplo & argyraſpidas & chryſoparidas, & phalangem conſtituit hominū triginta milliū, ſex e legionibus, ſimilibus inſtructorum armis. De ſeipſo, quod magnanimi proprium eſt, prædicari male libenter audiebat: pro-

inde que tum Oratores tum Poëtas, qui panegyricos de ipso scripsissent, audire nunquam voluit: hortabatur vero eos vt facta laudarent priscorum, maximeque Romanorum, cum primis autem Alexandri Macedonis. Quin & ipse cum esset maxime eruditus, vitas bonorum principum versibus scripsit, atque, vt traditum est, non inuenuste. Geometriam nouit atq; Astrologiam. Egregie etiam pinxit. In haruspicina auguralique admodum profecit. In Musicam pronus, nunquam tamen, quod imperatorium minime duceret, testibus cantauit vllis, præterquam pueris suis. Bonus & luctator fuit, & palæstrites: eratque mos eius publica post negocia, bellicasque ac ciuiles curas, legendis tum philolosophis tum oratoribus aut poëtis dare operã. Inde aut cursu, aut lucta, aut palæstrico alio ludo se exercebat, cum esset ipse iuuenis: siquidẽ mortuus est annum agens septimum ac trigesimum. Mortis autem ita contemtor fuit, vt in pugna illa Parthica inter tela, & qua maxime conferta erat acies, versaretur: nec imperatoris solum munia, verũ etiã strenui dextra militis munus edens. Cũ autẽ à Thrasybulo Mathematico prædictum ei esset barbarico gladio occubiturũ, lętatus dicitur, q̃ existimaret se in acie casurũ, ac dijs ipsis similem & parẽ futurũ, in pugna si caderet: quippe qui cum alacritate quadã animi referret Alexãdrum, Pompeium, Cæsarem, adderetq; & Ciceronem & Demosthenem, violenta morte diem obijsse. Delectatum vero eum tum doctis viris, tum etiam probis ac sanctis moribus, indicio

cio est, quod inter consiliarios publicis ac priuatis rebus deliberandis administrandisque, ijs potissimum, quos referam, vsus est: Vlpiano & Paulo, Romani iuris prudentissimis ac maxime integris viris: Fabio Sabino, tantæ grauitatis, continentiæ sapientiæq; vt Cato illius temporis haberetur: Ælio Gordiano, viro maxime insigni: Ælio Serenato, quem ætas illa sanctissimum iudicauit: Cæcilio Seuero, qui vir illius temporis sanctissimus est habitus: Claudio Donato, oratore amplissimo, & Q. Marcello, quem optimum fuisse Historicum, Spartianus est autor.

Fuimus fortasse longiores in colligendis Alexandri dictis ac factis; quod eo libentius fecimus, quod Alexander iuuenis ea præstitit ex omni parte, quæ senectæ ætatis videntur esse propria: neque hoc ambitiose, vt perinde ac historiæ scriptoris munus obiremus, verum quo palam exemplis faceremus, magnanimos etiam viros inuentos, qui virtutes cæteras magnanimitati coniunxerint, appositeque atque conuenienter à bonis philosophis dictum esse, virtutum quidem omnium ornamenta inesse debere magnanimo. Cæterum quo magnanimum ipsum perfecte teneamus, adijciemus hic verba ipsius, quæ deuicto Artaxerxe, Parthorumac Persarum rege in senatu atque ad populum habuit, ex quibus apparebit, quam parce, quam moderanter, quam etiam paucis de scipso deque tota victoria locutus fuerit: Neque verbis, inquit, multis opus est, nec magniloquentia. Artaxerxem rege relicto signis intra Persidis fines cōpulimus. Cen-

tum triginta millia equitum fudimus: Cataphractorum, quosq; Persæ clibanarios vocant, decem millia in pugna cecidimus, quorum armis nostros instruximus: Captos è Persis plurimos vendidimus ac seruire docuimus: Ex elephantorum numero, triginta cepimus, decem & octo viuos perduximus, ducenti interfecti, falcati currus mille & sexcenti capti: Mesopotamiam recepimus. Miles diues, exercitus victor domum in patriam redit. Quod reliquum est, quodque erga Deos immortales humana gratitudo exigit, supplicationes decernamus, ne deorum ipsorum parum memores tanta in victoria videamur.

Ex ijs igitur quæ in medium adduximus, satis constat, & iustitiæ & liberalitatis, & spectatæ cuiusque virtutis, maxime spectatas actiones in magnanimis viris tãquam perfloreſcere. Quibus tamen referendis etsi aliquanto longiores fuimus, non desistemus tamen à quibusdam etiam recensendis, quæ tum dicta, tum tentata illorũ nos magnanimitatis admoneant, qui ea aut dixere, aut tentauere.

Sextus Pompeius Magni Pompeij filius, qui Siciliam obtinebat, cum inde ex Africa à Lepido, hinc ex Italia ab Octauio, maximis terra marique exercitibus premeretur, decreuit vno eoque maxime illustri prælio decertare. Misit itaque ad Octauium, qui maritimum illum ad certamen prouocarent, quo de vniuersa re coactis semel viribus vtrinque ageretur, statuta die pugnæ, nauiumque etiam certo numero: quæ res

ne

ne ab Octauio quidem derrectata est. Idem antea cum Antonio atq; Octauio percussis fœderibus, cum illos in triremi accepisset in cænam, atque inter discumbendum ab Menedoro classis præfecto clam esset admonitus, vtriusq; capiendi, qua ratione & paternam vlciscereturnecem, & vniuersum sibi imperium vindicaret: cum Menedorus ipse ita prospexisset nauibus, vti euadere neuter in continentem posset, summa cum animi celsitudine respondit: Menedoro quidem id licere, cui peierare fas esset (fuerat enim seruus) Pompeio vero Magni Pompeij filio nequaquam licere. Vtrunque animo quam generosissimo.

Pullulantibus tam inter Antonium atq; Octauium discordiæ seminibus, cum hic Antonij familiares amicosque, alium alio per honestas dimitteret causas, Lucium quoque illius fratrem, quem antea fame pressum ad Perusiam in deditionem acceperat, mittere ad Antonium decreuit, cum mandatis; siue Lucium vt tentaret, siue quod ea per fratrem potissimum Antonio nota esse cuperet. Ad quæ Lucius, non vt liberalem modo atque ingenuum decebat tum ciuem tum senatorem, verumetiã vt summo ac maxime excelso animo præditum: Si meus, inquit, frater Antonius aduersus triumuiratũ pro patriæ libertate contra te, Octaui, moturus est arma, quanquam de me tantopere es benemeritus, clam tamen palamve ad illum proficiscar, aduersum te pro patria dimicaturus: sin ea est fratris sententia, vt sua tantum pro dominatione aduersum collegas sit bellum susceptурus, ego pro te, Octaui, aduersus

fratrem armatus atque in acie ſtabo, nequaquam deſiturus tua pro cauſa contra illum pugnare, quandiu inteliexero, patriæ in te libertatis curam ineſſe, quam & amicitiæ & generi vbique ſum præpoſiturus. Atque hæc quidem verba vt magnanimiter à Lucio dicta, ſic etiam ab Octauio maxima quoque cum admiratione ſunt ſuſcepta.

Nec vero indignum videatur cuiquam, ſi Iuliæ Antonij Triumuiri matris egregium tum factum, tum generoſa admodum [illegible] verba. Nam cum Lucius Cæſar, Iuliæ frater in illa triumuirali coniuratione morti eſſet deſtinatus, militesque ad eum occidendum concurriſſent, qui ad ſororis domum confugerat, illaque dignitate atque auctoritate ſua graſſatores initio arceuiſſet à limine, tandem in forum profecta, vbi Triumuiri cõſidebant, virili maxime animo, quiq; antiquum præ ſe ferret genus familiæque nobilitatem, ante filium ipſum conſtituta: Ego meipſam imperator accuſo, inquit, quæ Lucium fratrem meum, auunculum tuũ, penes me domi aduerſum edicta veſtra habeam, quę vt recte intelligas, habitura etiã ſum. Proinde ſcias, vno vtiq; gladio matrem cum auunculo ſimul transfigendã. Qua animi magnitudine effectum eſt, vt Planci cõſulis opera Lucij ſit Cęſaris incolumitati proſpectũ ac reſtitutioni.

Nec vero ab re fuerit, ſi alterũ quoq; ac tertiũ huic matronale exemplũ ſubdidero. Theſta Dionyſij tyranni ſoror, cum à fratre grauiſſimũ accuſaretur in modum, q̃ ipſa Polyeni coniugis fugæ conſcia, nullum fratri feciſſet rei eius indicium: ad ea, qua ipſa quidem erat animi magnitudine metusq;

tusque omnis expers: Adeone, inquit, Dionysi, ignaua tibi visa sum, degenerantiq; prorsus animo, vt non Polyxenũ maritum fuissem secuta, si eius mihi cõsilium fuisset cognitum, omnis eiusdem fortunę atq; ęrumnarũ comes futura ac particeps? ac si nõ sãtius vtiq; fuisset, vel exulantis ac profugi viri vxor dici, q̃ dominãtis Dionysij soror.

Tymoclia, singularis pudicitiæ matrona Thebana in direptione per vim à Tribuno cognita, illum haudquaquã multo post arte quadam vsã præcipitem dedit in puteum, deuolutis è vestigio plurimis in caput eius saxis, quo illũ omnino cõficeret. Accusata igitur à cõtubernalib. deductaq; ad Alexãdri conspectũ, & incessu ipso & corporis totius statu, quanquã captiua atq; à militibus tracta admirabilẽ præ se tulit animi magnitudinem. Interrogata igitur ab Alexandro, quænam esset quoq; ẽ genere? tum ipsa animo maxime confirmato, vultuq; robur ipsum animi referente: Ego, inquit, ô rex, Theagenis soror sum, eius inquam Theagenis, qui dux exercitus in Cheronęa aduersus patrem tuum Philippum, instructa acie pro Græciæ libertate pugnas fortissime occubuit. Admiratus igitur matronæ magnitudinem animi tãtam Alexander in summa etiã calamitate, & in respondẽdo & in vindicando vim illatam, liberam eam cum omni familia esse iussit.

Phocion Athenienſis cum iniustissime duceretur ad supplicium cum alijs etiam quibusdam ciuibus interrogatus ab amicis, qui illum honoris gratia atq; amicitiæ sequebantur, vellet ne per eos ipsos filio aliquid significari: Vt illatæ in me popu-

populo ab Athenienſi iniuriæ prorſus obliuiſcatur. Cum autem venenum deficeret, quod in illis alijs abſumtũ fuerat, mortiq; afferreẽ mora à carnifice, ꝙ vellet duodecim ſibi prius drachmas à à magiſtratu pro veneno ſolui, tanti enim eius venibat vnciola: Non ſtabit per me hoc, inquit Phocion, vocatoque ex ijs, qui ſequebantur, amico: Quando, inquit, emori Athenis, niſi emta prius morte non licet, huic quæſo pretium veneni nomine meo exoluito.

Caius Cæſar dictator, tum admonentibus, tũ obſecrantibus ex amicis non paucis, vti cuſtodes ſibi adhiberet corporis, Sullæ pręſertim exemplo: Quanto, inquit, ſatius eſt ſemel emori, quam mo-mẽtis ſingulis ab metu ac ſuſpicione cruciari. Idẽ cum animaduertiſſet, ſuſpenſum in Aruernorum templo gladium, perinde ac ſpolium quoddam eius, ſubriſit, detrahique illum è teſtitudine ab ijs, qui notam inde afferri victori ipſi exiſtimarent, minime paſſus eſt.

Alexandri Magni dictum quam celebratiſſimũ eſt, regis id eſſe proprium, à quibus male audierit, in eos beneficentia maiore vt vtatur. Suadentib⁹ amicis, noctu cum Dario pugnandum eſſe, ne ſi aperto pugnaretur Marte, tanta hominum inſpecta multitudine, miles conſternaretur, maximo cum ſupercilio inclamauit: Victoriam ſe nullo modo furaturum.

Ex quibus omnibus abunde ſatis dictis appareat, quæ ſint magnanimi ipſius partes ac munera, quem ſatis etiam conſtet in magnis verſari, quib. ſe omnino dignum, ac iure quidem ipſo & dignũ

&

& benemeritum putet, atque ad ea capeſſendum maxime idoneum; qua quidem in amplitudine rerum actionumque videri merito ſuo non ſummus modo verumetiam admirandus queat. Ac nihilominus quoniam à dignitate minimè recedit, ac decoro, mediocritatem vtique ſeruabit, idque etiam temperamentum, vt neque à medio ipſo diſcedat, talemq; ſe exiſtimet, qualis haberi dignus eſt, talia etiam agat, qualia animi eius magnitudini conueniant. Quando nec à medio, vt dictum eſt digreditur, qui neque plus minusve quam par eſt, agit: neque ſe aliter gerit, quam vt dignitas eius poſtulat, & quam eius ipſius muneris eſt atque officij.

CAPVT IX.

Quomodo pecunia repoſita ſit aſſeruanda?

QVANDOQVIDEM inſidias adulatorum & aſſentatorum, quibus peculium principis notum eſt, difficulter euitare princeps poteſt, eſt vt pecuniam certis vſibus adhibeat, vnde in paraſitos non facile queat redundare. Varia in hoc veterum cautio fuit. Imperator Auguſtus pecuniam, in imperij ſumtibus cõparſam ad vſuram, fideiuſſoribus acceptis, credidit: Antonius pius ad vſuram quincuncem: Idem Alexander Seuerus fecit.

Neq; tamen hæc à principe ita intelligi velim, vt etiam ſuam pecuniam ad vſuram elocet. Tantum enim abeſt, vt principe id dignum ſit, vt etiam à ratione longe diſſitum in expreſſum Dei

VER-

verbum manifeste impingat. Gratis mutuo dare pecuniam duobus modis prodest. Primo enim fideiussores de securitate creditæ sortis melius cauent: deinde vero subditis illa ansam ditescendi præbet: id quod principi maximopere prodest; Romani tempore pacis & otij thesaurum suum argenteum & aureum liquefactū in massam tegulæ non absimilem redigebant. Reges Marocci ex thesauris suis globos factos in summitatibus summorū Moschorum siue templorū collocarūt. Nostra tempestate principum thesauri in ferreis cistis reconditi adseruantur. Has Guilielmus dux Mantuæ ioco magnos diabolos vocare solebat. Et hæc de pecunia satis.

CAPVT X.

De populo.

DEINCEPS de potentia, quæ vere nominari potest potētia, & in populo cōsistit, nonnihil agamus. Omnis potentia, quæcumq; esse potest, in hoc est fundata. Cui multus est populus, is omnibus quoq; abundat, quæ humana industria & intelligentia complectitur: id quod ex sequentibus, vbi hæc vocabula Populus & Potētia promiscue pro vno & eodem vsurpabūtur, planū euadet. In populo autem duo considerantur. Multitudo nimirum & Fortitudo.

CAPVT XI.

De populi multitudine.

CVIVIS ordini inprimis salutaris est magna populi frequētia. Ait enim Seruius Tullius, ciuitati res arduas moliēti, præclaraq; facinora acturæ nihil æque necessariū esse

esse ac frequentiã ciuium, qua ingruentibus belli difficultatibus confidat. Quod si enim numero pauci sunt, facile aut pestilentia, lue cõtagiosa aliove symptomate tollentur.

Viderunt hoc Spartani. Victi enim in pugna Leuctrica cum ciuibus circiter mille septingentis desideratis simul imperium Græciæ amiserunt. Thebani & Athenienses à rege Philippo vnica pugna fuit plane protriti & euersi sunt. Contra vero imperio Romano totus orbis fere cessit, non tam virtutis ergo, quam multitudinis ciuium: quã arguunt bella etiã remotissimis in locis eodem sæpenumero tempore gesta, in Italia, Gallia, Hispaniã, Sicilia, Sardinia, Macedonia & alibi.

Nonnunquam vno pluribusve locis fusi plurimos suorum desiderabant: semper æque forti animo: quod quo maior accepta esset clades, maiori agmine vbiq; confluerent. Hinc Cineas Romam, si qua eius mentio incideret, multorum capitum Lernæam hydrã nominabat. Rex Pyrrhus ingenti prælio Romanis deuictis cum breui dierum cursu Romanos maximas copias de integro coegisse animaduerteret, obstupuit, omniq; spe deinceps eos vincendi abiecta de pace ad Romanos misit; sed frustra. Multitudine militis procul dubio Carthaginensibus Romanus fuit superior: siquidem Romanæ clades semper maiores fuere, quam hostium. Primo bello Punico Romani quinqueremes circiter septingentas amiserunt: Carthaginenses vero duntaxat quingentas. In secundo bello Punico in pugna ad Cannas facta plures cecidere Romani quã Carthaginenses toto illo bello.

Indu-

Indubitatumque est apud Historicos Romanos, in bello contra Pyrrhum, Numantinos, Viriatos, Athenianos, Sartorianos, Spartanos plures amisisse, quam obtruncasse. Victoria tamen penes eos semper fuit, propter populi multitudinem. Arabes, Saraceni, Tartari, & nostro seculo Mamud Massagetarum rex, quem tota India perhorrescit, Turcæ, res multas præclare gesserunt, plures tamen multitudine populi, quam robore & virtute.

Accedit huic quod subditorum multitudinem magna etiam opum possessio comitatur. Multitudini enim subditorum tributa, census, aliæque pensitationes respondent, & copiosam fisco accessionem adiungunt. In Italia & Gallia non facile inuenias argenti siue aurifodinas: maior tamẽ his est copia auri & argenti, quam vlli Europęæ regioni. An hæc aliunde quam à frequentia incolarum promanat? Hi pecuniam cõmerciis & negotiationibus suis, quibus ad diuersas mundi plagas excurrunt, important. Multus populus necessario ferax & cultum solum, vnde non tantum peti potest victus, sed & conueniens rerum materia, requirit. Memoriæ prodidit Suidas suo tempore Galliam fuisse cultissimam, magis tamẽ populi multitudine quam solertia. Atqui certissimũ est abundantia diuitiarum iuxta ac multitudine commerciorum tam res priuatas quam publicas mirum in modum proficere atque adaugeri.

Etsi hactenus Hispania inculta fuit habita: nõ tamen id factum est, quod regionis natura esset aspera & inepta producendis frugibus: sed quod magna

magna esset incolarum solitudo. Est enim ea regio omnium, quæ vitæ ciuium sustentandæ vsui sunt, feraciſſima: Et profecto, si grauiter excoleretur, varios fructus immensæ turbæ alendæ produceret. Qualis enim olim fuit? Certe constat, priſcis temporibus non tantum vnicum exercitũ; sed etiam Romanorum & Carthaginensium copias præter suos incolas vno & eodem tempore aluisse. Neq; extitit vlla regio, quæ pluribus bellis Romanum afflixit quam Hispania. Quoties enim fusi victiq; fuerunt, toties maiore exercitu collecto arma repararunt.

Sed omissis veterum negotiis aliquantum recentiora memorabo. Constat regem Granatensem in bello cõtra regem Ferdinandũ vltra quinquaginta millia equitum duxisse. Tantæ copiæ, vt maxime omnia loca excutias, neque in Hispania neq; in Portugalia iam cogi possent. Quid vero causæ est? Anne vis & habitus soli mutatus? an diuersus ibi aër? Neutrum horum. At hæc est vnica huius rei causa, quod incolæ sedes suas spõte mutauerint, quo factum est, vt etiam incolarum paucitate agriculturę studium hactenus vt plurimum conticuerit.

Pauciores iam sunt incolæ, atq; ante fuerunt, quam Hispanis Mauri arma inferrent: Eo.n. bello (præter captiuos in Barbariam mancipatos alioq; dispersõs) intra trium mensium spatiũ septies cẽtena millia hominũ & amplius perierũt. Hinc insecutũ bellum, quo Hispani Mauros vltra quingẽtos annos persecuti tandem Hispania plane eiecerunt. Interea temporis tot vtrobique homines

Digitized by Google

neci dati, vt magna vaſtitas etiam integrarũ, prouinciarũ ſit ſubſecuta. Bellum hoc finitum nihilo pacatiores & trãquilliores fecit Hiſpanos: infeſtis enim copijs Africanos, Neapolitanos, Inſubros, nouas inſulas, deniq; Belgium, vbi ſoli affectabãt rerum ſummam, inuaſerunt. Quot credis in tãtis & tam diuturnis tumultibus calamitate bellica conſumtos? quot Martis vi perculſos? De ijs, qui indies in p̃dictas regiones ibi habitaturi, negotiaturi, aut vrbes defenſaturi abeunt, in p̃ſentia nihil aliud dicere habeo, quam q̃ numerari nõ poſſint.

Adde q̃ rex Ferdinandus publico edicto (quod poſtea rex Emanuel Portugaliæ imitatus eſt) oẽs Iudæos, quorũ rationem ſi ineas, circiter centum viginti quatuor mille familiæ fuerunt, q̃ vt vulgo creditur capita efficiunt octies centena millia, ſua ditione eiecit. Turcicus vero Imp. Baiazethes magno errore regis perpenſo ſolebat dicere, mirari ſe regis Ferdinandi ἀcumen & intelligentiam, q̃ ea re, quæ imperijs potentiã adderet, tanto nimirum populo ſe priuaret. Clementer itaq; exulib. Iudæis ſuſceptis certas fixit ſedes Rhodum, Salonicam, Cõſtantinopolim, S. Maurã aliasq; plures.

Sed & hac de cauſa in prædicta regione agricultura minus exercitata, imo plane tandem iacuit, q̃ populus naturæ ſuæ ingenio in arma procliuior bellis magis eſt addictus, facileq; in militiã abit, & opes & exiſtimationẽ nominis inde amplificatũ.

Colophonis loco in diſcurſu obiter adijcio, Hiſpanis non tantum exiguæ curæ eſſe agriculturam ſed etiã opificia manuaria. Vix igitur ſol aſpicit regionem, quæ minus opificum & ſolertiæ humanæ ha-

Digitized by Google

habeat: hacq; de causa lanæ, serici aliarumque rerum maxima pars alio asportatur: Reliqua vt plurimum ab Italis elaboratur: Vineæ vero & rus à Gallis coli solent.

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia LIBER OCTAVVS.

CAPVT I.

Potentia duobus modis crescere potest.

POPVLVS. siue potentia dupliciter augescit: Primum tuorũ dilatatione: & aliena legitime ad se pertrahendo. Sua extendere quis potest agricultura, subsidijs ad puerorum institutionem, promotione artium & opificiorum, & colonijs deducendis. Aliena legitimo titulo ad nos pertrahimus, hostiũ deditione, languefactione finitimarum vrbiũ, municipij collatione, familiaritatibus, fœderibus, stipendijs præclarorum hominum, affinitatibus alijsque rationibus: quas ordine, succincte tamen, pponemus.

CAPVT II.

De agricultura.

RES oprima est agricultura: qua bona sua quiuis sine alterius detrimento meliora reddere, augere & extendere potest. At sub nomine agriculturæ omnis ratio ac modus res colendi, qualis qualis ille sit, intelligendus venit. Agriculturæ Romani, inprimis

Digitized by Google

spectaculis ludisque theatralibus magno etiam opere delectatus est. Pietatem vero ac religionem videtur inprimis coluisse. Cui enim virtuti vir magnanimus addictus magis esse debet quam pietati ac religioni? Cum præmium eius idem sit illud, quod deorum est immortalium, honor ac reuerentia. Itaque vt omittamus, qua pietate vsus sit in matrem, quæ quidem temporum illorum iudicio maior esse non potuit in omni obseruantiæ genere, templa frequens visitabat. Romæ cum esset, septimo quoque die Capitolium ascendebat. Rem diuinam suo in Larario mane primo faciebat, quoties cum vxore non cubuisset. Quo in Larario tum optimorum Principum statuas collocatas habebat, tum sanctissimorum hominum, & in ijs Habraæ, Orphei, Apollonij, ipsius quinetiam Christi, Saluatoris nostri, cui etiam dedicare templum cogitauit, eumque inter deos referre, dissuasus tamen ab illis est, qui dicerent, si id faceret, vniuersos breui futuros Christianos, veterumque ædes deorum quamprimum desertum iri. Nam exorta contentione inter Christianos & popinarios, de loco quodam, in quo Christiani sacellum ædificare instituissent, popinarij vero aduersarentur, vt qui locum eum sui iuris esse dicerent, consultus imperator rescripsit, satius esse Deum illic coli. Cæterum quod argentum in templis dedicaret, non temere quinque libras excessisset, aureum vero tantum aut reticulum esset, aut bracteola, susurrare Persianum illud solitus: In templo quid facit aurum

rum? quod ad vſum quidem hominum eſſet inuentum, commutandasque ad res in vita agenda neceſſarias. Quod vero iudicari pium iure ſuo poteſt, præclariſſimorum virorum heroumque ſimulachra ſecundo in Larario venerabatur: in ijsq; & Ciceronis, cuius de Republica, deq; officijs libros frequentius lectitabat: & Virgilij, quẽ poëtarum Platonem vocabat. Dona, quæ à regib. accepiſſet, reponi in templis iubebat. Matri puellas ſacras inſtituit, quas Mamæanas vocari voluit. Iſium ac Serapium perquam decenter ornauit ſignis additis ac doliatis, quibusq; alijs myſticis opus eſſet. Quem autem imitaretur, elegit potiſſimum Macedonẽ Alexãdrum, cuius laudes & audiebat libentiſſimẽ & legebat hiſtorias. Itaq; ſtatuam eius inter Lararij diuos habebat, veneraturq;: etſi ebrietatem condemnabat atq; in amicos crudelitatem, delectabaturq; eorum lectione ſcriptorum, qui illum ab ijs vitijs tutarentur. Ad ſecundam menſam in expeditionibus præſertim, militares admittebat amicos ac notos homines, quibus poculum dabat: Sume, inquiens, in honorem Magni Alexandri. Numos quoque ſub imagine illius ac nomine conflari iuſſit ex electro & auro: omni deniq; laborabat ſtudio, quo dignus Alexandri nomine videretur. In expeditione enim Parthica, qua regem illum potentiſſimũ vicit, Alexandri ipſius exemplo & argyraſpidas & chryſoparidas, & phalangem conſtituit hominũ triginta milliũ, ſex e legionibus, ſimilibus inſtructorum armis. De ſeipſo, quod magnanimi proprium eſt, prædicari male libenter audiebat: pro-

inde que tum Oratores tum Poëtas, qui panegyricos de ipso scripsissent, audire nunquam voluit: hortabatur vero eos vt facta laudarent priscorum, maximeque Romanorum, cum primis autem Alexandri Macedonis. Quin & ipse cum esset maxime eruditus, vitas bonorum principum versibus scripsit, atque, vt traditum est, non inuenuste. Geometriam nouit atq; Astrologiam. Egregie etiam pinxit. In haruspicina auguralique admodum profecit. In Musicam pronus, nunquam tamen, quod imperatorium minime duceret, testibus cantauit vllis, præterquam pueris suis. Bonus & luctator fuit & palæstrites: eratque mos eius publica post negocia, bellicasque ac ciuiles curas, legendis tum philolosophis tum oratoribus aut poëtis dare operã. Inde aut cursu, aut lucta, aut palæstrico alio ludo se exercebat, cum esset ipse iuuenis: siquidẽ mortuus est annum agens septimum ac trigesimum. Mortis autem ita contemtor fuit, vt in pugna illa Parthica inter tela, & qua maxime conferta erat acies, versaretur: nec imperatoris solum munia, verũ etiã strenui dextra militis munus edens. Cũ autẽ à Thrasybulo Mathematico prædictum ei esset barbarico gladio occubiturũ, lętatus dicitur, q; existimaret se in acie casurũ, ac dijs ipsis similem & parẽ futurũ, in pugna si caderet: quippe qui cum alacritate quadã animi referret Alexãdrum, Pompeium, Cæsarem, adderetq; & Ciceronem & Demosthenem, violenta morte diem obijsse. Delectatum vero eum tum doctis viris, tum etiam probis ac sanctis moribus, indicio

cio est, quod inter consiliarios publicis ac priuatis rebus deliberandis administrandisque, ijs potissimum, quos referam, vsus est: Vlpiano & Paulo, Romani iuris prudentissimis ac maxime integris viris: Fabio Sabino, tantæ grauitatis, continentiæ sapientiæq; vt Cato illius temporis haberetur: Ælio Gordiano, viro maxime insigni: Ælio Serenato, quem ætas illa sanctissimum iudicauit: Cæcilio Seuero, qui vir illius temporis doctissimus est habitus: Claudio Donato, oratore amplissimo, & Q. Marcello, quem optimum fuisse Historicum, Spartianus est autor.

Fuimus fortasse longiores in colligendis Alexandri dictis ac factis; quod eo libentius fecimus, quod Alexander iuuenis ea præstitit ex omni parte, quæ senectæ ætatis videntur esse propria: neque hoc ambitiose, vt perinde ac historiæ scriptoris munus obiremus, verum quo palam exemplis faceremus, magnanimos etiam viros inuentos, qui virtutes cæteras magnanimitati coniunxerint, appositeque atque conuenienter a bonis philosophis dictum esse, virtutum quidem omnium ornamenta inesse debere magnanimo. Cæterum quo magnanimum ipsum perfecte teneamus, adijciemus hic verba ipsius, quæ deuicto Artaxerxe, Parthorumac Persarum rege in senatu atque ad populum habuit, ex quibus apparebit, quam parce, quam moderanter, quam etiam paucis de seipso deque tota victoria locutus fuerit: Neque verbis, inquit, multis opus est, nec magniloquentia. Artaxerxem regem celeribus signis intra Persidis fines compulimus. Cen-

tum triginta millia equitum fudimus: Cataphractorum, quosq; Persæ clibanarios vocant, decem millia in pugna cecidimus, quorum armis nostros instruximus: Captos è Persis plurimos vendidimus ac seruire docuimus: Ex elephantorum numero, triginta cepimus, decem & octo viuos perduximus, ducenti interfecti, falcati currus mille & sexcenti capti: Mesopotamiam recepimus. Miles diues, exercitus victor domum in patriam redit. Quod reliquum est, quodque erga Deos immortales humana gratitudo exigit, supplicationes decernamus, ne deorum ipsorum parum memores tanta in victoria videamur.

Ex ijs igitur quæ in medium adduximus, satis constat, & iustitiæ & liberalitatis, & spectatæ cuiusque virtutis, maxime spectatas actiones in magnanimis viris tãquam perfloresscere. Quibus tamen referendis etsi aliquanto longiores fuimus, non desistemus tamen à quibusdam etiam recensendis, quæ tum dicta, tum tentata illorũ nos magnanimitatis admoneant, qui ea aut dixere, aut tentauere.

Sextus Pompeius Magni Pompeij filius, qui Siciliam obtinebat, cum inde ex Africa à Lepido, hinc ex Italia ab Octauio, maximis terra marique exercitibus premeretur, decreuit vno eoque maxime illustri prælio decertare. Misit itaque ad Octauium, qui maritimum illum ad certamen prouocarent, quo de vniuersa re coactis semel viribus vtrinque ageretur, statuta die pugnæ, nauiumque etiam certo numero: quæ res

ne

ne ab Octauio quidem detrectata est. Idem antea cum Antonio atq; Octauio percussis fœderibus, cum illos in triremi accepisset in cænam, atque inter discumbendum ab Menedoro classis præfecto clam esset admonitus, vtriusq; capiendi, qua ratione & paternam vlciscereturnecem, & vniuersum sibi imperium vindicaret: cum Menedorus ipse ita prospexisset nauibus, vti euadere neuter in continentem posset, summa cum animi celsitudine respondit: Menedoro quidem id licere, cui peierare fas esset (fuerat enim seruus) Pompeio vero Magni Pompeij filio nequaquam licere. Vtrunque animo quam generosissimo.

Pullulantibus tam inter Antonium atq; Octauium discordiæ seminibus, cum hic Antonij familiares amicosque, alium alio per honestas dimitteret causas, Lucium quoque illius fratrem, quem antea fame pressum ad Perusiam in deditionem acceperat, mittere ad Antonium decreuit, cum mandatis; siue Lucium vt tentaret, siue quod ea per fratrem potissimum Antonio nota esse cuperet. Ad quæ Lucius, non vt liberalem modo atque ingenuum decebat tum ciuem tum senatorem, verumetiã vt summo ac maxime excelso animo præditum: Si meus, inquit, frater Antonius aduersus triumuiratũ pro patriæ libertate contra te, Octaui, moturus est arma, quanquam de me tantopere es benemeritus, clam tamen palamve ad illum proficiscar, aduersum te pro patria dimicaturus: sin ea est fratris sententia, vt sua tantum pro dominatione aduersum collegas sit bellum suscepturus, ego pro te, Octaui, aduersus

fratrem armatus atque in acie stabo, nequaquam desiturus tua pro causa contra illum pugnare, quandiu intellexero, patriæ in te libertatis curam inesse, quam & amicitiæ & generi vbique sum præpositurus. Atque hæc quidem verba vt magnanimiter à Lucio dicta, sic etiam ab Octauio maxima quoque cum admiratione sunt suscepta.

Nec vero indignum videatur cuiquam, si huic Antonij Triumuiri matris egregium tum factum, tum generosa admodum quælibet verba. Nam cum Lucius Cæsar, Iuliæ frater in illa triumuirali coniuratione morti esset destinatus, militesque ad eum occidendum concurrissent, qui ad sororis domum confugerat, illaque dignitate atque auctoritate sua grassatores initio arcuisset à limine, tandem in forum profecta, vbi Triumuiri cōsidebant, virili maxime animo, quiq; antiquum præ se ferret genus familiæque nobilitatem, ante filium ipsum constituta: Ego meipsam imperator accuso, inquit, quæ Lucium fratrem meum, auunculum tuū, penes me domi aduersum edicta vestra habeam, quę vt recte intelligas, habitura etiā sum. Proinde scias, vno vtiq; gladio matrem cum auunculo simul transfigendā. Qua animi magnitudine effectum est, vt Planci cōsulis opera Lucij sit Cęsaris incolumitati prospectū ac restitutioni.

Nec vero ab re fuerit, si alterū quoq; ac tertiū huic matronale exemplū subdidero. Thesta Dionysij tyranni soror, cum à fratre grauissimū accusaretur in modum, q̄ ipsa Polyeni coniugis fugæ conscia, nullum fratri feciſſet rei eius indicium: ad ea, qua ipsa quidem erat animi magnitudine metusq;

tusque omnis expers: Adeone, inquit, Dionysi, ignaua tibi visa sum, degenerantiq; prorsus animo, vt non Polyxenũ maritum fuissem secuta, si eius mihi cõsilium fuisset cognitum, omnis eiusdem fortunę atq; ęrumnarũ comes futura ac particeps? ac si nõ satius vtiq; fuisset, vel exulantis ac profugi viri vxor dici, q̃ dominãtis Dionysij soror.

Tymoclia, singularis pudicitiæ matrona Thebana in direptione per vim à Tribuno cognita, illum haudquaquã multo post arte quadam vsa precipitem dedit in puteum, deuolutis è vestigio plurimis in caput eius saxis, quo illũ omnino cõficeret. Accusata igitur à cõtubernalib. deductaq; ad Alexãdri conspectũ, & incessu ipso & corporis totius statu, quanquã captiua atq; à militibus tracta admirabilé præ se tulit animi magnitudinem. Interrogata igitur ab Alexandro, quænam esset quoq; è genere? tum ipsa animo maxime confirmato, vultuq; robur ipsum animi referente: Ego, inquit, ô rex, Theagenis soror sum, eius inquam Theagenis, qui dux exercitus in Cheronęa aduersus patrem tuum Philippum, instructa acie pro Græciæ libertate pugnas fortissime occubuit. Admiratus igitur matronæ magnitudinem animi tãtam Alexander in summa etiã calamitate, & in respondẽdo & in vindicando vim illatam, liberam eam cum omni familia esse iussit.

Phocion Athenienſis cum iniustissime duceretur ad supplicium cum alijs etiam quibusdam ciuibus interrogatus ab amicis, qui illum honoris gratia atq; amicitiæ sequebantur, vellet ne per eos ipsos filio aliquid significari: Vt illatæ in me popu-

populo ab Athenienſi iniuriæ prorſus obliuiſcatur. Cum autem venenum deficeret, quod in illis alijs abſumtũ fuerat, mortiq; afferretẽ mora à carnifice, ꝙ vellet duodecim ſibi priꝰs drachmas à à magiſtratu pro veneno ſolui, tanti enim eius venibat vnciola: Non ſtabit per me hoc, inquit Phocion, vocatoque ex ijs, qui ſequebantur, amico: Quando, inquit, emori Athenis, niſi emta prius morte non licet, huic quæſo pretium veneni nomine meo exoluito.

Caius Cæſar dictator, tum admonentibus, tũ obſecrantibus ex amicis non paucis, vti cuſtodes ſibi adhiberet corporis, Sullæ preſertim exemplo: Quanto, inquit, ſatius eſt ſemel emori, quam mometis ſingulis ab metu ac ſuſpicione cruciari. Idẽ cum animaduertiſſet, ſuſpenſum in Aruernorum templo gladium, perinde ac ſpolium quoddam eius, ſubriſit, detrahique illum è teſtitudine ab ijs, qui notam inde afferri victori ipſi exiſtimarent, minime paſſus eſt.

Alexandri Magni dictum quam celebratiſſimũ eſt, regis id eſſe proprium, à quibus male audierit, in eos beneficentia maiore vt vtatur. Suadentib⁹ amicis, noctu cum Dario pugnandum eſſe, ne ſi aperto pugnaretur Marte, tanta hominum inſpecta multitudine, miles conſternaretur, maximo cum ſupercilio inclamauit: Victoriam ſe nullo modo furaturum.

Ex quibus omnibus abunde ſatis dictis appareꝛ, quæ ſint magnanimi ipſius partes ac munera, quem ſatis etiam conſtet in magnis verſari, quib. ſe omnino dignum, ac iure quidem ipſo & dignũ

&

& benemeritum putet, atque ad ea capeſſendum maxime idoneum; qua quidem in amplitudine rerum actionumque videri merito ſuo non ſummus modo verumetiam admirandus queat. Ac nihilominus quoniam à dignitate minimè recedit, ac decoro, mediocritatem vtique ſeruabit, idque etiam temperamentum, vt neque à medio ipſo diſcedat; talemq; ſe exiſtimet, qualis haberi dignus eſt, talia etiam agat, qualia animi eius magnitudini conueniant. Quando nec à medio, vt dictum eſt digreditur, qui neque plus minusve quam par eſt, agit: neque ſe aliter gerit, quam vt dignitas eius poſtulat, & quam eius ipſius muneris eſt atque officij.

CAPVT IX.

Quomodo pecunia repoſita ſit aſſeruanda?

QVANDOQVIDEM inſidias adulatorum & aſſentatorum, quibus peculium principis notum eſt, difficulter euitare princeps poteſt, eſt vt pecuniam certis vſibus adhibeat, vnde in paraſitos non facile queat redundare. Varia in hoc veterum cautio fuit. Imperator Auguſtus pecuniam, in imperij ſumtibus cõparſam ad vſuram, fideiuſſoribus acceptis, credidit: Antonius pius ad vſuram quincuncem: Idem Alexander Seuerus fecit.

Neq; tamen hæc à principe ita intelligi velim, vt etiam ſuam pecuniam ad vſuram elocet. Tantum enim abeſt, vt principe id dignum ſit, vt etiam à ratione longe diſſitum in expreſſum Dei

ver-

verbum manifeste impingat. Gratis mutuo dare pecuniam duobus modis prodest. Primo enim fideiussores de securitate creditæ sortis melius cauent: deinde vero subditis illa ansam ditescendi præbet: id quod principi maximopere prodest. Romani tempore pacis & orij thesaurum suum argenteum & aureum liquefactū in massam tegulæ non absimilem redigebant. Reges Marocci ex thesauris suis globos factos in summitatibus summorū Moschorum siue templorū collocarūt. Nostra tempestate principum thesauri in ferreis cistis reconditi adseruantur. Has Guilielmus dux Mantuæ ioco magnos diabolos vocare solebat. Et hæc de pecunia satis.

CAPVT X.

De populo.

DEINCEPS de potentia, quæ vere nominari potest potētia, & in populo cōsistit, nonnihil agamus. Omnis potentia, quæcumq; esse potest, in hoc est fundata. Cui multus est populus, is omnibus quoq; abundat, quæ humana industria & intelligentia complectitur: id quod ex sequentibus, vbi hæc vocabula Populus & Potētia promiscue pro vno & eodem vsurpabūtur, planū euadet. In populo autem duo considerantur. Multitudo nimirum & Fortitudo.

CAPVT XI.

De populi multitudine.

VIVIS ordini inprimis salutaris est magna populi frequētia. Ait enim Seruius Tullius, ciuitati res arduas molīēti; præclaraq; facinora acturæ nihil æque necessariū esse

esse ac frequentiã ciuium, qua ingruentibus belli difficultatibus confidat. Quod si enim numero pauci sunt, facile aut pestilentia, lue cõtagiosa aliove symptomate tollentur.

Viderunt hoc Spartani. Victi .n. in pugna Leuctrica cum ciuibus circiter mille septingentis desideratis simul imperium Græciæ amiserunt. Thebani & Athenienses à rege Philippo vnica pugna fuit plane protriti & euersi sunt. Contra vero imperio Romano totus orbis fere cessit, non tam virtutis ergo, quam multitudinis ciuium: quã arguunt bella etiã remotissimis in locis eodem sæpenumero tempore gesta, in Italia, Gallia, Hispaniã, Sicilia, Sardinia, Macedonia & alibi.

Nonnunquam vno pluribusve locis fusi plurimos suorum desiderabant: semper æque forti animo: quod quo maior accepta esset clades, maiori agmine vbiq; confluerent. Hinc Cineas Romam, si qua eius mentio incideret, multorum capitum Lernæam hydrã nominabat. Rex Pyrrhus ingenti prælio Romanis deuictis cum breui dierum cursu Romanos maximas copias de integro coegisse animaduerteret, obstupuit, omniq; spe deinceps eos vincendi abiecta de pace ad Romanos misit; sed frustra. Multitudine militis procul dubio Carthaginensibus Romanus fuit superior: siquidem Romanæ clades semper maiores fuere, quam hostium. Primo bello Punico Romani quinqueremes circiter septingentas amiserunt: Carthaginenses vero duntaxat quingentas. In secundo bello Punico in pugna ad Cannas facta plures cecidere Romani quã Carthaginenses toto illo bello.

Indu-

magna esset incolarum solitudo. Est enim ea regio omnium, quæ vitæ ciuium sustentandæ vsui sunt, feraciſſima: Et profecto, si grauiter excoleretur, varios fructus immensæ turbæ alendæ produceret. Qualis enim olim fuit? Certe constat, ptiſcis temporibus non tantum vnicum exercitũ; sed etiam Romanorum & Carthaginensium copias præter suos incolas vno & eodem tempore aluisse. Neq; extitit vlla regio, quæ pluribus bellis Romanum afflixit quam Hispania. Quoties enim fusi victiq; fuerunt, toties maiore exercitu collecto arma repararunt.

Sed omissis veterum negotiis aliquantum recentiora memorabo. Constat regem Granatensem in bello cõtra regem Ferdinandũ vltra quinquaginta millia equitum duxisse. Tantæ copiæ, vt maxime omnia loca excutias, neque in Hispania neq; in Portugalia iam cogi possent. Quid vero causæ est? Anne vis & habitus soli mutatus? an diuersus ibi aër: Neutrum horum. At hæc est vnica huius rei causa, quod incolæ sedes suas spõte mutauerint, quo factum est, vt etiam incolarum paucitate agriculturę studium hactenus vtplurimum conticuerit.

Pauciores iam sunt incolæ, atq; ante fuerunt, quam Hispanis Mauri arma inferrent: Eo.n. bello (præter captiuos in Barbariam mancipatos alioq; dispersos) intra trium mensium spatiũ septies cẽtena millia hominũ & amplius perierũt. Hinc insecutũ bellum, quo Hispani Mauros vltra quingẽtos annos persecuti tandem Hispania plane eiecerunt. Interea temporis tot vtrobique homines

neci dati, vt magna vaſtitas etiam integrarũ prouinciarũ ſit ſubſecuta. Bellum hoc finitum nihilo pacatiores & trãquilliores fecit Hiſpanos: infeſtis enim copijs Africanos, Neapolitanos, Inſubros, nouas inſulas, deniq; Belgium, vbi ſoli affectabãt rerum ſummam, inuaſerunt. Quot credis in tãtis & tam diuturnis tumultibus calamitate bellica conſumtos? quot Martis vi perculſos? De ijs, qui Indies in p̃dictas regiones ibi habitaturi, negotiaturi, aut vrbes defenſaturi abeunt, in p̃ſentia nihil aliud dicere habeo, quam q̃ numerari nõ poſſint.

Adde q̃ rex Ferdinandus publico edicto (quod poſtea rex Emanuel Portugaliæ imitatus eſt) oẽs Iudæos, quorũ rationem ſi ineas, circiter centum viginti quatuor mille familiæ fuerunt, q̃ vt vulgo creditur capita efficiunt octies centena millia, ſua ditione eiecit. Turcicus vero Imp. Baiazethes magno errore regis perpenſo ſolebat dicere, mirari ſe regis Ferdinandi acumen & intelligentiam, q̃ ea re, quæ imperijs potentiã adderet, tanto nimirum populo ſe priuaret. Clementer itaq; exulib. Iudæis ſuſceptis certas fixit ſedes Rhodum, Salonicam, Cõſtantinopolim, S. Maurã aliasq; plures.

Sed & hac de cauſa in prædicta regione agricultura minus exercitata, imo plane tandem iacuit, q̃ populus naturæ ſuæ ingenio in arma procliuior bellis magis eſt addictus, facileq; in militiã abit, & opes & exiſtimationẽ nominis inde amplificatũ.

Colophonis loco in diſcurſu obiter adijcio, Hiſpanis non tantum exiguæ curæ eſſe agriculturam ſed etiã opificia manuaria. Vix igitur ſol aſpicit regionem, quæ minus opificum & ſolertiæ humanæ ha-

habeat: hacq; de causa lanæ, serici aliarumque rerum maxima pars alio asportatur: Reliqua vt plurimum ab Italis elaboratur: Vineæ vero & rus à Gallis coli solent.

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia LIBER OCTAVVS.

CAPVT I.

Potentia duobus modis crescere potest.

POPVLVS. siue potentia dupliciter augescit: Primum tuorũ dilatatione: & aliena legitime ad te pertrahendo. Sua extendere quis potest agricultura, subsidijs ad puerorum institutionem, promotione artium & opificiorum, & colonijs deducendis. Aliena legitimo titulo ad nos pertrahimus, hostiũ deditione, languefactione finitimarum vrbiũ, municipij collatione, familiaritatibus, fœderibus, stipendijs præclarorum hominum, affinitatibus alijsque rationibus: quas ordine, succincte tamen, apponemus.

CAPVT II.

De agricultura.

RES optima est agricultura: qua bona sua quiuis sine alterius detrimento meliora reddere, augere & extendere potest. At sub nomine agriculturæ omnis ratio ac modus res colendi, qualis qualis ille sit, intelligendus venit. Agriculturæ Romani, inprimis

vero Ancus Martius, fuerunt ſtudioſſimi. Dionyſius rex Portugaliæ agricolas Reip. neruos vocabat. Iſabella, regina Caſtellanorũ, in ore habebat illud, Si ab omnibus, inquit, vnanimi voto Hiſpaniæ abundantia exoptetur, eſt, vt omnes S. Benedicti ordinem profiteantur. Dictum ea de cauſa, quod Benedictini prædia ac agros diligentiſſime excolunt & curant.

Munus itaq; principis eſt, agriculturæ ſtudium promouere, eosq; qui intelligentiã habitus & naturę cuiusq; ſoli habent, quique prędia cultiſſima poſſident, fauore proſequi, & rem paucis vt complectar, noctesq; diesq; diligẽter rimari omnia, q̃ ad agrorum fertilitatẽ omnigenasq; cõmoditates conducant. Curabit nẽpe paluſtria exiccari: arbores plantari: dumeta & fruticeta eradicari: ea deinceps coli: omnesq;, quorũ labor & diligentia in eo genere conſpicua eſt, quacumq; ope iuuabit. Sic Maſſiniſſæ, regis Africæ, ſtudio Numidia & Barbarię mediterranea, antehac aſpera & inculta, diligenti cura & cultura euaſit feraciſſima, omnia, q̃ neceſſitas vitæ humanæ flagitat, vbertim effundens. De Tiberio Imp. reliquit Tatius, quod omne ſtudiũ, operã & diligentiã in agricultura poſuerit, ne qs ſupereſſet locus, q̃ ſine cultura ſterileſceret.

Potiſſimum vero calor & humor tanquã cauſæ proximæ ſub elementari regione omnis generis fructus ex terra producunt: ideo & hoc loco principi cõuenit naturæ vim, quoad poteſt, iuuare, vt: aquæductibus, lacubus, ſtagnis in arẽtia loca deriuatis. Quo nomine magnam priſci Mediolanenſes laudẽ ſunt aſſecuti. Theſti enim & Ada, alueis

& canalibus per Insubriam diffusis, fertilissimam eam effecerunt. Poëtarum figmentū fuit Herculē cum fluuio Acheloo duello certantem, alterū ipsi cornu excussisse. Hoc inuolucro veritas tecta: Hercules enim fluuij impetū, crebrioribus inundationibus magnam agri vastitatem efficientem, aggeribus factis alio deriuauit, vbi minus damni inferret inundatio: & hoc est cornu (quod poëtis est pro inundatione aquarum) excutere.

Pro virili laudabile Herculis factū quilibet princeps imitabitur: sedulo eo incumbens, vt habeat regionē fertilissimam, omnibusq; quas tellus illa ferre potest, abundantem. Quibus plantis, seminibus tua regio caret, ea aliunde adduci curabis. Romani ab vltimis Asiæ finib. cerasa & persica & paulatim alios fructus in suam tertā inuexerunt. Experientia docuit optimū gingiber, quod India primum suggessit, in Portugalia natū esse. Memini me aliquando gingiber edere Lutetijs natū. Quæ de terræ frugibus hic commemoro, ea quoq; ad animalia non-noxia restringi volo. Non sit vlla pars regionis deserta, rebusve inutilib. destinata. Proinde princeps προφυλάκια id est, roboraria (qb. Anglia abundat, non sine maximo indigenarum incommodo, qui ob id pluris frumēta emere coguntur) atq; eius generis delicias declinet, atq; in meliores vsus conuertat. Nec quenquā à labore prædicto sumtus absterreant. Cōfici.n. hoc omne potest hyeme à Sclauis & mesonautis, si adsunt: aut mancipiis, ob delicta in triremes damnandis, aut capite plectendis. Ita à Romanis eiusmodi hoīes in metalla dānati aut in ergastula, marmora eru-

tum. Quod si desint, semper tamen inuenire licet mendicos, errones, aliósque agyrtas circumforaneos, quibus nec domi nec foris est quod perdãt, commode autem his laboribus adhiberi possunt. Satius enim est eiusmodi homunciones in illis laboribus, qui Reip. vsui sunt, exerceri, quã vt orbẽ circumcursitent, & passim molesti sint. In China, vbi Resp. est optime constituta, panem ostiatim quærere licet nemini: Omnes ibi pro viribus laborare coguntur. Cæci, vbi deest de quo viuant, molis trusatilib. versandis addicũtur. Qui affecto corpore sunt negotijs, quibus pro corporis affectione defungi possunt, destinantur. Soli illi ptochotrophæi beneficio gaudent, qui ad sustinẽdos labores plane sunt inepti. Romani hæc per milites à bellicis laborib. vacuos, perfecerunt: id quod fossæ Marianæ in Prouincia, Drusianæ in Geldria, Æmilianæ & Cassianæ viæ satis superq; probant. Augustus Imp. alueos, quibus Nilus in agros deduceretur, obstructos videns, per milites ab sordium influctia eos repurgauit. Heluetij eiusmodi laboribus vniuersam populi multitudinem adhibent. Interdum aggeribus ripæ, ne exundent in agros, obfirmadæ sunt, interdum colles æquandi, torrentesque auertendi, viæ reparandæ; hæc & similia mutua opera coniuncta populi multitudo breui tẽpore expedire potest. Præter hæc omnia, qua potest diligentia, prouidebit, ne quid pecuniarum sua ditione, nisi necessitas exigat, auehatur. Quamuis enim nõ sine impensis aliquid sibi comparet, satius tamen est, subditos quã exteros ad conficiendum aliquid, mercede conducere; Quippe pecunia illa progressu temporis per cen-

sus,

sus, tributa ac vectigalia ad fiscum redit. Id vero fieri nequaquã potest, vbi numo emũctam tenes regionem: numi enim pariter cum sperato lucro amissi sunt, ac tum demũ, vt dicitur, sera admodũ est in fundo parsimonia. Nostrõ seculo Italia quibusdam in locis est exculti ssima, quæ deserta ante fuerunt. Testãtur id lacus Pontici, qui ob aerẽ venenatũ inde exhalantem insalubrẽ Romę habitationem efficiebant, adeoq; nullius erant vsus; hoc tamen tẽpore tellus ibi est fertilissima, aeriq; saluberrimo subiecta. Neq; silẽtio prætereundæ sunt reparationes Venetorũ in Polesine di Rouigo: & ducis Ferrariensis in valle Comagenorum, vnde quotannis tantus frumentorũ cumulus ad ipsum redundat, vt vel populosissimæ ciuitati cibandæ sufficeret. Pluribus in locis idem in actum deduci posset, si re exactius pensiculata principes futuro emolumento quam presenti intẽtiores essent: id quod sane fieri conueniebat: nec difficile admodum foret, quin & presentibus potiri & futuris operam dare æque possent.

CAPVT III.

De varijs hominum artibus & commercijs.

NATVRA in animis hoĩum fingendis, summam cõiunctionis rationẽ habuisse videtur; non in eo solum quod homines iisdem munerib. mentis & cogitationis ornatos, & generis similitudine cognationeq; inter se deuinctos, sic instruxit ad eandem vitæ rationem, vt nullum animal magis sociabile reperiri possit: sed in hoc etiam, quod dum eorum ingenia varie distinxit, id effecit, vt homines ad societatem natos, incredibili etiã necessitate colligaret. Cum.n. artes innume-

rabiles existant ad communis vitæ cultum & incolumitatẽ maxime necessariæ, neq; possit vnus homo omnibus illis inseruire, id fuit à natura diuinitus excogitatũ, vt alios alijs artib. instrueret, alijsq; muneribus præficeret: ita vt dum quisque præstitisset operã suam, & in cõmune contulisset, ipse vicissim propriã indigentiam, quam suis non potuisset, alienis opibus sustentaret. Nec enim omnes Hippiæ Elei similes esse possunt: quem gloriari solitũ accepimus, nihil esse vlla in arte rerum omnium quod ipse nesciret. Neq; solum eas artes tenere, quibus ingenuæ doctrinæ & sapientiæ studia continentur, sed eas etiam quæ in sordida & illiberali ratione versantur: ita vt annulum quem habebat, pallium quo amictus incedebat, soccos quibus indutus erat, se sua manu confeciſſe diceret. Non est, inquam, facile cuiuis, tantum ingenio præstare, vt tam multa munera solus sustinere possit: ipsumq; Hippiam opinor haud satis cõmode tam dissimilia inter se studia exercere potuisse: qui præterquam q̃ indecenter liberales & ingenuas disciplinas cum sordidis & humilib. cõiunxit: non oẽs artes enumerauit, quorũ præsidio vita cõfirmatur. Nec enim (vt alia omittam) fecit vllam mẽtionem disciplinæ militaris: in cuius tutela reliquæ oẽs acquiescunt. Rei autem militaris studiũ, nulla ratione poterit ab vno Hippia, præsertim tã multis negotijs implicato, strenue nauari. Est igitur necesse, vt alij quidẽ principes sint, & rectores, qui sapientia & æquitate omnium saluti prospiciant: alij autem vel arma tractent, vel eas artes persequantur, quibus in rebus magnis Reip.

vsui

vsui esse possint: alij postremo sedulo terram colat: aut fabrili artificio aliquid conficiant eorum, quæ ad communem vitam cultumve pertinent. Cum igitur in humana societate sint omnino oporteat homines & ordine & vitæ studio dispares atq; dissimiles: id prouidenter egit natura, vt ingenia etiam essent dissimilia. Sic factum est, vt quibusdam diuinam mentis aciem & excelsum animum singulari sapientia & industria præditũ elargita sit: quo quid vniuersitati expediret, & videre prudenter & perficere constanter possent. Hanc autem ingenij atq; sedulitatis præstantiam aurum diuinum appellat Socrates in Phædro. Cuius auri copia circumfluentes animos deorũ quasi agnatione teneri, & ad regnandũ maxime natos esse putat. Hos itaque collocauit in summo gradu dignitatis ipsa rerum parens natura. Alios autem non tanta virtute excellentes effecit: alacritate tamen & inuicto animi robore firmauit, vt possent imperata strenue perficere: in maximisq; rebus legibus obtẽperando patriã iuuare. Quosdam postremo humilitate animi depressos ad sordidas & infirmas artes abiecit: quales sunt ij, quos operarios & opifices appellamus. Sic enim diuino consilio effectum est, vt dum pro se quisq; cæteris auxilium fert, & vicissim aliorũ artibus atq; facultatibus seipsum tuetur, illud ius humanæ societatis sanctum permaneat. Cæterum nos prioribus duobus, quippe de quibus supra tractatũ fuit, prætermissis, hoc capite duntaxat agemus de posteriori genere, eorum nempe, quorũ operæ ad communem vitam cultumve pertinent, de va-

rijs nimirũ hominum inter ſeſe artibus & cõmercijs. Quorũ ſane quædam vsqueadeo ſunt neceſſaria, vt illis vita humana carere nequeat: quædã ciuili vitæ atq; vſibus accõmoda: quæda ad ornatum & pompæ oſtentationẽ: quædã vero ad delitias hominũ cõparata ſunt. Hinc immenſa auri & opum vis, maximaq; frequentia hominũ aut opificũ aut contrahentiũ, aut materiã operis ſuggerentium, elaborataq, hinc inde diſtrahentiũ.

Selimus I. Turcicus imperator Cõſtantinopolin & incolis & opibus amplificaturus, aliquot mille peritiſſimos artifices omniũ mechanicarũ Cõſtantinopolin accerſiuit primũ ex vrbe regia Belgrado, deinde ex potẽtiſſima vrbe Cairo. Eadem mens fuit Polonis, qui Henricum ducem in Angio, regem creantes efflagitarunt, vt cẽtum opificum familias in Poloniam ſecum abducat.

Cum vero ars naturæ æmula ſuperior eſſe certet, nõ imẽrito inferat aliquis, vtra harũ ad multitudinem incolarum plus conferat: ſoline fertilitas, an ſolertia inhabitantum? Perpetua rerum ſeriès arti humanæ palmam adiudicat. Siquidem quæ duce arte inveniuntur, maioris ſunt prælij & valoris, quam ea quæ natura peperit. Rudẽ materiam artifici informandam natura ſuppeditat; humanum vero ingenium infinitis modis pro lubitu materiam informat, per quod fit id quod eſſe debet, nec antea fuit.

Lana rudis & informis eſt materia, naturæ operatione enata: at quas elegantias, quas delicias inde infert ſolertia humana? Quanto cum emolumento coniunctum eſt lanificium? Vbertimum

rimum ſane faciunt quæſtum lanifices, pectẽdo, carminando, texendo, tingendo, nendo alijsq; ſexcentis modis. An non hæc omnia huc illuc diſtracta maximam pariunt vtilitatem. Sericum quoque naturæ informis proles eſt: at quod modis artificum manu elaboratur? tantum artis ingenium eſt, vt ſordidos, fœtidos, turpiculos, fœdosq; vermiculos cæſaribus, regibus, principibus & magnatibus, reginis alijsq; matronis bene natis commendet. Verum quid optimates memoro, cum vix ſit de infima plebe, qui ſericam veſtem non magnopere geſtiat.

Hæc ſatis arguunt, plures arte victitare quam alijs prouentibus, qualescunque illi tandem ſint. Euidenter hoc probant plurimæ ciuitates Italiæ: inprimis, Florentia, Genua, Venetiæ (quarum vrbium magnificentiam, iam prætereo) vbi plurimi tractanda lana & ſerico victum quærunt.

Ecquis vero tam à ratione deſertus, qui hæc eadem in alijs quoq; fieri non animaduertat? Ferrifodinæ parum per ſe vehunt vtilitatis. At quantum lucri ex commercijs ferri emergit? Alunt ea multa millia hominum: dum ſtrenue elaborant, quiſque pro ſuo officio, fodiendo, lauando, excoquendo, cudendo. Ille feruum ſolidum, hic ferri particulas vendendo. Quid de inſtrumentis inde fabricatis dicã? Prodeunt hinc arma, galeæ, frameæ, aliaque inſtrumenta agriculturæ, Architecturæ omnisque generis opificijs, quotidianis vſibus, humanæ vitæ non incommoda? imo tam neceſſaria, vt non plus igni & aëre, quod aiunt, vtamur. Vsqueadeo vt ſi

redi-

reditus ferri, fodinarum (qui principi penduntur) computes cum lucro, quē operarij adeoq; ij, qui ferrum ad varios vſus elaboratum diſtrahunt, inde aucupantur, facilime deprehenſurus ſis, naturam arte lōge eſſe inferiorem. Confer cum inelaborato marmore politam ſtatuam. Confer lignū non dedolatum cum triremi alijsq; nauibus, quarum infinitæ ſpecies ſunt, bellorum, onerum, delitiarum, aliarumve quarūuis rerum vſui accommodatis. Confer cum imagunculis, cum magnificis ædib. artificioſiſſime inde extructis: ne quid dicam de tornatoribus, arcularijs alijsq;, qui in lignis ad vſum communem varie efformandis ſedulo verſantur, maximamque partem ſibi vendicant. Confer colores cum picturis & ſenties quāto materia rudis minoris æſtimetur, quam formata, color quam coloratū, ſenties, inquā, quod plures artis quam naturæ fructu viuant. Zeuxes pictor celeberrimus artificioſiſſimas quasque picturas non vendebat, quod crederet ære eas inæſtimabiles.

Ac ſane vſqueadeo innumera ſunt ingenij humāni inuenta, vt hominis lingua ijs recenſendis minime ſufficiat; in quibus etiam alij ſumtus, alij formas, alij artem & induſtriam, alij amplitudinem, alij rerum nouitatem admirantur. Septem illa miracula mundi, de quibus varia varij auctores ſcripſere, quique etiam in numero ſeptenario non omnes conſentiunt, potius admirari quam partibus ſuis deſcribere poſſumus. Vrbes admirandis atque ſtupendis operibus inſignes ſi quis velit enumerare, vnde initū faciat, haud immerito

tito dubitet. Proinde omiſſis his, quæ propter amplitudinem vix cadunt in narrationem hominis, particularia quędã breuiuſcule attingemus. Neque vero hic mentionem faciemus viæ illius apud Blekingiam, marmore exciſæ, planæ ac mõtanæ, plurima paſſuum millia, ac perpetuis litetis exaratæ, cuius meminere Saxo Grammaticus & Krantius; neq; etiam viæ Appiæ, quam Appius Romanorum tum Cenſor conſtruxit, vt pedites equitesq; perpetuo tum hyeme, tũ æſtate ſiccas obambularẽt vias, tum vt rectæ ipſæ viæ nullum ad vrbem accedentem errare permitterent, vbi lapides ita ſunt connexi, & inter ſe tam valide cõdenſati, vt ſpeciem præſeferant viſentibus, non compoſitos eſſe, ſed natura ſic editos: nec item amphitheatrorum, præſertim Titi, nec molium Adriani, nec Mauſolei Auguſti, nec arcuum triumphalium, nec aquæductuum, nec Septizonij, nec thermarum, præſertim Diocletianarum & Antonianarum, nec columnarum ſingulariũ, turrium altitudine, nec circorũ, palatiorum, templorum, aliorumq; huius generis, quę fere omnia corruere aut hoſtili manu, aut proprijs Romanorum armis, cum vinci non poſſent alienis. Pyramidum etiam & obeliſcorum, labirynthorum, viuariorum & coloſſorum, templorum, theatrorum & palatiorum nullam hic ſuſcipiemus tractationem, cum paſſim æri inciſæ ſigillatim publice circumferantur, adeoq; cuiuis obuia.

Cæterum de ijs, quæ induſtria humana conficiuntur, dicturis, primum ſit illud quod de Aquilonaribus refertur; etenim nonnulli Aquilonares

in

in domorum tectis ſerunt hordeum ac reliquas fruges: præpingui etenim humo domorum tecta cõſeruant, ſemperque ea arte vireſcunt ad ſuũ & pecoris alimentum. Adinueniendi autem circa tecta huiuſmodi induſtriam cauſa fuit frequentium fulminum metus: humor etenim perpetuus & vitens olus diſijcit fulminum ignis, ne hæreant. Eodem etiam nomiñe commendandi ſunt ij Aquilonares noui orbis populi, qui domos piſcium ingentium corijs contegunt. Quid quod è ſale quibuſdam locis domos conſtrui affirmat, præcipue Carrhis Arabiæ oppido incolæ muros domosque maſſis ſalis faciunt aqua ferruminantes, vt Plinius habet lib. 31. cap. 7. In qua ſane re illud eſt mirabile, quod cum aqua ſal diſſoluatur, ibi confirmetur ſolidius, quod etiam affirmat Iſid. lib. 16. capite ſecundo. Tolerabilius eſt, quod exciſis è ſalis monte lapidibus muri domorum conſtruantur marmoris modo: nam id fieri ab Hammanienſibus tradit Plin. libro quinto cap. 5. Cui perſimilimum, quod in Aquilonari regione compertum eſt, muros conſtrui ex glaciei fragmentis eadem ratione formaque compactis, quibus marmora ipſa componuntur, teſte Olao lib. 11. cap. 20. & 21. Sicut enim bello terreſtri & foſſæ & aggeres ac valla fiunt humo, ac lignis congeſtis, ita glaciei fragmentis fiunt eaque perinde ſunt tuta ac firma, vti eſſe ſolent è ſaxis lateritijsve valla & munitiones conſtructæ, quibus hoſtis arcetur, irritis quibuscunque etiam bombardis: huiusmodique exaggerata materia plerunque oppida ob-

obſidentibus omnem ſpem expugnationis auferre comperta eſt, adeo vt obſidio diſſoluatur. Quid quod Numidæ, qui incertis ſedibus vagantur, domorum vice plauſtris vtuntur: domunculas enim quaſdam conſtruunt, quas mappalia nuncupant, plauſtrisque impoſitas circumferũt, vt memorat Plin. lib. 5. cap. 3. Fuerunt autem qui huiuſmodi domos ſpectatiles excogitarũt & cõſtruxerunt magna omnium ſpectatorum iucunditate. Cum enim Franciſcus Galliæ, & Henricus Angliæ reges, conſtituto in finibus Morinorum loco, certamad diem in colloquium deueniſſent, Galliæ quidem rex ſumtuoſiſſimis exornatis tabernaculis, papilionibusq; multiplicibus patentibus locis erectis pro more vſus eſt. At Britannus, vt Iouius ſcribit, attulerat ligneã domum, ampliſſimæ regiæ inſtar, cum luculentiſſimis & ampliſſimis porticibus atq; cænaculis, quæ cõſtabant ex materia miris modis elaborata, picta ſimul atq; inaurata tanto fabrorũ architectorumq; ingenio, vt aptiſſimis iuncturis atq; vertebris tota plicatilis, mẽbratim diuidi, & cũ liberet, iucunda cõmutatione tolli, aſportariq;, & rurſus in varias formas diſtingui atq; erigi poſſet. Fuit illud quoque memorandũ portatile ædificiũ à Sultano Babylonico dono miſſum ad Friderictũ Romanorũ imperatorem, anno 1232. tãta enim arte confectũ memoratur, vt in eo imagines ſolis ac lunę, artificio quodam motę curſus ſuos certis horis ac iuſtis ſpatijs cõficere cernerẽtur, dieiq; ac noctis horas certiſſimas indicarent; pretiũ eius quinquaginta aureorum millia exceſſiſſe creditum eſt.

Porro

Porro domus portatiles possunt etiam nuncupari nauigia, quæ & portant & portantur, & sane de illis multa recensentur ab auctoribus memoratu digna: quamobrē de eis differere peropportunum est: nam & plicatiles naues cōpertæ sunt. In ipsa enim Ægyptia nauigatione, qua Nilo Alexandriam itur, Æthiopicæ naues in vsu sunt, quæ cum plicatiles sint, humeris transferuntur, quoties ad cataractas ventum est, quo loco nauigia sistuntur. Ac portatiles huiusmodi cymbas in vsu esse etiam in India noui orbis compertum est, visæq; sunt in Europa anno Domini 1509. erantq; in ea septem ex Indis ipsis; delata est cymba Rothomagum, fuligineo colore erant ii, ceu homines syluestres, grossis labris, stigmata in facie gerentes, ab aure ad medium mentum instar liuidæ venulæ per maxillas deductæ. Barba per totū corpus nulla, neque pubes, neque vllus pilus præter capillos & supercilia. Baltheum gerunt, in quo est borsula ad tegēda verenda. Idioma labris formāt, religio nulla: cymba illa corticea, quā homo vna manu euehat in humeros. Arma eorum arcus lati, chordæ ex intestinis aut neruis animalium, sagittæ saxo aut osse piscis acuminatæ: panis, vini, pecuniæ nullus illis vsus, nudi incedūt. Ascitas tradit, Arabes bubulis vtribus contabulatas crates superponere, vectitatosq; hoc nauigij genere impetere prætereuntes venenatis sagittis. Quemadmodum autem ex vtribus, ita quoque ex corio cymbas fieri cōpertum, quæ & ipsæ plicatiles esse possunt. In ipso etenim oceano Britannico, etiā Plinii tēpore naues vitiles corio circumfusæ fieri con-

consueuerant. Olaus scribit, se vidisse, anno Domini 1505. huiusmodi cymbas. Iuxta enim Islandiam, quæ eodem in oceano Britannico est sita, memorat, piratas litoraista infestantes nullo alio vti nauigij genere, quam ex corio, quibus superficietenus, quasi nusquam visi, vehuntur, quin si demergantur, etiam demersi viuũt incolumes: quinetiam ima ingentium nauium lintribus huiusmodi ineluſi subeũt, & nihil tale opinantibus nautis, etiam obterebrant: vnde naufragijs consequentibus, piratæ huiusmodi solent ditescere. Quinetiam vitro confici nauigia exigua quidem posse aliqui putarunt, sed certe aut irrita arte aut periculis plena: vitreas autem triremes paruas ornamenti & ingenij exercendi causa confectas Venetijs se vidisse memorat Leander.

Adijciam & aliud memorandum, currus enim in ipso solo ventis impelluntur, perinde ac mari nauigia: nam & vela habent in Philippinis insulis, vt ita nauigare per solũm ipsum ac campos illi videantur, sicut & mari. Commemoratu etiam æque dignum est, quod papyro & scirpo nauigia fiant; eiusque rei percommoda ratio est. Papyrus enim aut scirpus, aut arundines cõtextę, illitæque bitumine aquis superstant. Et hoc nauigio quanquam perexiguo Moyses infantulus vectꝰ est in hortos Pharaonis: fiscella etenim impositus scirpea flumen traiecit, Exod. c. 2. Quid quod Strabo cuiusdã nauiculæ generis meminit, quam Pactonem nominat, contextã canistri modo virgultis, quo flumina etiam ipse pro regionis more absq; vllo periculo traiecit in Ægyptum.

Sed & aliud hic dicam æquè memorandum. In ea regione, quæ Ferrarienſem agrum à Bononienſi diſterminat, eſt peculiare quoddam nauigandi genus, iure à nobis non prętermittendum: nam nauigia onuſta in montium cacumina, recta ſurſum linea, nullo adiutore aut trahente aut impellene conſcendunt, rurſum quoque ab ipſo mõtis vertice, recta deorſum linea, in imam vallem deſcendunt onuſta, nemine impellente. Iam hactenus quæ dico, admirationem excitant, cũ tamẽ perfacilis res ſit, liberq; explicare, quod hactenus nemo memorauit. Fluuius cũ æquali decurſu nequeat fluere, ſæpe à montib. decidit: quę res nauigandi vſum impedit. Induſtria autem fecit nauigabilem locum, hoc videlicet ingenio, vbi aquarum caſus eſt pronus in vallem, murus circulari forma ductus eſt ab imo in ſummum montis cacumen perueniens, donec fluuij ſuperficiei fiat compar. Duæ prætereа portæ ſunt huic muro, altera in ſummo faſtigio, vnde aqua in hũc campum muro concluſum influit, altera in ima valle, in eodem muro. Portarum amplitudo eſt, quantum egent ipſa nauigia, vt prætergrediantur: locus autem hoc muro ſeptus tantus eſt, quãta fuerint duo, tria aut plura etiam in eo includẽda nauigia. Cum igitur à ſummo in vnum mittẽda eſt cymba, occluditur firmiſſimis ad hoc inſtitutis repagulis porta inferior, qua occluſa, fluuij aqua retentà locum muro cinctum totum replet vſque in ſummum; atque ita æquali curſu cymba intra ſeptum illud incurrit portam ingrediens, quam in ſummo muro apertam diximus.

Mox

Mox vbi ingreſſa eſt locũ, porta, qua ingreſſa eſt cymba, recluditur, paratis ad hoc repagulis; atq; ita deſinit eum in locum aqua influere, obſiſtentibus clauſis iam ſumma parte valuis. Interim datur opera, vt inferior, quæ in valle eſt, porta aperiatur ad aquam emittendam; mox vbi reſeratur, effluit aqua, & in eandem depreſſa æqualitatem cum reliquo fluuio ſe comparat, atq; ita ratis ipſa quoque cum aqua demiſſa è porta eadem exiens peragit reliquũ viæ, donec ad aliud forte ſepti genus huiuſmodi peruenerit. Hac induſtria à ſummo monte in campos naues deſcendunt. Vt autem à campo in montem aſcendant, contraria ratione deprehẽditur. Ingreditur cymba ab imo fluuio intra iam dictum ſeptum per inferiorem portam, quæ ab ingreſſu mox recluditur eiſdem repagulis; quamobrem aquæ effluxus impeditur, retenta igitur aqua intumeſcit, dónec ſuperiori æquetur, vbi æquata fuerit aqua, cymba ſuperiorem egreſſa portam, reliquum conficit viæ, eodem æquali fluuio. Atque dum ipſa iam ſuum iter perſequitur, inferior porta à miniſtris aperitur, vt aqua conſueto curſu decidens effluat. Hoc igitur non eſt tantæ admirationi ſpectantibus quam audientibus.

Sunt etiã plurimi in Europa pontes ſpectandi. In Sinarũ regione memorãt qui luſtrauerunt, pontes eſſe incredibilis amplitudinis ac mirę longitudinis, nam ad bis mille paſſus protendi ac miro artificio exſculptas continere vbiq; imagines, tradit Melchior Nugnez de rebus Sinarum. Sed & pons, quo Euphrates amplißimũ flumen tranſitur,

in ipsis Armeniæ confinibus, adeo in lõgum protenditur, vt septemdecim habeat latissimas concamerationes ac fornices. In Anglia, Londino vrbe supra Tamasim fluuium pons est, in quo numerantur viginti cõcamerationes ac pilæ. Æquat eandem dimensionem pons in Dresda, Saxoniæ Ducũ regia super Albim. Sed pons qui apud Pragam est, super Muldauiam sexdecim fornices amplissimas habẽs, lõgus est cubitus 872. latus ad excipiendos quatuor currus simul ꝓcedentes, totus è quadrato saxo constat, adeo vt in omni Europa vix alius sit celebrior. In nouo orbe iuxta portum Panamæ prægrandis ac prælongus vno è saxo pons est, protensus à ripa in alteram ripam ad pẽdes 80. latus ad pedes triginta, & eo amplius.

Archimedes architectorum facile princeps onustam nauem solus remolitus est, traxitq; quo voluit, cum ingens vis mortaliũ ne mouere quidem suo quiuisset loco: quin ingenio confisus testari ausus est, si alter terræ globus esset, vtrumq; alterumque alteri se fuisse applicaturum. Sphæram etiam construxit, & cursus syderum ac coniunctionem affabre composuit: nam lunæ, solis, syderumq; errantium motus in sphæram illigauit, vt tarditate & celeritate dissimilimos motus vna regeret conuersio. Fuit autem sphæra vitrea, in qua miræ huius artis motus dissimiles circulorum visebantur.

Amulius quod cum machinis quibusdam tonitrua tonitruis, fulgura fulguribus referret, ac fulmina iacularetur, pro Deo se venditare ausus est. Sed quoniam Deus superbis semper obsistit,

inun-

inundatione paludis ad quam inhabitabat, perijt vna cum Regia demersus. Atq; ita factum est, vt qui se Deum esse ob ingenium venditaret, quod ignis miranda quædam cõstrueret, aqua absorberetur. Ex huius vero Amulij tonitruis ac fulguribus arte constructis putarũt nonnulli bombardarum vsum manasse. Sed magis mihi arridet Polydori Virgilij sentẽtia, qui originẽ huius machinæ primũ cõpertam fuisse tradit anno Domini 1330. à Germano quodã, qui cũ versaretur circa mortariolũ sulphure plenũ, incauto excidit ignis: quamobrem sulphureus puluis totus in flammã erupit, quod cum ille animaduertisset, inuentionem inuentioni addens, ex concauo vim maiorem colligens etiam machinam fieri posse est assecutus. Propterea Venetos conficiendæ machinæ artem vsumq; docuit ipso anno Domini 1330. cum apud fossam Clodiam cum Genuensibus bello dimicarent, quam noua bellandi industria Veneti hostes perfacile superarunt. Dignus profecto haud alia morte quam Perillus ænei bouis inuentor.

Cæterum eo peruenit in genus humanum ea sæuiendi ars, vt vnica machina triplex corpus habeat, tripliciq; impetu deseruiat, sæpe iaculando semel, bis, tertio, non successiuis instructionibus, sed cum triplex sit concauitas, ac spiracula tria, triplex quoque sit iaculatio; quinetiam plures interdum sunt compactæ concauitates ac spiracula, quo fit vt etiam plures simul machinæ emittantur.

Sed alia in super persequamur, quæ ab ingenij perspicacitate profecta sunt: ac sane videtur mihi

maxime commemoratione digna columba illa, quam Architas Tarentinus volantem sua fecit industria.

Simili quoque industria ferunt Albertum illum Magnum statuam hominis forma constru-xisse, quæ cum libramentis quibusdam, rotis atque alijs machinis intra latentibus peritissimo compositis, linguam quadam ratione & disciplina mouentibus articulata verba pronuntiaret. Hanc statuam cum S. Thomas Aquinas studiose ab Alberto missus in cubiculum, vbi illa latebat, audijsset verba adeo articulate pronunciare, perterrefactus fuste machinam contriuit, ac postea interrogatus, cum respondisset, se statuam confregisse, respondit Albertus: Opus triginta annorum destruxisti. Omitto iam horologiorum structuras priscis incognitas, varia arte & pro artificum ingenijs elaboratas.

Est etiam nunc commemorandum, quod referunt de Pyrrhi annulo: nam regia fama est, gemmam Pyrrhi illius, qui aduersus Romanos bella gessit, Achatem scilicet, admirandam fuisse, in qua nouem Musæ & Apollo citharam tenens spectabatur, non arte, sed natura ipsa magistra, ita discurrentibus maculis, vt Musis quoque singulis sua redderentur insignia. Et illud insigne opus fuit, quod vniuersa passionis Christi mysteria in proprijs vnguibus quidam sibi delinearit. Scribit enim Landinus, Capoccium Senensem ciuem in vtriusque manus vnguibus, quicquid de passione Christi tradidere Euangelistæ, tum res, tum actus, tum per-

perſonas peritiſſime delineaſſe. Par induſtria fuit eius, qui vniuerſum Homeri Iliadem tanta membrana conſcripſerat, quanta poſſet in nuce includi. Orationem Dominicam ſiue ſymbolum Apoſtolorum in Denarioli ſpatio ſcribi, hodie non eſt nouum.

Æquali ingenio memoratur ſculptura quædam Callicratis: is enim ex ebore formicas, & alia tam parua animalia effinxit, vt partes earum à cæteris cerni non poſſent. Quinetiam Myrmecides quidam in eodem ſculpturæ genere adeo inclaruit, vt quadrigam ex eadem eboris materia, quam muſca integeret alis, fabricauerit. Sed & nauem exſculpſit, quam apicula pinnis abſconderet. Accedit ijs illius aurificis Africani induſtria, qui Memphis pulicem catenula aurea illigauit, quamobrem non parvo præmio muneratus eſt à populari multitudine.

Et in puteis ars humana non parum eluxit. Nam non procul à Nilo aridiſſimo ſolo rariſſimi quidem putei ſunt, attamen ibi vnus eſt ad mille pedes ſua profunditate pertingens, è quo vt aqua hauriatur, bos perpetuo labore funem trahit ad irrigandum proximum hortum & ad humanum potum.

Inter omnia autem quæ admirationem inducunt, illud præ cæteris eſſe ſemper excogitaui, quod à ſcriptura inter homines euenire ſolet; non de characteribus intelligo, ſed de ſententia. Vnusquisq; enim animi ſui effigiem ſine linea-

mentis in ſcriptura imprimit, doctum à minus docto, & inſcium à doctiore diſcernimus, maleuolum à beneuolo, accuratum ab ignauo, prudentem ab imprudente, iram, amorem, affectus omnes, etiamſi quis adnitatur velamine aliquo obtegere, ſuis tamẽ literis ſeſe ꝓdit; artes aſtusq; ipſi in ipſis ſcripturis ac ſtrategemata, & multorum temporum geſta paruo folio recenſentur. Tepor, liuor, fraus, ſicut ſolertia, hilaritas & animi candor ſcriptura exprimuntur, abſentia redduntur præſentia, quantauis immenſa locorum intercapedine ſibi inuicẽ remota, ꝑterita quoque ipſa, quanquam iam tot ſeculis lapſa, legentibus ex ſcriptura nobis reuiuiſcunt. Propterea quaſi viuere quodãmodo omnia videntur ex ſcriptura, fieriq; perpetua: chartæ quoq; ipſæ apud Indos, vbi vſus ſcribendi prorſum erat incognitus, putabantur ab imperita gente vitam in ſe habere, atq; animatę eſſe cenſebantur, vel eo tantum nomine, quod ex ipſarum inſpectatione magna locorum intercapedine à ſe ſeiuncti homines, quæ alibi contigiſſent, aut quæ agenda eſſent, perdiſcerent. Cum igitur gens illa ſtultiſſima conſcriptas literas videret, horreſcere videbatur, metuens circumſpectabat, vti rem viuentem & animatam, latereque in eis ſpiritum exiſtimabat.

Succedit ſcripturæ impreſſoria ars eiusq, vicẽ obtinet, & orbi toto commodior, quando facile omnia ſcripta breui interuallo tẽporis in vniuerſum orbem diſſeminantur, magno ſtudioſorũ commodo, ſi tamen res bonæ ſunt quæ euulgantur,

tur, ſicut magna quoque pernicie acceleratáque mortifera peſte, cum aut falſa aut turpia prona celeritate impreſſa in omnes partes percurrunt. De autore artis impreſſoriæ hic non digladiabor. Summum id Dei beneficium grato animo nos ſedulo decet agnoſcere. Ab vno enim homine vno die tantum literarum imprimitur, quantum vix toto anno à pluribus ſcribi poſſet. Singulis enim diebus in quolibet prælo; in Germanorum quidem typographijs imprimuntur ter mille ſexcentæ charæ, nonunquam etiam quater mille, interdum etiam vltra. Atque hoc impreſſionis beneficio factum eſt, vt omnes diſciplinæ breui emicuerint, linguæ ipſæ omnes breui innoteſcãt, ac omnium ſcientiárum volumina etiam egenis ſtudioſis percommode ſuppetere poſſint: atque ita etiam fit, vt plurimorum auctorum ſcripta ab interitu vindicata ſint.

Impreſſoriæ arti ſuccedit ars illa, quę æri inſculpit imagines easq; poſtea imprimendas, aliquantum tamen diuerſo ab impreſſoriæ artis modo. Huic ſuccedit pictura, cuius etiam comperta ſunt admiranda quædam omni memoria digna. Sed manum de tabula; quis enim pro dignitate ſingula tractare queat. Ad ea igitur, vnde primum digreſſi ſumus, reuertemur.

Verbo vt abſoluam, tantæ diuitiæ inſunt artibus, vt nec argenti nec auri fodinæ in noua Hiſpania aut Peru cõparari ijs queant. Vectigalia mercium in ducatu Mediolanenſi maiorem pecuniæ vim important, quam venæ metallicæ Potoſi & Salixci. Tam India quam Gallia caret auri & ar-

genti fodinis: beneficio tamen commerciorum vtraq; auro & argento abundat. Neq; in Flandria inuenias venas metallicas: Ea tamen ante tot & tantas seditiones propter artificiosissimas nouorum operum inuentiones aurifodinis Vngaricis ne latum vnguem quidem cessit, neque Transyluanicis fodinis inferior. Non erat vlla regio Europæa tam opima, tam opulenta, tam habitabilis; neque vllo mundi climate inuenire licebat tot & tam potentes vrbes, in quibus exteri maiora aut frequentiora tractarent cõmercia. Qua etiam de causa, imo propter incredibile eris pondus, quod imperatori Carolo cedebat, à quibusdam Cæsareæ Maiestatis India vocata est.

Natura quamuis materiam induit ea forma, quã ante, quam elaboratur, repræsentat: at artificis industria præter naturalẽ sexcenta formarum genera liberrimo motu ei induit. Natura enim habet se ad artificẽ, vt prima & rudis materia ad naturalem efficientem. Princeps itaq;, qui habere gaudet vrbes populosas, sedulo operam dabit, vt insignibus artificibus eas celebres reddat. Faciet autẽ hoc, cũ è peregrinis nationib. præclaros artifices accersit, accersitos autem commoda sede aliisq; necessarijs ꝓmouet: ingenia solertia suspicit: præclare inuẽta & excogitata magni ẽstimat: & quandoq; optimum quemq; honorario donat.

Omnino autẽ vetet princeps rudes materias in in sua ditione erutas aut nuper importatas ad exteros asportari: siue sit lana, siue sericũ, siue ligna, siue metalla, siue quæcunq; alia. Materiam enim artifices sequũtur, & materia elaborata plus lucri exhibet, quã rudis & informis; imo principis pro-

uen-

uentus auget. Serico nondũ cõtexto pretioſius eſt holoſericum: panni in maiori ſunt valore quam lana, ſindon cannabi: & ita porro. Suboleuit hoc ante aliquot annos regibus Galliæ & Angliæ, ideo ne quis extra ſuæ ditionis fines lanã diuenderet, publico edicto prohibuerunt. Idẽ poſtea rex Hiſpaniæ factitauit. At huic nõ vſq; adeo ſtricte mos poteſt geri: quæ.n. eſt in illis regionib. tenuiſſimæ lanæ abuãndtia, ſua copia lanificũ manus obruit.

Tametſi vero principes nulla forſan alia de cauſa niſi vectigaliũ magnitudine impulſi, noſtro ꝓpoſito inſeruierint: ſubeſt tamen etiã aliud longe præſtantiſſimum, quod è re ſubditorum eſt. Vberior enim queſtus ad ſubditos lana facta quã rudi aut alio abducta redit. Populi enim multitudo diligenti cultura fœcundat ſolum: naturaliq; materiæ, quam loci natura effundit, varias formas, quibus redditur vendibilis, inducit.

CAPVT IV.

De coniugio & liberorum educatione.

VETERES legislatores vtpote præſtantiorum virtutũ ignari Resp. ſuas ciuium numero aucturi, cõiugia quibusdã immunitatibus & prærogatiuis donarunt. Sanciuit Lycurgus, ne in theatris locũ haberent miſogami, id eſt, qui vitæ ſolitariæ diti matrimonium detrectarent: ſtatuit etiam, vt ſub hyemem nudi per vrbẽ trahãtur, & à pueris, ſi eſſent ſeniores, honore coæuis debito neutiquam afficiantur. Et quo cõmendatius redderet coniugiũ in cõtrahendis matrimonijs potiorẽ voluit eſſe rationem virtutis in fœminis, q̃ diuitiarũ: dotẽ ducentib. dandã negãs.

Idem

Idem quoque placebat Soloni, pro dote fœminis nullam omnino pecuniam, ne emtæ viderentur, dari, sed paucas dumtaxat vestes & supellectilia volenti. Durat hęc consuetudo etiamnum in Vngaria & ferme in vniuersa Asia & Africa. Atque vt legitimis tantum nuptijs operam liberis darent, promulgauit, spurios filios obedientia, reuerentia, amoreque filiali non debere esse obstrictos.

Philippus II. Macedonum rex arma moliens aduersus Romanos, ne deesset miles, edixit serio, vt qui per ætatem possent, vxoribus ductis liberis operam darent. Studiose hoc etiam obseruarunt Romani: id quod probat eximia oratio à Q. Metello Censore habita: in qua omnibus, qui maturæ essent ætatis, vt nuberent, suasit. Quæ etiam oratio postea ab Augusto imperatore vberrimis laudibus decorata publico edicto confirmata est.

Ne vero paupertas à iugo matrimonij absterreret, agri aliaque bona pauperibus donata sunt. Pleriq; enim, qui extrema paupertate conflictantur, de die in diem viuunt, procreandæ soboli nihil intenti: aut, vt maxime suscipiunt, adeo affectus paternus friget, vt, nisi plane torpeat, at minimus tamen sit in educanda prole.

Tametsi vero sine maris & fœminæ coniunctione humanum genus propagari non posse, verissimum est. Tamen & hoc notandum, sola multitudine contrahentium non multiplicari genus humanum. Nam præter lecti consuetudinem etiam educationis cura, conseruandique facultas requiruntur. Hæc nisi coniungantur aut præmatura morte liberos anteuertunt, aut ad obeun-

da

da munia ineptos obtrudunt, inerti pondere patriam replẽtes. Regnum Galliæ populoſiſſimum ſemper fuit. Cauſam adducit Strabo: Gallicæ mulieres, inquit, temperato corpore, naturaque ſua fœcundæ, nec minus prolis probe educandæ ſunt ſtudioſæ.

Cæterum inſigne amoris paternæ exemplum, non quidem ad imitationem ſed ad oſtẽdendam parentum vere illuſtriũ in liberos inſignem σοφγὰν hic inſeremus, dẽ Seleuco, qui Alexandro mortuo Syriæ præfuit, lateque plurimis imperauit populis; vbi rariſſimum paternæ charitatis exemplũ audies. Is nempe ex prioris matrimonij vxore, Apamea dicta, filium ſuſceperat Antiochum. Ea mortua, Stratonicen duxit. Cuius amore captus cum eſſet Antiochus, tacitus, mœrensque hinc pudore, illinc amoris conficiebatur impotentia. Qua è re lethalem contraxit morbum, qui eo erat periculoſior, quod eiusmodi affectus medicis erat incompertus. Eraſiſtratus igitur, inter omnes qui ęgroto aſtabãt, & primus & ſolertiſſimus medicus, cum adoleſcentis corpus ſincerum videret, nullisque illud malignis vexari humoribus, ægritudinis cauſam ad ægroti animum referre ſecum cœpit: decreuit igitur aſſidere ægroto, & ad ſalutationem ingreſſumq; ſingulorum intra cubiculũ illius notare commotiunculas. Per multis igitur diuerſi generis quotidie eum inuiſentibus, cum in illorum ſiue aditu ſiue abitu, non oris, non venæ ſpiritalis, ſignum aliquod commotionis appareret, ſed iaceret Antiochus mœſtus langueſcensque, ac ſemitorpidus, nec tamen ipſe ab incepto

cepto desisteret, continuaq; animaduersione, deprehendit tandem,& dum cubiculum ingrederetur,&dum languenti assisteret Stratonice, intingi rubore Antiochi facié, venamq; subsilire, ac corp⁹ ipsum vigorẽ resumere, cõfestimq; abeunte illa labascere, spiritumq; ipsum concidere. Idq; cum non semel animaduertisset, vt erat naturæ sciens Erasistratus, sensit hinc amorẽ morbi esse causam, illinc pudorem, ac paterni tori reuerentiam, atq; infamiæ metum, hancq; inter contentionem, affectuumq; concursationẽ, tacitum illũ languentemq; tabescere, atq; occulta cura cõfici, pudore, metu, amore, desperationeq; obluctantib. Huius igitur rei tam occultæ & raræ deprehensio, quãta in Erasistrato inesset ingenij vis, quam magna etiam mentis intelligentiæq; eius siue prudentia, siue sagacitas, aut perspicientia, rarissima quadam cum admiratione omniũ declarauit. Sed inuenta morbi causa longe maior prudentia eius extitit, cõparandis atq; adhibẽdis remedijs adeo difficilibus, cum ea, quę amaretur, patris, & amantissimi quidẽ patris vxor esset. Itaq; multa secũ animo cũ agitasset, tandẽ his Seleucum est aggressus: Compertam habeo rex morbi causam, amorẽ scilicet muliebrem. Verum quam deamat filius, ea est vt desperandũ sit illi, posse ea potiri. Ad ea rex, Dij, inquit, boni, quęnam hæc est mulier, quã si minus donis, at certe coniugio, & parte regni etiam potissima in dotẽ tradita, traducere ad voluntatem filij, & eius quidẽ vnici nequeamus? quando nihil est quod nõ libẽtissime pro eius sim salute pstiturus. His auditis Erasistratus, regem cum vidisset maxi-

maxime incensum: Atqui, inquit, ô rex, ne diutius frustrere, mea est vxor, filius quã deperit tuus; addiditq; & verbis vultũ quam aspernacissimũ. Tũ Antiochus precabũdus: O amicissime Erasistrate, medicæq; facultatis cũ primis experiens, quando ad eximiam rerum cognitionem summam etiam bonitatẽ adiunxisti, nonne vno tempore & patris senis miserebere; & vnicum filiũ tali ingenio præditum, tantiq; imperij succeſſorem arte tua, tuo item beneficio munereque in vitam restitues, an passurus es, per summam etiam iniustitiam tabescentem illum confici, eiusq; rei desiderio, quæ in manu tua est, miserabiliter expirare & emori? Ad hæc aliaq; tum precum, tum pollicitationum plena, perinde ac indignaretur Erasistratus, vim sibi regem afferre velle: videlicet ô Seleuce, tuam tu si filius amaret vxorem, esses illi traditurus. Ad ea benigno vultu rex: Et vxorem, inquit, & regnum. Sed tu iniustior, qui cum & morbum deprehenderis & morbi causam, sitque penes te vnum remedium, tamen & patrem vna & filium eadem opera velis perdere, peruetus noster cũ sis & amicus & medicus. Tum rursus Erasistratus: Ne tu, rex maxime, qui me iniustiorẽ vocites, iureiurando affirmaueris, tuam te vxorẽ, quamuis & vnico & charissimo nato traditurũ, si ob eius amorem is iaceret, vt quidem de meo iacet, quod vides, quã grauissime. Hic rex cũ & per regiam fidem, & per deos immortales iurasset pro Antiochi salute, quẽ vnicũ haberet, eumq; continentissimũ pariter ac maxime prudentem cognosceret, animo quam libentissimo, vxorem se illi suam esse concessurũ, factu-

facturumq; longe etiá maiora, ſalutis illius ergo. Tum Eraſiſtratus regem cerneret nil ſimulanter loqui, verum ex animi ſententia, cõpoſito admodum vultu, & qua opus erat, adhibita prudentia, rem omnem patri ſic aperuit, vt hoc cognito Seleucus lætatus fuerit mirum in modum: quodque reliquum in auctoritate ſua intelligeret collocatum operam primo adhibuit, vt filio vxorique à viris grauiſſimis maximæque auctoritatis connubium perſuaderetur. Quo ab vtroque impetrato, conuocatis vndique amicis dynaſtisque ac ducibus exercitus, orationem huiusmodi ad illos habuit: ſenem eſſe ſe, ſuamque ætatem indigere nepotum præſidijs, minime vero ſe paſſurum, tantũ ſe imperium, ſua præſertim vnius culpa, Macedonũ è iurisdictione ad alias manus ditionemq; relabi. Hisque atque alijs in eam ſententiam explicatis, de nuptijs filij & parte regni ei permittenda, quid decreuiſſet, aperuit, ſummaque cum lætitia & amicorum atque exercitus voluptate, nuptias illorum celebrauit.

Porro quam neceſſaria ſit diligens liberorum cura atque educatio, id exemplis tam rerum inſibilium è terris naſcentium, quam brutorum etiã animalium probari poteſt. Annon enim cultura humana in propagandis lactucis, braſſicis aliisq; ſatiuis herbis vim naturæ ſuperat, vrticas aliaque eius generis zizania ſponte prõducentis? Annon lupæ & vrſæ plures pariunt catulos quam oues? Annon etiam plures agni quam lupi & vrſi mactantur? At lõge maior eſt agnorum copia, quam vrſorum aut luporum. At qua de cauſa agni homini-

minibus curæ ſunt, educantur, à paſtoribus in paſcua producuntur, cuſtoditi moloſſis, qui lupos adorti diſcerpant.

Turcis cum Mauris communis lex eſt, licere plures vna ducere vxores: contrà mandatum Dei eſt, vt duo tantum ſint in carnem vnam: omitto iam tot millia, qui Deo perpetuam caſtitatem voüerunt. Neque tamen orbis Chriſtianus propterea deſtituitur ciuibus, imo longe eſt populoſior quam Turcia. Plaga Septentrionalis, quæ tot dedit imperij Romani euerſores, plurib. ſemper inhabitata fuit, quam Auſtralis, cum tamen indubium ſit, Septentrionales minus ſentire libidinũ flammas, quam Meridionales. Quid quod plures vxores vni Meridionali ſimul iunguntur, Septentrionali vix vna ſit? At quæ ratio? Difficilima, inquam, copioſæ prolis, ex vxorum multitudine ſuſceptæ educatio: & commoditatis educandi paucos liberos, qua illi gaudent, quibus vna tantum vxor eſt, deſtitutio. Nunquam tanto amore ardet in plures vxores maritus, atque vnicam: quo fit, vt affectus paternus in liberos debilior, diuagansque de liberis rite educandis parum ſit ſolicitus. Et vt maxime educationis cura ſolicitum habeat, copia tamen liberorum obrutus, non poteſt officio paterno omnibus numeris abſolute ſatisfacere.

Quid prodeſt vrbi Cayro magnitudine & ciuibus inſignem eſſe, at quotannis ſæuiſſima peſtilentia tot incolarum millibus priuari? Quorſum attinet Conſtantinopolim plurimis ciuibus refertam eſſe, cum quolibet triennio peſtis furor ma-

Digitized by Google

dem coniugum maximam partem ſibi vendicat: minus tamen feliciter altero requiſito deſtituta. Vnde plane in eam (ego quidem Boterus) abeo ſententiã, ppagationi humani generis nihil accedere ex cõiugio ſacerdotũ & monialium. Licentia nubendi, quam ſibi ſacerdotes Angliæ & Germaniæ ſumſerunt, multitudini populi nihil addunt. Adauctus quidem eſt coniugũ numerus, at educandi commoditas nihilo facta locupletior.

Satis hæc declarant non ſufficere principi numerum coniugum auxiſſe: niſi pariter quoque de educatione liberorũ ipſis prouideat, eleemoſyna pauperibus, beneficentia egenis, virginũ indotatarum elocatione porrigenda ſtipe ijs, quos paupertas emergere, filios honeſtis rebus aſſuefacere, ſe met ab iniuria famis vindicare nõ ſinit: cohortãdo robuſtiores, qex labore victũ ſibi q̃rere poſsũt: amice & clementer alendo ſenio, virium infirmitate affectos. Tanta erat Alexandri Seueri beneficentia, vt pauperum liberos, tam maſculos quam fœmellas ſuis ſumtibus educari curaret: de matre Mammæa Mammœos poſtea dictos.

Porro vt hoc ad finem huius capitis adiiciam, cum generantiũ ac genitorũ diligens & accurata debeat haberi ratio, nõ incõmode hic de qualitate contrahentiũm matrimonia quæritur. Si enim vel ætatũ magna ſit diſſimilitudo, veriſimile eſt, q̃ magna etiam futura ſit inter virũ & vxorem diſſenſio; quæ ne fiat, magiſtratus ſedulo ac diligenter præcauere debet; quod quidem malum euitari non poteſt, ſi certum ac definitum tempus contrahendi nuptias non aſſignetur. Hinc paſſim

extant leges municipales connubiorum (de quibus etiam doctissimus I.C. Andreas Tiraquellus in amplissimo consiliorum suorum volumine, in tractatu De legibus connubialibus, cum legentium admiratione exactissime agit) quâto annorum ætatis interuallo vir & vxor debeant distare, quousque seni & quæ ætate iuuenculam & vicissim anui iuuenem ducere aut non ducere conueniat, & si quæ sunt aliæ leges, quæ imparia illa iuga ad æqualitatem & harmoniam quandam traducunt, immaturamque etiam contrahendi matrimonij proteruiam compescunt. Proinde statuenda omnino ætas est, in qua cõiugium inire liceat: quod si enim inter genitos & genitores nimia est ætatum distantia, tum facile cessat ac flaccescit officium parentum in liberos: e contrario vero si nimia sit anhorum propinquitas, omnis reuerentia in parentes tolletur: quippe liberi prope æquales cum parentibus ætate insolescere & intumescere solent. Sed quæ tandem ista ætas, quod tempus ducendi vxorẽ? Aristoteles tradit virũ ad septuagesimum, fœminam ad quinquagesimum annum ætatis suæ à generatione declinare, ac proinde à nuptijs, nisi cõsolationis causa, vtrumque abstinere debere. Sed, Deus bone, quot hodie curuos & decrepitos senes in amplexibus & vlnis Laidum inuolutos vbique videas. Natura illos spadones fecit, & tamen, vt loquitur Propheta, visa puella hinniunt, & quamuis in cymba Charontis vnum pedem habeant, de Helena cogitant & loquuntur. Heu quam indecora res est & impia, delirantes senes, cum oculis cœcutiant, cum careãt dentibus,

tibus, cum ex naribus & ore pus & ſpumam ætatis mittant, cum manibus tremant, cum vacillēt pedibus, cum totis naturæ viribus deficiāt, de ſponſa & libidinoſa Venere ſomniare? Natura hoc in belluis ſemper abhorruit, ſapientia maiorum hoc ſemper prohibuit. Quid ergo, an adoleſcentulis liceat vxores ducere? Ne illud quidem licet. Cum enim eadem militet ratio in hominibus quoad appetitum cōiunctionis, quæ eſt in belluis, belluæ autem ſi in tenuiori ætate congrediantur, imperfecti tunc naſcantur fœtus, ſępiusq; fœminæ quā mares; hinc fit vt idem etiam in ciuitate contingat, ſi adoleſcentuli vxores ducant. Atq; ex conſequēti, quanto virtus generandi eſt imbecillior, tanto deinceps dolor pariundi eſt acrior & laborioſior, imo hinc nani & perpuſilli homunciones naſcuntur, hinc (quod modo diximus) genitores ac geniti prope æquales fiunt, hinc circa adminiſtrationem familiæ oriuntur querelæ, hinc accretio & augmentatio corporum iuuenilium tollitur (multum enim proficit ætas congrua ad producēda corpora tēperata) hinc fœminis crebrius quam maribus procreatis, ſpes belli & ſuperandi hoſtis penitus deletur, hinc abortus, hinc mutilati, hinc monſtra, hinc alia ſexcenta mala euenta fluunt. Atque huc refertur quod Trœzenijs olim (cum multæ mulieres apud eos partubus interirent) oraculo reſponſum fuit, Dei nempe iram in Trœzenios ante non poſſe placari, quam fructus ſerius Deus ipſe perciperet: quod oraculum de immaturis nuptijs & nimis feſtinata filiorum procreatione magi expoſuerunt, legeque hinc

facta (qua adoleſcentes à connubijs pellebantur) tabes ſeu cõtagiõ penitus euanuit. Humana teſtimonia infinita ſunt, Ægyptiorũ qui non ante triginta, Lacedæmoniorum, qui non ante triginta quinque; Romanorum qui non ante triginta ſeptem ſuos adoleſcentes ducere permiſerunt. Ariſtoteles ætatem in fœminis habilem, viceſimo ſecundo; in maribus triceſimo ſeptimo anno definit. Cæterum pace illius dicam quod ſentio, nempe quantumuis eo ſeculo, in quo ipſe vixerit, adoleſcentia firmior & diuturnior fuerit, nunc tamen in occaſu mundi, cum omnia velocius conſeneſcant, citius ducendum eſſe puto. Viris ergo circiter trigeſimum, fœminis circiter vigeſimum ętatis annum, matrimonium cõtrahere liberum licitumque eſto; ſic erit æqualitas quodammodo temporis, cum ſi attendas, fœmina citius per quoddam ſpatium à conceptione, quam vir à generatione ceſſet & deficiat. Huc addi poteſt, quod lex iſta plurimum cõferat ad temperantiam & experientiam; ad temperantiam, quia adoleſcentiores vſu Veneris præmaturo fiunt libidinoſi; ad experientiam, quia ſedatis affectibus ratio magis & prudentia in hac ætate viget. Quinetiam ſi non ante hoc tempus animos ad nuptias homines appellunt, futurum eſt, vt ciues longe robuſtiores corpore & animo vegetiores naſcantur.

Cęterum & hoc loco obiter ſciendum, quasdã olim gentes more barbarico, ne multitudo ciuiũ in infinitum creſceret, membris orbatos eijcere abortionesq; crebriores facere cõſueuiſſe. Id vero

ab

ab homine maxime alienum esse debet; neque id parentum generosiorũ affectio cõmittit, quippe quæ sæpissime in imperfectos ardentius transit. Abortũ vero facere, natura, ratio ac religio vetat, quippe quod vere est homicidium. Quid enim aliud est abortio, quam embryonis aut infantis in vtero matris truculenta occisio. Atq; ex iure mulier ea, quę viscеribus suis vim intulerit, quo partũ abigat, morte punitur, l. si mulierem 8. ad l. Cornel. de sicar. & l. Cicero 39 de pœnis, quam quidẽ seueram pœnam lex nõ prescripsisset, si ratio horrendũ hoc facinus esse non persuasisset Est quoq; hoc scelus cõtra humanitatem, quia nihil est immanius, quam infanti naturæ castris obuallato vitam tollere. Si enim peccatum sit, virũ, qui potest obsistere, vi & armis inuadere; quanto atrocius flagitium est, innocentem in vtero matris adhuc palpitantem obtruncare. Sed eheu, qualia sunt tempora, in quibus viuimus! Quot virgines stupratæ, quot coniuges adulteræ, quot vbique meretriculæ mercedi expositæ sauinam & colocynthidem bibere didicerunt? Paucę admodum partem mandragorę cum Rachel, vt fiant fœcundiores, petunt, Genes. 30. Sed nimis profecto multæ pilulas fœtidas sumunt, vt grauidæ factæ abortionem faciant. Vbi vbi lex tua, Cæsar, cum vbique Ægisthus adulter, vbique Tarquinius Superbus, vbique iudices & sacerdotes luxurioſi viuant.

Concludam itaq; tandem cum Aristotele, cum ætas conciliandi nuptias & tempus operam dandi liberis definitum sit; æquum est atque omnino ne-

neceſſarium, vt ſenio & morbis confecti à cõiunctione nuptiali deſiſtant, vtque adulteri omnesq; qui Veneris inſidijs ſtudent, pro ſceleratis habeatur. Verba Ariſtotelis hæc ſunt: De concubitu, inquit, viri cum alia fœmina, aut fœminæ cum alio viro, eſto abſolute turpe & flagitioſum, alium aut aliam vlla ratione vlloque pacto tangere videri, cum & eſt & appellatur coniux. Hæc cum doceat Philoſophus, non credo ipſum Phrynen meretricem vnquam iniuſte tetigiſſe, eamque ſuem in vlnis & amplexibus ſecum volutaſſe.

CAPVT V.

De coloniis Romanorum.

MAGNAM imperio ſuo acceſſionem coloniarum beneficio Romani adiunxerunt: neq; id ſine grauiſſima cauſa. Vt enim plantæ natiuæ alio translatæ felicius & creſcunt & fructificant: vt etiam apes mirifice augentur aluearijs ſuis exemtæ: vbi alias, ſi durarent, fame aut lue pereundum eſſet: ſic plurimos in patria perſeuerantes, omnisque auxilij ſpe deſtitutos paupertas aliæq; miſeriæ oppreſſos euerterent, ab œconomia adeoq; liberorum educatione auocarent: qui coloniarum more translati, ſede prædijsque donati, hisq; omnibus ſedulam operam nauantes, ſeſe à paupertate atque rerum inopia facile vindicant. Sic Alba ciuitas circiter triginta colonias hinc inde deduxit: quas poſtea Latinas colonias vocarunt. Romani colonias ſuas, quas deduxerunt, grauiſſimis bellis feliciter adhibuerunt. Hæc

Hæc & ſimilia exęmpla Portugalenſes & Caſtellani ſecuti quammultas colonias deduxerunt, illi in Madera Capouerde, Braſilia & India: hi in inſulis noui orbis, in Hiſpania, Peru & denique in inſulis Philippinis. Vtrisq; tamen colonias deducere plus bellorum cauſa propoſitum fuit, quã vere Romanos imitari. Parum enim patriæ proſunt coloniæ, in regiones longe diſſitas deductæ, vbi ſiquando illis opus ſit, ſuppetias ferre nõ poſſunt. Hac de cauſa Romani nullas colonias extra Italiam intra ſexcentos annos habuerunt: Sequẽti vero tempore duas miſerunt; vnam in Africam, quæ Carthaginenſis: alteram in Galliam, quæ Narbonenſis dicebantur: quæ tamen propius abeſſe videbantur, quod ad mare, cui dominabãtur Romani, Carthago & Narbona ſitæ fuerunt.

Romani itaq; victis populis & agri parte multatis colonias egẽtium ac tenuium ciuium mittere conſueuerunt, & eam agri partem illis aſſignare. Atq; ſic plebs tenuiorũ, quæ vrbem onerabat, exhauriebatur; ſtirpes ciuium propagabantur; veteranis agri aſſignabãtur. Iam vero materia ſeditionum ex vrbe ſublata, coloniarum translatione etiam victi populi, Romanorum legibus, moribũs, imperijs aſſueſcere: deinde connubijs ac propinquitatibus cõtractis cum Romanis ſenſim coaleſcere neceſſe habebant; aut ſi res nouas molirentur, aderat colonia Romana velut ſpecula quædam, quæ hoſtes præoccupare ac præpedire, aut Romanos exercitus arceſſere ſolebat. Secus vero factitant Portugalenſes & Hiſpani, quippe qui victis vrbibus perpetua præſidia imponũt,

ſicque non feces, ſed lumina Reipubl. eosque qui magno Reip. vſui eſſe poſſent, per colonias exonerant; adeoque non corruptum, putridum, redundantemque ſanguinem, ſed optimam partem ſanguinis puriſſimi, quaſi è viſceribus effundunt. Tantum autem abeſt, vt victi vincentiũ imperijs aſſueſcere cõdiſcant, vt non prius à nouandis rebus cõquieſcant, quã aut præſidia interemerint, aut arces ceperint, aut finitimos principes ac populos ad bellũ accerſierint; nulla quippe vis diuturna eſſe poteſt, & peſſimus diuturnitatis cuſtos eſt metus. Procliue quidem admodũ illis fuiſſet, non ſolum de Hiſpanis, ſed etiam alijs, in quos dominatum habebant, deducere colonias; exemplo Romanorum, qui præter Romanas, etiam Latinas colonias in ea loca, vbi minus ſuberat periculi, deducebant.

CAPVT VI.

Legitimæ rationes, aliorum ditiones & imperia acquirendi, & qualiter Romani ſe in hoc negotio geſſerint?

NON minor eſt virtus, id quod vulgo decantatur, quam quærere, parta tueri. Quo in genere magna ſemper Romanorum emicuit induſtria. Cum vero prolixum nimis foret, ſigillatim id percenſere, ideo breuiter tantum percurram.

Mirum autem in modum imperij ſui fines externa opera extenderunt. Primo, quod hoſtes iam deuictos, puta Albanos, Sabinos, aliosque populos in fidem ſuam receperunt. Deinde quod

cuer-

euersarum vrbium incolas Romam se recipere, ibique habitare adegerunt. Præterea ius ciuitatis dederunt plurimis: priuatim viribus fortibus & virtute præditis: publice vero etiam integris ciuitatibus. Ius ciuitatis à Seruio Tullio vt & à Sempronio Graccho seruis manumissis datum est. Plurimum autem suam potentiam stabiliuerunt multas nationes & reges sibi adiungendo, quosdam, vt Latinos, sub titulo societatis, quosdam, vt regem Ægypti, Asianos, Massilienses aliosq; amicitiæ prætextu. Atque hæc nomina populus Romanus tantum ijs vrbibus & principibus benemeritis tribuebant: eos enim demum amicos aut socios appellabant.

Non raro etiam vrbes, regiones, ditionesq; in deditionem acceperunt. Sic Campani cum à Samnitibus bello infestarẽtur, Romanorũ clientelæ se subdiderũt. Simili exẽplo Messinẽses à Gerone & Carthaginẽsib. bello impetiti Hac opera Turca non mediocriter suũ imperiũ adauxit. Cum.n. sub fide sua ac tutela Chiurlanos, Præcopitas Tartaros, nonnunq̃ etiã Georgianos habeat, sæpenumero illorũ opera cũ suis coniuncta res maximas gessit. Eodẽ strategemate vsus est Mahometes, cũ Cõstantinopoli capta imperiũ Græcorũ euersum, adeoque propter irruptiones hostiles interfectis aut captiuis abductis incolis, nõ solũ Cõstantinopolis, sed tota illa regio fere desolata esset. Vt itaq. rursus ea frequentaretur, iussu Turcici Imp. lex promulgata est, qua vnicuique sua religio libera, modo quotannis certum tributum penderet, relinquebatur. Quia igitur haud pridem, regnante

Ema-

Emanuele, omnibus Iudæis & Mauris, in Lusitania, qui Christo nomina dare vellent, vt è regni finibus excederẽt, dies dictus fuerat, intra quem omnes, si non alio se contulissent, & post in illius regno fuissent inuenti, libertatem amitterent, innumeraq; etiam multitudo ob id alias sedes quærere coacta fuisset; proinde, proposita hac à Turcarum Imperatore, immunitate, qua apud Christianos frui non poterant, sese eo cateruatim cum suis familijs, & rebus, quas exportare poterant, contulere; & fama est, vt quidam scribunt, ad cẽtum millia hominum vtriusque sexus ad Turcos diuersis temporibus migrasse. Memoriæ autem traditum est, Turcicum Imperatorem dicere solitum, se mirari Christianorum regum stoliditatem, quod tantam multitudinem, quam si non interficere voluissent, attamen mancipiorum loco ad vtilia & idonea seruitia præstanda retinere poterant, potius in propriam perniciem expellere, quam ad suum emolumentum retinere maluerint, iuxta præceptum Horatianum:

Vendere cum possis captiuum, occidere noli:
Seruiet vtiliter.

Iudæi enim illi primum ad Turcos attulerunt tum varia artificia, tum etiam perfectiorem vsum machinarum bellicarum, aliarumque rerum, quibus antea ista barbara gens destituta fuerat. Id q; magno Christianæ Reipub. incommodo accidit. Legibus alioquin prohibitum est, ne quid ad hostes deferatur, quod eorum vires augere, ipsosve ad bellum instruere queat, inter quas extat lex Honorij & Theodosij Imp. quæ vltima est in Co-

dice

dice Iustiniani, sub titulo de pœnis, cuius sunt verba: His, qui conficiendi naues incognitam ante peritiam barbaris tradiderint, capitale suppliciū proponi decernimus. Reliqua quoq; quæ ad barbaros exportari non debeant, comprehensa sunt sub peculiari titulo ibidem, qui duas leges Valentiniani & Gratiani Impp. & Martiani Imp. continet, vbi pœna capitis & confiscatio bonorum cōtra inobedientes statuitur. Qua de causa etiam in l. 4. C. de commerc. & mercat. interdicuntur cōmercia cum Persis, ne alieni regni scrutentur arcana. Extat præterea bulla pontificis Romani, in qua excommunicantur ij, qui ad hostes Christiani nominis res prohibitas deferunt, hisce verbis: Excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrū, ligamina & alia prohibita deferunt Saracenis, Turcis & alijs Christiani nominis inimicis, quibus Christianos impugnant. Veruntamen dum ita violenter extruduntur, atque ita alieno se submittere coguntur imperio, mirum non est, si quævis arcana, quo gratiam noui principis aucupentur, pandant.

Hæc ars alienarum nempe vrbium ac imperiorum defensionem suscipiendi principibus nostri seculi nō est incognita; notissima certe fuit Henrico II. regi Galliæ, quippe qui sub prætextu defensionis imperij ciuitatum aduersus Carolum V. Imp. miro astu tres vrbes munitissimas Diuodurum, Mediomatricum metropolin, Tullum & Verdunum sibi adiunxit, id quod etiam Argentorati, sed frustraneo atq; irritu conatu attentauit. Hac etiam arte Liuonia regibus Poloniæ obtigit.

Ma-

Magnam etiam acceſſionem potentiæ ſuæ adiecerunt Romani, beneficijs in reges & principes amicè collatis. Titus Quintus Flaminius repulſo ad Hapſum fluuiũ Macedoniæ rege Philippo, cũ videret illum in Theſſaliam properare, atq; incéſis regionis oppidis, quæ infirmiora videbantur, eius iuſſu incolas intra montiũ aſpera ſe conferre, quæq; ſecum parum aſportare poſſent, ea Macedonibus à militib. diripi; iuſſit militem Romanũ, perinde ac per pacata loca iter facere, ac tãquam Romanæ ea ditioni à Philippo permiſſa eſſent, ab omni prorſus direptione violẽtiaq; abſtinere, nihilq; hoſtilem in modum agi, quin amice perhumaniterq; adminiſtrari ab ſuis omnia. Qua è re humanitas cum perſpecta eſſet Quinti, animusq; longe ab ſuperbia auaritiaq; alienus, id effectum eſt, vt cum primũ in Theſſaliã cum exercitu peruenisſet, certatim vrbes ad ſeſe dedendas ſponte oratores mitterẽt, breuiq; Græci vt ipſi palam dicerent, Romanos non aduerſum Græcos, ſed pro Græciæ libertate, aduerſus ſuperbum Macedonũ dominatũ bellum gerere. Quod reipſa paulo poſt experti ſunt, cum Iſthmicis in ſpectaculis, quibus celebrandis omnis ferme Græcia conuenerat, pace parta ſuperatoq; publicę libertatis hoſte, Titus ipſe Quintius publico edicto per præconem declarauit, Gręciæ populos, ſenatu populoq; Romano, ſeq; ipſo conſule id ſtatuente, liberos immunesq; de cætero fore, eosq; ſui iuris eſſe. Sic Attalus, Aſiæ; ſic Nicomedes Bithyniæ, reges, amore, quem erga Romanos ex illorum beneficentia atque officijs conceperant, inflammati adeo fuerunt,

tunt, vt morituri regni sui hæredes Romanos cõstituerent. Idem quoque alij reges factitarunt. Sic Genevates ab Imperatore Michaele Palæologo, Pera: Franciscus Catacusinus Mittellino: Veneti à Ioanne Bano, Vegia: Franciscus Sforza à Ludouico vndecimo rege, Sauona, quod consilio & auxilio ipsi sæpius adfuisset; donati fuerunt. Sic Fridericus secundus, Modonam & Regium donauit Estensi, ob beneficia Ferrariæ sibi ab ipso præstita. Sic Alexander Farnesius, dux Parmensis, præualidam illam Citadellam Placentiæ à rege Hispaniæ, propter strenuam ab ipso in bellis Belgicis nauatam operam, adeptus est.

Cæterum vnicam hic adiungam quæstiunculam, quam breuibus decidam: An videlicet legitimum ac iustum sit, bellum inferre finitimis, quo augeatur imperium? Lacedæmonij sane, Cretenses, Scythæ, Persæ, Thraces, aliæque nationes ad bellum suos ciues ideo instruxerunt atque composuerunt, vt finitimos inuaderent, suaque confinia aliarum gentium damnis spoliisque augerent & onerarent. Hinc apud quasdam nationes leges quædam institutæ fuerunt, quæ ad hanc bellicam virtutem populum incitarent, quemadmodum ferunt Carthagine anulorum ornatum ita quemque capere, vt plurimas militias tolerarit. Lex etiam erat apud Macedones, vt qui nullum hostẽ occidisset, in foro ignominiose cingeretur capistro. Apud Scythas autem ei, qui hostium neminem interfecisset, ex aureo scypho, qui circumferebatur in solemnibus illo-

illorum festis,bibere non licebat. Apud Hispanos olim mos erat, tot numero verucula seu hastas figere circa sepulcrum, quot quisque hostes interemerit. Similima his plurima olim Britanni (populus, teste Cæsare, ad Martem natus) feciſſe dicuntur, vt Alexandri multi Achillis clypeo, hasta, sepulcro conſpectis fierent; est enim in mortuorum sepulcris ac imaginibus, quædam (vt ita loquar) vitæ historia. His quantumuis positis ad superiorem quæstionem respondeo, inferre bellū finitimis, vt imperio & dominatus dilatentur, nō esse iustum aut legitimum, quippe in amplificandis imperijs & mactandis finitimis non lucet beatitudo ciuitatis. In illos ergo impetum facere, ab illis imperium & dominatum rapere, non solum iniustum sed etiam ignominiosum haberi debet, nisi quidem sint illi barbari & serui à natura, quibus vtile & iniustum est, alieno imperio subesse ac inseruire. Licet enim homines ad iustitiam cogere; at liberos volentes iuxta ac inuitos, armis cogere, illorum ciuitates deuastare, depopulari agros, omnia denique eo solum animo inuadere, vt longe lateque dominemur, iniquum est & ab intentione naturæ, iustitiæ, rationis ac legis penitus alienum. Hoc tamen semper excipio, nisi sint serui à natura, aut immaniter barbari, & insidiosi, machinantes semper malum, & perturbantes quietum & tranquillum statum ciuitatis; tales veto si sint, conandū quidem est vt ars arte deludatur, & clauus clauum pellat. stultum enim est ab armis abstinere, cum hostis in tergo hæreat: sin minus, hoc est, si non sint hostes, sed in suis ipsorū

sedi-

ſedibus quieti, ciues illos ſpoliare eſt ius naturæ violare, illorum fortunas imminuere eſt latrocinari, illos occidere eſt innocentium ſanguinem effundere, nec non atrox homicidiū perpetrare. Sic ergo principes in imperando facient, quod venatores in venando, venamur enim non omnē feram, ſed quæ eſt apta eſui: ita illos finitimos ſolum inuadere debemus, qui ſunt à natura ſerui. Legumlatores ergo non debent ad bellandum legibus prouocare ciues, vt alijs dominentur, ſed in hoc potius eorum officium ſitum eſt, ſcilicet, mores hominum locorumque conditiones conſiderare, vt ſtudioſi pacis & virtutis ſolum in ciuitate viuant. Quibus etiam hoc addo, quod periculoſum eſt magnam multitudinem ad furorem & inuidiam irritare; quod ſane faciunt illi, qui haſtis & flammis vicinas ciuitates vaſtant: nam etſi homines forſan ſubactos ſuo iure teneāt, angues tamen dentatos in ſinu ſe tenere putent: verum ſi non vincant, ſed ſuperati ſint, quod fieri quidem poteſt (quis enim exitum bellorum nouit?) actum eſt de ijs illico, & ſuis ipſorum gladijs transfoſſi & iugulati pereunt. Miſerandum eſt exemplum Turcici imperij, quod hoc modo ortum, in immenſum permiſſione diuina creuit. Teneant ergo ſua omnes, nam iuſtum non eſt, nec ergo tutum aliena poſſidere; ad tempus fortaſſe inſidioſa aut violenta valere poſſunt inuenta hominum, ſed absque iuſtitia & æquitate præualere non poſſunt diu; quippe vana & infirma ſunt ſtrategemata ciuitatis, quæ columna virtutis non fulciuntur.

CAPVT VII.

Quomodo aliorum ditiones emtione acquirantur.

ALIORVM ditionibus ſuum imperium amplificandi optima ratio enitet in legitima emtione: ſic enim emitur, quod alias exolui nequiret: nec vllũ eſt principe dignius cõmercium. Papa Clemens VI. à Ioanna huius nominis prima, regina Neapolitana emebat Auinionem reditibus, quos illa eccleſia debebat. Sforza Attendolus Cotignolam à papa Ioanne XXIII. quatuordecim millibus ducatorũ emebat. Delphiniũ ditionem ampliſſimã à principe Vmberto quadraginta millib. aureorũ emit Philippus Valeſius: & Ducatum Berry ſexaginta millibus. Carolus V. Comitatum Auxerre Francicis triginta & vno millibus in auro emebat.

Emtionibus vero omnium locupletiſſimi euaſerunt Florentini: & nullum imperium fuit à numerata pecunia inſtructius. A Signoir di Coſſe quadraginta mille aureis vrbem Arezzo emerũt: Liuorniam vero à Thoma Fregeſo centum & viginti millibus Ducatorum. Præterea emtionis titulo Cortonam à Ladiſlao rege Neapolitano: & Piſam à Gabriele Maria Vicecomite, ſibi comparaſunt.

CAPVT IIX.

Nonnullis ſtipendia dentur.

FREQVENTER in ore habebat Ioannes Galeatius Vicecomes, non eſſe ſub ſole nobilius commercium, quã ſi viros omni-

omnium rerum peritia eximios apud se habeat, negotijsque suis rite adhiheat. Hinc ne maximo quidem sumtu absterreri se passus est, quin ex diuersis nationibus viros industrios & celebres stipendijs suis aleret,

Multis vero modis hoc princeps conficere potest. Vsitatissimus est, exteris accersitis militarè stipendiũ dinumerare. Sunt vero & alia insuper, quorum causa stipendia persoluuntur. Aut enim exteri accersuntur ad inhabitandum vrbes. Sic Leo papa cum Corsicis contraxit, vt sedes in vrbem Burgo transferrent. Aut ad colendã terram, id quod Ioannem II. regem Portugaliæ factitasse constat, qui agricolas è Germania conduxit. Aut ad faciendum quæstum ex ipsorum artibus & negotiationibus; id quod Cosmus & Franciscus archiduces Tuscaniæ sedulo procurarunt. Aut ad conficiendam pecuniam ex bonis & mercibus quibus abundamus.

Cum vero & rudis materiæ & elaboratæ copia est, cauebit princeps sedulo ne rudis materia sua ditione exportetur. Materiam enim alio deuectam è vestigio artifices, qui illam tractant, sequuntur. At quid tum? Multis millibus tua ditio eorum, quos dixi artificum, exuitur. Principis itaq; munus est curare, quo materia in sua ditione enata diligenter elaboretur & perpoliatur, polita vendatur. Sic enim numerus eorum, qui inde poterunt victitare, maior, maius adferet emolumentum tam publice quam priuatim, vt suo loco prolixius ostendi.

CAPVT IX.

De pecunia ad vrbes & ditiones credenda.

DIVRES restant ditionum acquirendarum modi: creditio nimirum pecuniæ, hypothecata illa ditione, in quam credidisti. Rarentissime enim hypotheca illa repigneratur: hypothecata itaq; bona pro proprijs haberi solent.

Electores imperij imperatori Carolo IV. sua vota, cum Wenceslaũ filiũ suũ Romanum regem designare vellet, vendiderant, suum quisq; centũ millibus aureorum, quod vero tanta pecuniæ vis in promtu nõ esset, sedecim vrbes imperiales oppignorauit, quas & ipsi & posteri deinceps tenuerunt. Ludouicus X. rex Galliæ ducatum Ronciglion à Ioanne rege Arragoniæ quatuor auri tõnis recuperauit: quem postea Carolus IIX. gratis regi Hispaniarum restituit. Sic Florentini ab Eugenio IV. vrbem Burgo à Santo sepolchro viginti quinq; millibus coronatorũ ad se transtulerunt. Ioannes III. rex Portugaliæ hac ratione insulas Moluccas à Carolo V. imperatore trecentis quinquaginta millibus coronatorum suas fecit.

CAPVT X.

De amicitiis, quæ ex nuptiis contrahuntur.

AD hæc multum conferunt amicitiæ per nuptias conflatæ. Hac enim occasione multi principatum cum maxima potentia coniunctum sunt assecuti. Tarquinio Superbo plurimum profuit, quod vnam

vnam ex filiabus ſuis Octauio Mamilio, qui apud Latinos maxima auctoritate valebat, in matrimonium elocarat. Carthaginenſes Siphacem, regem potentiſſimum à Romanorum ſocietate auerterunt, quod Sophoniſbam, Aſdrubalis conciuis ſui filiam ipſi dederant vxorem. Hac ratione Veneti ſibi aditum ad inſulas Cypri pararunt. Philippus Maria Vicecomes, imperiũ, q̃ parentis ipſius Capitanei inter ſe diuſerant, quatuor tonnis auri, quas Beatrix à Tenda pro dote adferebat, recuperauit. Sic Aquitania Angli, & Britannia Galli ijsdem medijs ſunt potiti.

Nullum autem imperiũ ad altiorem dignitatẽ per mutua connubia aſcendit quam domus Auſtriaca, q̃ cũ fortuna lætiſſime hactenus effloruit. Sortitus.n. eſt Maximilianus Belgium per Mariam Caroli vltimi ducis Burgundiæ filiã. Philippus eius filius vniuerſam Hiſpaniam per Iohannam regis Ferdinandi & Iſabellæ filiã accepit. His omnibus Carolus eius filius ſucceſſit. Hoc tẽpore Philippus Caroli filius, poſt obitum matris Iſabellæ vniuerſam Portugaliã cum omnibus pertinentijs, regnis ac cæteris eius prouincijs ampliſſimis ſane hæreditario iure accepit. Cumq; hic modus diteſcendi, iuſtitiæ conſentaneus & minore cum periculo coniunctus ſit: plane ſtatuendum eſt, eum eſſe optimum ac tutiſſimum.

CAPVT XI.

De adoptione.

MVLTVM valet ad potentiæ & auctoritatis conciliationem adoptio; hac enim Ioanna II. Regina Neapolitana contra

hostiũ impetus se obfirmauit. Et adoptionis beneficio Angiouani & Aragonenses aditum sibi ad florentissimum nostrum regem fecerunt. Apud solos Gallos hæc amplificandi regni per connubia ratio locum non inuenit. Habent enim illi hac de re peculiarẽ constitutionem, quæ lex Salica ab ipsis dicitur, quam etiam Baldus ius gẽtium Gallorum appellat, qua cautũ est, nullas omninõ fœminas ad regni feudorumve successiones esse admittendas; quæ quidem lex non recens est ac noua, sed antiquissimis Saliorum tabulis conscripta & consignata. Verba legis sunt: *De terra vero Salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat; sed ad virilem sexum tota terræ hæreditas perueniat.* Atque hoc Salicæ legis beneficio Galli se hactenus à Gynæcocratia vindicarunt; quamobrem etiam Baldus in l. centum, C. vnde legiti: Burboniæ gentis masculos etiam millesimo gradu à stirpe remotos prius sceptra Francorum adepturos scribit, quam fœminis locus vllus relinquatur. Et certe principes Allobrogũ Salicæ legis auctoritate fœminas ab imperio semper depulerunt. Etenim Constantiam Ducis Allobrogum filiam à patruo de imperij iure certantem iudicum suffragijs summotam fuisse legimus.

CAPVT XII.

De consuetudine amplificandi regni Polonis vsitata.

POLONORVM regnum longe lateq; extẽsum est, dum exteros, quorum ditiones postea Poloniæ adiectæ sunt, reges crearunt. Sic Ducatum Lithuaniæ, ma-

magno Lithuaniæ Duce è Iagellonē familia oriūdo, ad regni Polonici regimen ascito, regno Polonico adiecerunt. Est autem Lithuania, iam regni Polonici pars non minima, regio admodum paluſtris, plurimumque nemoroſa, eaq; difficilis aditu, ac quodamodo inacceſſa, aquis omnia obtinentibus: hyeme cōmercia cum Lithuanis habiliora: paludibus & ſtagnis alta glacie concretis, niueque ſuperinfuſa, fiunt omnia mercatoribus peruia. Ab oriente Boriſthenis fluuij curſu continuo clauditur. Ruſſiam & Moldauiam ad meridiem reſpicit. Poloniam vtramque & Maſouiam verſus occaſum, Liuoniam & Samogitiam ad Septentrionem conterminas habet. Rara huius regionis oppida: villarum incolatus parum frequēs: accolarum diuitiæ pecora pellesq; pretioſæ multigenum ferarū, quibus regio inſigniter abundat, ceræ ac mellis ibi copia: vſus pecuniæ genti nullus: ſermo, vt Polonis, Sclauonicus: caput regionis Vilna eſt, Epiſcopalis ciuitas.

Cæterum habent & alias rationes Poloni, quo minus è ſuorū numero aliquem in regem eligant. Quod ſi enim regni Polonici ciuibus ad regnum pateat aditus, impudentiſſimus ac ferociſſimus quisq; per fas & nefas dominatum ambiet: ſi vero plures æqua poteſtate & gratia valeant, populū in factiones diſtracturi ſunt, id quod nō ita pridem Sigiſmundo Auguſto Poloniæ rege mortuo contigit, ob quā cauſam, cum ſcilicet cōtrouerſia inter optimates, qui regni ſpem ad ſe quisq; trahebant, coorta eſſet, ſenatusconſultum factum eſt, quo omnib. ciuibus ad regnū via præcluderetur,

CAPVT XIII.

De fœderibus.

BONAM partem prolatandæ ditionis fœdera sibi vendicant: non enim tam potentiam augent, quam in spem animo iniecto erigunt. Multa quidem princeps nisi in fœdera veniſſet, tentare non auderet: quæ ſocijs armis alacriter & aggreditur & finit. Societatis enim vis eſt in rebus ſecundis animum addere: afflictas vero & duras ſubleuare.

Varia autem ſunt fœdera: quædam perpetua: quædam ad certum tempus conditionaliter icta: quædam adoriri hoſtem iubent: quædam iniuriam & vim illatam propulſant: quædam vtrumq; præſtant: in quibusdam confœderati conditione pares ſunt, in quibusdam non item.

Sic Romani in fœderibus, quæ cum Latinis pangebant, erant ſuperiores. Ii enim de bellicis negotijs ſoli deliberabant, duces eligebant, omnesque dabant magiſtratus. Et breuiter vt dicam, vt ſoli bellis præerant, ſic etiam vti victores omnia ad ſeſe transferebant, adeo vt Latinos ſeruis haud abſimiles fuiſſe liquido appareat: nomine quidem ſocios, at non re, niſi in laboribus. Non enim ad honoris, lucri & imperij partem admittebantur, adeoque ſociale fœdus in patrocinium mutabant, ac tandem etiam dominatum arripiebant, atque ita ſub æqui fœderis ſpecie imperioſe ſibi parere compellebant. Vt non immerito Setinus, Latinorum imperator de Romanis queſtus fuerit: Sub vmbra fœderis æqui ſeruitutē pati-

patimur. Siquidem ex Latinorū pecunijs, arma, classes atque exercitus, Romani comparabant, ipsorumq; auxilio totius fere orbis terrarum dominium adepti sunt: Latinos vero suum ipsorum imperium denuo restaurare nunquam passi sunt, sed vel ipsi vel alij ipsorū nomine conatus eorum represserunt. Quam ob causam etiā, vt inquit Liuius, concilia populorum Latinorum habita, responsumq; nō ambiguum imperantib. Romanis datum, abstinerent imperare ijs, quorum auxilio egerent: Latinos pro sua libertate potius quā pro alieno imperio arma laturos. Iisdem prope querelis aduersus Romanos, Lycortas Achæorū imperator vsus est, cum diceret, fœdus Romanorum cum Achæis specie quidem æquum esse; re precariam libertatem, apud Romanos etiam imperiū esse. Nec aliam ob causam Samnites aduersus Romanos tam diuturnum bellum gesserunt, quam quod societatis specie Romani imperare Samnitibus vellent. Ac sane quam imperiose se Romani gesserint aduersus socios, patet ex sociali fœdere, ϕ cum Ætolis percusserunt, verba fœderis sic habent: Imperium maiestatemq; populi Rom. gens Ætolorū conseruato sine dolo malo; hostes eosdem habeto quos populus Rom. armaque in eos ferto; & bellū pariter gerito; obsides arbitrio consulis X L. & talenta quingenta dato. Liberū quidem Ætolis imperium reliquerunt, sed ijs conditionibus, vt paulo minus quam Romano imperio subditi viderentur. Hæc autē verba fœderis: Maiestatem Romanorū conseruato; iniquum fœdus esse, nec legibus æquis cōtractum satis declarant.

Cæterum cum, vt ſuperius diximus; duo fœderatorum ſint genera: alterum eorum, qui auxilia mutua paciſcũtur, ſi ab hoſtibus laceſſiti fuerint; alterum eorum, qui etiam mutuas opes & copias ad ſociorum hoſtes inuadendos promittunt, idque vel exceptis quibusdam, vel ſine vllius exceptione: omnium arctiſſima ſocietas eſt, cum eosdem cum ſocijs amicos habemus. In quo genere ſocietatis & amicitiæ principes honorarium quoddam gentis inſigne, puta militare cingulum torquemve mutuo dare & accipere conſueuerunt. Interdum etiam connubijs ſocietates ac fœdera ſanciuntur.

Porro & hoc attendendum eſt, ſocietates tametſi æquiſſimis coierint legibus, æquum tamen atque adeo neceſſe eſſe, aliquo temporis interuallo definiri aut certe ſæpius reuocari, ne temporis diuturnitate ac reticentia amicitiæ refrigeſcant, aut paulatim intermoriantur, aut plane etiam labaſcant ac conuellantur; quod cum fit; inſigne confœderati cæteri exinde capiunt detrimentum. Vt enim horologium vel vnica rotula deſiderata non mouetur: ſic confœderatorum vires, vel vno tantum membro laborante, diſcuſſæ, non ſecus ac membra ſparſim à corpore diuulſa peſſum eunt. Luculenter hoc probant fœdera ſub Paulo tertio & Pio quinto papa, inter Hiſpanos & Venetos contra Turcam icta. Ac ſane infeſtiſſimis quidem armis coniunctim Turcam aggreſſi, aliquot victorijs potiti, minus tamen feliciter, ac prout decebat, vſi ſunt, propterea quod periculum non omnes ex æquo attin-

cingere visum est. Etsi enim Veneti bella in oriente maxime reformidant, hostemque ijs regionibus auertere strenuissime laborant; Hispanis tamen eo locorum non admodum sunt curæ, proinde in abigendo hoste non tantopere desudant. Vice versa, è bellis quæ in Africa geruntur, nihil emolumenti in Venetorum Rempublicam redundat; at Hispanos, vt inibi bello hostem aggrediantur, summa cogit necessitas. Quo fit vt cum Veneti Turcica arma versus orientem, Hispani vero potentiam ac irruptiones ampliſſimæ atque populosissimæ ciuitatis Alcairi metuant, non pari feruore atque promtitudine auxilia sibi mutua cõmunicent. Papa in medio interiacens multa damna & clades sine vllo emolumento accepit. Hinc plane mecum habeo constitutum, duabus rationibus fœdera cõtra Turcá, si quid præclare gerere principes Christianorum velint, pangi posse. Prima, si omnes principes, qui ditiones cum Turca habent continentes, vno eodemque tempore simul arma contra eum moueant, idque acerrime, atque sic iacturæ cum lucro aliqua fieret recompensatio. Altera est præstantior, vbi plures principes coniunctim in laudẽ nominis diuini propagationemq; ecclesiæ pluribus locis Turcam vrgerent. Factitatum hoc vidimus olim vbi principes aliquot Germaniæ, Flandriæ, Galliæ, Italiæ partim ditionib. suis venditis partim hypothecatis exercitũ ad 400000. viros coegerunt, Turcisque Niceæ, Persis Antiochiæ, Saracenis Hierosolymis fusis, orientique magno incusso terrore, Palestinam recuperarunt.

Præ

Præ cæteris autem hoc notatu dignum: quod ad tantam expeditionem neque reges neque imperatores auxilia contulerunt. Etsi enim rex Galliæ, rex Angliæ, Conradus & Fridericus Impp. post eos secuti sunt, nõ quidem aliquid de integro occupatum, sed occupata defensum & cõseruatum, nihil tamen posteritate dignum effecerunt.

Sed vt ad finem perducamur, plane statuo fœdera iungenda, quoties periculum aliquod imminens vtrosq; ex æquo concernit. Si vero inæqualis cõditio concurrat, statuendum, etiam auxiliũ, quod ex confœderatione sperandum fuerat, fore nullum. Et generatim vt dicam, hoc fœdera sunt firmiora, quo firmius est eorum fundamentum. Perpetua itaque prævalent ijs, quæ certo tempori conditionaliter sunt adstricta; vt & ea, quibus mutuum auxilium aut ad debellandum aut ad hostium vim propulsandum compromittitur, validiora sunt iis, quæ particularia quædam in se cõtinent. Adde etiam, quod paritas magis quam imparitas conditionum, quæ vtrinq; concurrunt in fœderibus, certius promittit diuturnitatis ac perseuerantiæ vinculum.

Cæterum quod ad fœdera in quibus pares vtrinque sunt conditiones, attinet; sunt ea sane cõmoda & vtilia in mutuis defensionibus; at in inferendo bellum alijs non item: id quod fœdera Heluetiorum abunde testantur. Cum enim reprimendus est hostis, tunc vbi vni periculum incumbit, id omnibus imminere videtur, atque ita ad mutuum auxilium socios rapit. Magis siquidẽ animos hominum metus malorum, quam boni spes

spes afficit: cum vero bellum alijs est inferendum, emolumentum quod inde sequitur, tametsi in omnes ex æquo redundat; non tamen hunc iuxta atque illum mouet. Itaque tametsi Heluetijs sæpissime ansa amplissima maximas ditiones acquirendi obtigerit, nihil tamen quoad præsens attẽtarunt: contenti quod extra suam ditionem nunc huic, nunc illi stipendia meruerint.

Hinc multi quidem ex eorum stipendiis militaribus, multi ex pensionibus, pacis tempore ditescunt. Plures tamen consilio quidem diuites, euentu autem inopes fiunt, aut omnino pessum dunt, adeoque bona publica indies labefactantur, non eo tantum, quod varij Martis casus quã plurimos perimunt, sed etiam propter æs alienũ & debita, quibus bellorum duces exteriq; principes ipsis multis modis obstricti manent.

CAPVT XIV.

De commerciis siue negotiationibus: & vtrum principem ijs incumbere conueniat.

VSITATISSIMVS modus ex alieno sua bona augendi in negotiationibus cernitur. Quando vero eiusmodi negotia priuatis potius quam principibus conuenire videntur: operæ pretium me facturum duxi paucissimis perstringere, quibus casibus sine dignitatis imminutione princeps commercia tractare ac circa ea versari queat.

Mea itaque sententia tribusmodis sine existimatio-

mationis iactura quilibet princeps, qualiscunque ille sit, versari in commercijs tractandis potest. Primum, cum priuati in bonis tantum non habent, ideoque aut nimiæ impensæ, aut viæ hostibus infestæ, aliæve rationes à negotiationib. abstinere cogunt. Sic reges Portugalię commercia in Æthiopia & India classe instructissima armataq; manu negotiationes restauratas hactenus magnæ sui laude & existimatione hucusque cõtinuarunt. Iam vero in confesso est, quæcũq; regis virtutem ac potentiam requirunt, siue ad bella siue ad alia quæuis, famæ principis non obstare.

Secundo, si nimis lucrosa essent commercia, & quibus subditi nimium ditarentur. Sic triremes publicas Veneti amandant allatum aromata: quæ Alexandriæ primum coemta, deinceps vero in Anglia, Flandria atque alibi magno Reipublicæ bono venduntur. Ecquis vero regi minus decorũ diuitijs, quæ regi conueniunt, legitimis mediis inhiare, aut id asseuerare?

Tertio, cum commercia illa publicam salutem spectant: sic nonnunquam potentiores principes extrema annonæ difficultate pressis subditis alibunde frumenta coemi, deinceps vero subditis vēditum distribui curarunt, non sine maxima in vasallos beneficentia.

CAPVT XV.

Quomodo Sultani Ægyptij & Portugalenses hac in parte sese gesserint.

AD

AD imperij ſui conſeruationem Sultanis Ægyptijs pueros, qui ad armorum vſum habiles videbantur, vndecunque coemere vſitatum fuit: poſtea ſtrenue exercitare in ijs, quæ armorum vſus equorumque gyratio requirit: eorumque opera, ſiquidem manumiſſi erant, in bellis vti. Hinc tantam potentiá, qua vltrà trecentos annos incolumes ſteterunt Ægyptus, Syria, Arabia & Cyrenaica, conflarunt.

Idipſum quoque, niſi fallor, longe ante vſurpatum Parthis, ipſorum namque in exercitu (qui quinquaginta virorum millibus conſtabat) contra M. Antoniũ ducto plures quadringentis quinquaginta liberis Parthis non fuerunt numerati. Cleomenes rex Spartanorum deſtitutus milite, omnibus mancipijs detulit libertatem, hac tamẽ lege, vt ſinguli pro redemtione libertatis penderent quinquaginta coronatos; atque hoc modo non ſolum maximas copias, ſed etiam prægrandem vim pecuniæ coegit. Homar, Mahometis ſucceſſor, data Sclauis immunitate plurimos Sclauos ſibi adiunxit.

Portugalenſibus magna eſt ciuium ſolitudo: mittunt itaque quotannis in portus Guineos ſuas naues varijs mercibus onuſtas, quas multis millibus Sclauorum permutant. Deinde hos ſecum in inſulas S. Thomæ, in Capo Verde, in Braſiliam, & alio, vt ſaccarũ cõficiant & rus colant, abducunt: aut vẽdunt eos Caſtilianis, qui in inſula Spagniola & alibi eos certis adhibent laboribus. Eadem hęc hominum penuria in cauſa fuit, vt capitis damnati ad triremes in ergaſtula, in metalla &c. condemnarentur. Sem-

Sempronius Gracchus nauaturus egregiam aduersus Hannonem ac Brutios & Lucanos operam, cum legiones magna ex parte Volonum haberet, qui alterum iam annum libertatem tacite meruerant (referam autem Liuij ipsius verba) pronunciat, tempus veniſſe libertatis, quam diu ſperaſſent, patiundæ: poſtero ſe die collatis cum hoſte ſignis dimicaturum, puro ac patẽti campo, vbi ſine vllo metu inſidiarũ vera virtute geri res poſſet. Qui caput hoſtis retuliſſet, eum ſe extemplo liberũ iuſſurum eſſe. Itaq; acri coorta pugna, quartã poſt horam renunciatur Graccho à tribunis militum, nullam rem aliam magis impedire, q̃ capita hoſtiũ pretia libertati facta. Nam vt quisq; hoſtem impigre occidiſſet primum, caput ægre inter turbam tumultumque abſcindendo tereret tempus: deinde occupata dextra, tenendo caput, fortiſſimus quisq; pugnator eſſe deſijſſet, ſegnib. ac timidis tradita pugna eſſet. Quo cognito Sempronius, ſignũ dari propere iuſſit, proijcerẽt capita inuaderẽtq; hoſtem, nec dubiã libertatem futurã ſtrenuis viris. Itaq; redintegrata acriter vtrinque pugna, ducibus hinc inde acerrime annitentibus: poſtremo pronunciat, eſſe nihil qui de libertate ſperarent, niſi eo die fuſi fugatique hoſtes eſſent. Ea demum vox ita animos accẽdit renouato clamore, vt hoſtes haud dubie terga verterint. Cæſi igitur fugatique ac caſtris exuti ſunt hoſtes ducis potiſſimũ prudentia, primo dum libertati pretiũ, qua nihil ſeruo optabilius, caput hoſtis allatum apponit; dein cũ mutato è re conſilio proijcienda edicit capita, neque dubiam libertatem futuram

ſtre-

ſtrenuis viris; demũ libertatis ſpem nullam prorſus futuram cum pronunciat, niſi eo die fulis ac fugatis hoſtibus. Ex quo ſane innuitur, prudentis eſſe viri; pro re ac tempore mutare conſilium ac rei gerendæ rationem.

CAPVT XVI.

Quæ Chinenſium in hac parte conſuetudo.

TAM Græci quam Romani hoſtes ſuos in bellis captos ſeruos fecerunt, & magno cum ſuo emolumento ruri colendo aliisque laboribus deſtinarunt: Chinenſibus autem vſitatum eſt, non quidem hoſtes trucidare, neq; exactionibus grauare, non numellis includere, aut aliis difficilioribus rebus addicere: ſed bellis, quæ in longiſſimè diſſitis locis gerebantur, habitu Chinæo amictos, deſtinare. Quo vero facilius ab aliis dignoſcantur, rubeos geſtant pileolos, alioquin in China minus vſitatos, niſi infamibus, quibus eos geſtare ignominioſum eſt & infame.

CAPVT XVII.

Quæ Turcarum conſuetudo.

MAGNVS Turca multis rationibus populum ſiue potentiam ſuam augendi inſtructus, præ cæteris hanc ſequentem magis frequentat. Omnes omnino homines recipit, vndecumque etiam confluant, quamcunq; amplectantur religionem. Sedes

vltro dat, ea tantum lege, vt, si opus sit, in bella adhibiti strenue pugnent. Ex hac confluentia, robusta illa & fortis equestris copia, quam vulgo vocitant Mutiferiaghos, prodit. Non paucos hic Christianos, quos aut malignans desperatio, aut concepta ira & indignatio, aut execranda superbia, aliæve causæ adegerunt, inuenire licet.

Cęterum omnium huiusmodi Christianorũ, si tamen Christiani dicendi sunt, peruersitas atque perfidia, summopere execranda est. Etsi enim mitius quãdoque agunt Turcæ cum Christianis illis, qui sponte ipsorum fidei se committunt; tamen quam fluxa eorum fides sit, exempla crudelitatis eorum multa extant, quæ id ostendant: cum præsertim ex legibus Mahometanis ipsis impune sit, datam fidem frangere, quando commodum vel emolumentum aliave occasio propagandi suam religionem & imperium appareat. Sibi ipsis igitur blandiantur quamdiu velint, illi, qui fidei Turcicæ fidunt, & seruitutem libertati præponunt. Saniores absque distinctione recte sentiunt, si Turcarum arma præualuerint, nobis nihil reliquum futurum: certe non pudor, non honestas, non dignitas, non libertas, non religio. Si enim crudelitatem & sæuitiam horrendam in suos tributarios & veteres amicos exercent, id quod calamitosissimum recens exemplum Chiensium satis luculenter ostendit. (Hæc enim insula diu pacem cum Turcis, soluto annuo tributo, metu, ne tam potens & vicinus hostis offenderetur, constan-

stanter coluit: verum cum ob fertilitatem insulæ & pulcerrimas fœminas, ob quas semper ea celebris fuit, Turcis aliud placeret, non attentis pactis & fide data; falsis prætextis causis, eam subiugarunt, idque factum anno Domini 1565. quam Tragœdiam Leoclauius in Supplem. annal. Turc. diligenter enarrat, quid statuturi & facturi essent in eos, cum quibus continua fere bella gessere, & quos diu hostes infestissimos habuere, atque voluntaria deditione sub iugum redegere. Querunturfœminæ Chienses apud Iacobum Palæologū, filios paruos raptos & seruitio regio addictos, per vim circumcisos & factos Turcos, & onus filiarū nubilium, quod secum trahebant, & viduitatem, quæ ob mortem maritorum illis contigerat; Nos vero mitiora de ipsis nobis pollicebimur? Promittit quidem impius Turcorum tyrannus religionis libertatem ijs, qui iugo illius colla subdūt, sed fidem seruat, dum ob rem. Nam qui ex Alcorano didicit, Christianorum persecutione Mahometicam paradisum comparari posse & debere; nunquam Christiano parsurus est, nisi quatenus simulata clementia reliquos ad suum imperium perferendum pellici posse confidit.

§

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia

LIBER NONVS.

CAPVT I.

Rationes populum & potentiam iamdudum collectam porro amplificandi.

HACTENVS allatæ rationes, quæ principem ad potentiam extensiue amplificandam manuducunt: Videamus porro quomodo eam ampliet intensiue. Plurimum huc conferunt rationes, quibus fortitudo crescit. Non enim sufficit, numeroso exercitu instructum esse: sed hoc demum, cum confidere eorum virtute & robore licet. Pauci animosi & imperterriti ingentibus cohortibus, timidis & meticulosis præstant. Planum hoc reddunt historiæ tam Græcorũ quam Latinorum, qui sæpissime parua manu ingentes hostium copias fuderunt: Multitudine itaque fortitudo semper superior.

CAPVT II.

An principi tempore belli, subditorum aut exterorum opera vti conueniat.

ANTEQVAM vlterius progrediamur, operæpretium me facturum putaui, si quæstionem antehac à Gallis sæpissime agi-

agitatam enucleemus, Vtrum è re principis arma molientis sit, subditos, an vero exteros milites cõscribere?

Consueuere olim principes, non quemuis sine discrimine, sed solam nobilitatem susceptis bellis adhibere. Imitãtur id etiamnum maxima ex parte Poloni, Persæ & Galli. Cũ vero nobiles equestri maxime certamine gaudeãt, proindeq; equites in aciem descendant, fit vt pleræq; illæ nationes equitatu maxime præstent, peditatu nõ item.

Virtus, qua pleriq; nobilium excellunt, tyrannis fere semper fuit suspecta: ideo nobilitate non raro, ne tyrannidis neruos inciderent, sublata, ditione sua eiecta, bonis eorum plebis libidini ac furori prostitutis fauorem populare sibi hoc modo conciliarunt. Bona pars roboris Turcici consistit in subditis nuper acquisitis, proprijs tamen factis. Ex pueris siquidem Turca eligere solet expeditissimos quosq; (Azamoglianos vocant) hos in infantia tanquam à sinu materno auulsos, in Turciam huc illos dispersos Mahometana religione imbui & informari curat. Amplexi itaque Turcicam doctrinam patrem, nisi solum magnũ Turcam, cuius stipendiis aluntur, ignorant: ignari alterius patriæ, quam quæ stipendia & victum suppeditat.

Rectius autem vt discutiatur quæstio proposita: inprimis notãdum est, maxime stabiliri regna ab independẽtia, id est, vt ex se in se & per se subsistant. Est autem independentia duplex: Prima requirit, vt nulla sit superior iurisdictio. Principes independentes sunt papa, imperator, reges

Galliæ, Angliæ & Poloniæ: Altera, ne in defensionem aliunde auxilium accersatur. Hoc modo & respectu independentes illi habentur. qui hostem potentia & viribus aut superant, aut sane adæquant.

Harum autem posterior est præstantissima. Prima enim vi externa aliunde q; quasi ascita substat; posterior vero ex se intrinsecus, illa plenam & summam iurisdictionem arguit; hæc satis potentem ac robore firmatum ad imperij defensionem, opereq; ac reipsa maximum principem esse ostendit.

Atque hac altera ratione non potest quis esse dominus independens, si nō ipse potentia & populo abundet. Socij enim aliunde assumtio, vt maxime tibi obligatos habeas, potius sua commoda spectant tuis posthabitis. Sæpe, cum illorum ope maxime indiges, reuocato pede te deserunt. Adde quod sæpius ab hoste corrupti à te auertantur: sic Celtiberi primo à Romanis corrupti fidem Carthaginensibus datam ruperunt, atque iterum à Carthaginensibus corrupti Romanos deseruerunt. Nonunquā mora detēti sero adueniunt: hoc aliquoties Gallia non sine maximo periculo sensit. Aliquando reuocantur, impendētibus patriæ periculis. Sic copiæ auxiliares, quæ Francisco regi militabant, tametsi illorum opera minime carere poterat, rebus ipsius grauiter afflictis, ipso tamen in illis angustijs relicto, in suam ipsorum patriam, quam Iohannes Iacobus Medices bello impetuerat, rege nequicquā eos obsecrante, remearunt.

Hic

Hic tanquam in transcursu monendi sumus, eiusmodi socios, quandoquidem mercenariorum more stipendia merentur, similimos esse periuris propolis leuisq; fidei, qui officinas obsoletis & corruptis mercibus infarciunt, operamq; suam carius vendunt. Seditiones vbique spirare, nisi & mature numeretur stipendium: ac integras Respublicas in summa discrimina abducere, & confundere, parum illis est. Post primum bellum Punicum senserunt hoc Carthaginenses: sensit idipsum Dominus de Lutrecha Bicoccæ. Imo habes de quo tibi gratuleris, si non prodant, nec hosti in manus tradant: quod Ludouico Sfortiæ Nouaræ euenit. Procliue admodum etiam illis est, sicubi superiores viribus se deprehendant, molem belli in te conuertere. Angli à Britannis contra Scotos & Pittios in auxilium vocati, verso mucrone, vbi fugatus fususq; erat hostis, illos, quos adiutum venerant, hostiliter impetiuere.

Quid dicam de interitu & excidio imperij Romani? annon acceptum referendum militi barbaro aliunde adscito? Tam domesticis quam exteris bellis quasvis nationes addebant imperatores: Adrianus Alanos: Alexander Osroenos: Probus Basternas, Hispanos, & Gallos: Valerianus Gotthos: alij alios. Hi bellandi ritum Romanis vsitatum edocti, situque regionis cognito & explorato, imperatorum, imo ipsius imperij domini euaserunt, adeo vt præstantissimus quisque Romanorum dux à barbaris & exteris natus esset. Stilicon, Vldinus, Ruffinus, Castinus, Bonifacius,

Aetius, alijque plures, eandem quam imperatores poteſtatem apud Romanos vſurparunt: tandem ipſum imperium adorti pede in Italiam fixo Romam ceperunt, in regna cæteris prouincijs redactis. Sic Franci Galliam: Burgundi Sequanorũ regionem: Vandali Aquitaniam, Hiſpaniam & Africam: Sueui & Alani Bretagnios: Oſtrogotthi Macedoniam & Thraciam: Sclaui Dalmatiam: Saraceni, Aſiam, Africam & Hiſpaniam occuparunt. Rhadagaſſus, Alaricus, Attila, Genſericus, Biorgus, Theodoricus, omnes barbari, Italiam ſemel aggreſſi, ſucceſſu temporis penitus euerterunt.

Ecquæ cauſa, dic amabo, imperium Orientale peſſumdedit? Annon, quod imperator Carloiannes duodecim millia Turcarum contra hoſtes aluit? & ex his, cęteris dimiſſis, ſex millia retinuit? Hi explorata regione eiusq; habitu, perſpecta ſoli fertilitate, facilitateq; expugnandi ob infantiam principum, diſcordias procerum, & attenuatam potentiam, ſuaſores Amurathi fuerunt, vt maximis copijs, ſexaginta millibus bellicoſorum anguſtum mare traijceret. Tum cœptæ à Turcis occupari vrbes tamdiu, donec Mahometes capta Conſtantinopoli vniuerſum Orientis imperium euerteret.

Hoc malum ab externa manu militum profectum potiſſimum in cauſa fuit Carolo VII. regi Galliarum, vt regnum ſuum Anglorum è manibus excuſſum expeditius defenſurus exercitum quinquaginta mille peditum conſcriberet. At cũ proditiones machinari viderentur latrocinijsq; & expi-

& expilationibus molesti essent, à Ludouico XI. dimissi sunt substitutis Heluetijs. Postea Franciscus I. animaduertens magnitudinem periculi toti Galliæ imminentem ab extero auxilio: quod aut serius veniebat, aut eneruatum, planeque inutile redditum, aut hostium strategematis plane auersum minus proderat: nouum exercitū quinquaginta millibus peditum constantem & in septem legiones distributum cōscripsit, anno 1534. His vero maxima ex parte fursis, Henricus rex noua accessione facta redintegrauit, minus tamen ob corruptiorem disciplinam, ipsorum opera feliciter vsus fuit.

At dicat aliquis, qui subditos armis addicit, & in ijs exercitat, nę ille sibiipsi malum struit, & subditi leuissime offensi iugulum ipsius petent. In armis enim non timor sed furor inest, atque armata malitia nihil periculosius ducitur. Satius itaque est eos esse armis nudatos, tum enim timebunt verbera: at armis muniti tentabunt imperia atq; in dominos sibillabunt, secundum illud:

Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Factitatum hoc in Flandria & Gallijs accepimus: vbi milites cædibus & sanguini assueti, pace cum exteris facta arma in patriam ac magistratus conuerterunt. Verum enimvero vix ac ne vix quidem fieri poterit, vt res humanæ, præcipue in imperij negotijs, extra aleam periculi constituantur. Mature itaque occurrere vrgenti difficultati, munus est principis intelligentis.

Maxima autem cuiusvis Reipublicæ pestis est, cum viribus proprijs ijsq; sufficientibus destituta,

auxilia extrinsecus asciscere, ijsq; firmissimi præsidij loco vti opus habet. Atque ab hac difficultate dependent omnes cõfusiones supra memoratæ, quæ numero tot & tantæ sunt, vt quicquid ab altera parte in contrarium adferri queat, cum hoc neque conferri, neque pondus vllum habere queat. Stat itaque sententia. omnem diffidentiam, id est, cum princeps subditis suis diffidit, ex animo abiecto, & minus heroico proficiscí.

Cum enim nulla ciuitas, nulla Respublica insidijs careat, optimi quique principes ac heroes subditos sibi ciues ad omnes armorum vsus assuefecerunt, vt inopinato tumultu aut seditione exorta, in promtu arma sua haberent, aliter enim armatus hostis inermes inuaderet, & prius opprimeret oscitantes, quam ex publica armatura ciuitatis peterentur tela. Sicut ergo optandum est, vt in qualibet vrbe sit armorum copia: ita tutum erit, si quilibet priuatim bellica ornamenta teneat, quibus tectus derepente impetum capitalis hostis poterit retundere. Mora siquidem in omnibus, maxime rebus in bellicis moribusque, seditionis trahit periculum; quique hoc onus defugerit, non tam ingratus quam ignauus inter ciues haberi debet. Porro in multis locis faces inuidiæ ardent, nec non sæpe accendunt animos ad furorem, vnde ad cædem & sanguinem non aliter quam feroces leones ac tigres rapimur: si in hoc casu sobrijs desint arma, nemo est quin videat incendium fieri. Sic Romulus peregrinos artibus mechanicis, quas sordidas

didas & illiberales Cicero appellat, adeoque ciuibus Romanis minus conuenientes, addicabat: nulla commercia nisi agriculturam & res bellicas ciuibus permittens. Nec meminerunt historiæ rebus sic stantibus, intra ducentos & quadraginta annos vllam seditionem inter ipsos fuisse exortã. Suis sumtibus militabant, dicto audiẽtes, expediti & promti: disciplina illis erat iusta & stricta, semperq; magistratus, qui non solum rerum periti sed & in executione erant strenui. Macedonibus ab Alexandro Magno omnium grauaminũ data immunitas, solo armorum vsu relicto. Hieron, olim rex Syracusanorum à Romanorũ rerum scriptoribus passim decantatus, imperium suum vt labefactationibus minus redderetur obnoxiũ, exteros milites trucidauit omnes, sic enim se ijs certo liberari posse credebat: de suis vero delectu facto amplissimas copias coegit, quarum opera se & sua fortiter, dum vixit, tuebatur. Amplius dicam. Respublica Veneta, dux Sabaudiæ, magnus dux Toscaniæ, annon alunt viros bellicosos, & quotidianis exercitijs agitatos? Neque tamen, eos rebellione facta detrectasse iugum, deprædatos regiones, vias infestasse, vrbes obsedisse, pacem rupisse, aliaque nefanda commisisse, vnquam auditum est. Hoc autem vitium si deprehendatur, potius laxitati militaris disciplinæ, quam ipsi militi imputandum est.

Quæ sane omnia satis euidenter docẽt, crebrioribus armorũ exercitijs subditos à principe exercitandos, eum in finem, vt incursionibus in ipsius fines factis, intra Reipubl. suæ ipsius viscera

satis

ſatis virium habeat, nec aliunde auxilia conquirere opus habeat. Satis dilucide id oſtendit Liuius de duorum Scipionum interitu ſcribens: *Id quidem*, inquit, *cauendum ſemper ducibus Romanis, exemplaq; hæc vere pro documentis habenda: ne ita externis credant auxiliis, vt non plus ſui roboris, ſuarumq; proprie virium in caſtris habeant*. Ne autem ſubditi armorum tractandorum vſum edocti, pace turbata turbas cieant: cohibendi vtique ſunt bona & ſeuera diſciplina, &, qui ſtipendia merentur, debito tempore exoluendi. Nunquam deerunt Turcæ, Mauri, & Saraceni, contra quos in aciem educti dimicent.

Cæterum ad præcauendos inteſtinos motus multum etiam confert habere ſemper paratas triremes, quibus inquieti & Martis amantes impoſiti ablegentur, ad deprędandum hoſtes, ſic enim & hoſtibus terra marique incutitur metus, & Respublica noxijs illis humoribus exhauritur. Quamuis enim vt plurimum ſunt ferociores, raro bonis legibus, raro emollitis moribus obſequentes: Neptunus enim ferox eſt & feros facit milites: hos tamen alere & fouere oportet ciuitatem, ijsque quaſi ſceptrum Neptuni marisq; imperium polliceri; imperandi enim titulis & inſignibus mirifice capiuntur milites, modo quoad victum & cultum nihil deſit neceſſarium, id vero ſi deſit, furantur, & ſane nõ ſine cauſa. Nam quid magis deplorandum eſt, quam vt miles pro ciuitate pugnans inedia & frigore exhauſtus pereat? Præſtat itaq; multas triremes inſtructas & claſſes armatas in ſuis partib. habere. Cum enim hoſtes terra

terra marique ſæpe obſideant & oppugnent vrbem, cum dies noctesque excubias faciant, vt in vrbis quaſi coſtis & lateribus ſuas haſtas figant, cũ nunc in continenti hæreant, nunc per mare irruant & ingraſſentur, prouidentius nihil eſt conſtitutum, ſapientius nihil prouiſum, quam vt claſſes & nauales copiæ adſint, quæ inſtar nemorum cõtra vim hoſtis vrbem protegãt & defendant. Nobiles iſti muri ita Mineruæ vrbem (Athenas) aduerſus Lacedæmonios bellicoſam gentem tutati ſunt, vt donec exarſerit inteſtina ſeditio, frequens tentautem fruſtra hoſtem ſecuta ſit confuſio.

CAPVT III.

Non omnis multitudo promiſcue recipienda, ſed fortiſſimi quique eligendi.

ADMODVM fructuoſum eſt ad erigendum militum animos, fortiores quosque ſeligere. Neque enim omnes ferundis laboribus bellicis æque pares ſunt. Bellicoſi eſt, tam æſtus quam frigus perferre, tam ſolis quam lunæ iniuriam, ſiue æſtas ſiue hyems intonet, ſiue fames ſiue ſitis premat: integros dies ſine operis remiſſione, totasque noctes inſomnes ducere: flumina tranare, foſſas trãsilire, muros conſcendere, conflictus cõflictu accumulare, qualem Dauidem fuiſſe, antequam rex crearetur, legimus. Semper paratus ſit hoſti reſiſtere, quocumq; etiam modo ex improuiſo obruatur: non abhorreat ab incendijs, nõ ab immenſis tormentorum fragoribus, non pertimeſcat ſcloporũ gran-

grandines & ictus, neq; procellas calcis viuæ feruentisq; olei, neq; proiectos ignes declinet. Summatim vt perstringam, nō detrectet vitæ salutem obijcere periculis, imo ipsi morti, si id per naturā liceret, insultare eamque prouocare.

Cum vero pusillanimes ac timidi nihil horum possint perferre, delectum omnino habebit princeps militum, fit enim haud raro, vt ij, qui alioqui sunt animosi, perspecta timidorum pusillanimitate, etiam ipsi animo deiiciantur. Vbi vero sibi adiunctos vident animosos, tum & ipsi animis & robore aucti indies maiora spirant. Hac de causa Deus præfectis Israelitarum præcepit, vt antequā populum in aciem educerent, conuocato loquerentur, vt Deut. 20. cap. extat: *Quis est homo formidolosus & corde pauido? vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorū, sicut ipse timore perterritus est.* Cumque affectus siue ardor erga sponsam in sponsi domum nondum deductā; aut amor domus nuper extructæ, nondum vero inhabitatæ: aut vineæ nouæ, de cuius fructu nondum comedit, aliarumve huiusmodi rerum plerosq; hominum à rebus bellicis, quod cum periculo sint cōiunctæ, auocet & auertat, adeo, vt vitæ quam honoris adipiscendi sint studiosiores: etiam horum Deus voluit haberi rationem, præcepitque & hos à militia debere esse immunes. Obseruauit hoc Iudas Macchabæus, vt liber Macchab. cap. 3. testatur. Quamuis enim hostium magna copia, ipsi vero exigua turba esset, proclamari iussit, vt qui domos ædificarent, vxores ducerent, vineas colerent, aut formidolosi essent,

eſſent, domum quilibet ad ſua abirent.

Præſtantiſſimi quiq; duces oculos ſuos magis ad virtutem & fortitudinem, quam militũ multitudinem adiecerunt. Alexander Magnus tribus myriadibus peditũ, & quatuor millibus equitum totam Orientem domuit. Hannibal expeditionẽ in Italiam ſuſcepturus debellatum Romam ſeptẽ millia Hiſpanorũ, quorum puſillanimitatem aduerterat, domum remiſit: plane ſtatuens, plus detrimenti quam emolumenti ab his ſibi impẽdere. Comes Albericus de Cunio dimiſit copias Italas non ſine infamia, vna tantum ſelectiore cohorte ſecum retenta, quam D. Georgij fœdus vocabat, qua Anglos, Britannos, aliasque barbaras gentes, quæ montibus ſuperatis longo iam tempore regionem omnem peſſime afflixerãt, fudit, Italiaq; eiecit. De Georgio Caſtriota notum eſt, quod multis prælijs cum Turca commiſſis nũquam ſub ſignis ſuis vltra ſex millia equitum duxerit, quib. ditionem ſuam, exiguis incluſam terminis, fortiter & reparauit & defendit, multis opimis ſplendidisq; victorijs reportatis ab Amurathe & Mahomete Turcicis imperatoribus. Conſtat porro, quantam exiſtimationis famam in bellis Italicis Ioannes Medices ſelectiſſima militum manu ac robore ſibi pepererit.

Optandumque inſuper eſſet, milites ſelectos eſſe ambidextros. Requirebat hoc Plato, ratus longo vſu rem confectu facilem eſſe. Verum hæc & ſimilia, vtpote cuius ſint nationis, qua forma, quibusve rebus exercitati eſſe debeant milites ſelecti: alijs, qui & docte & copioſe id tradiderunt, relinquam. Cæte-

Cęterum,cum fortitudinis nomine quamplurimi ſępenumero abutantur,ac dũ audaculi quippiam auſu temerario perpetrarũt, eo nomine fortes videri cupiunt, non abs re me facturum arbitror, ſi qui vere fortes dici debeant, exponam, veramq; fortitudinem ab adulterina diſcernam. Sane milites noſtræ ætatis ſummæ laudi ac voluptati ducunt, atq; inde maxime fortes videri cupiunt,vicos nimirum incendere, vrbes obſidere, obſeſſas expugnare,expugnatas diripere,direptas inflammare,ſtupra cædibus, cædes ſtupris cumulare,omnia deniq; humana diuinis miſcere. Atq; hæ ſunt vtilitates,hi militiæ fructus, bonis omnibus merito deteſtabiles, militibus tamen ſuaues ac iucũdi. Nec vero exemplis in re tam perſpicua opus eſt. Quis agricolarum etiamnum vulnera neſcit?quis non videt calamitates?quis querimonias non audit? Certe quidem omnes omnium agri,pecora,fruges,quibus ſpiritum ducimus,hęc, inquam, omnia ſunt in poteſtate militum, id eſt, vt plerique omnes interpretantur, prædonum; quos vel auaritia ab hoſtibus ad prædam; vel libido ad voluptatem; vel crapula ad ingluuiem; vel furor ad crudelitatem reuocare conſueuerunt. Num vero ex huiusmodi egregijs ſcilicet facinoribus fortem quempiam dicendum exiſtimabimus? Minime vero. Fortitudo enim, vt inquit Gellius lib. 2. cap. 5. Noct. Attic. non ea eſt, quæ contra naturam, monſtri vice nititur, vltraque modum eius egreditur,aut ſtupore animi aut immanitate,aut quadam miſera &neceſſaria in perpetiendis doloribus exercitatione: Sed ea vera &

proba

proba eſt fortitudo, quam maiores noſtri ſcientiã eſſe dixerunt rerum tolerandarum & non toleradarum: per quod apparet eſſe quædam intolerabilia, quibus fortes viri aut obeundis abhorreant aut ſuſtinendis. Si enim, vt inquit Ariſt. lib. 1. mag. moral. aliquem valde facias impauidum, quod Deos non timeat, non fortis ſed inſanus eſt. Fortis ergo erit, non qui timet omnia, neque qui nihil menſurat timore, ſed qui auget fortitudinem. Et paulo poſt: Si quis non timet timenda, aut aliquid quod ſupra hominem terribilium eſt, non fortis eſt ſed inſanus.

Cum itaq; ex iamdictis, ex contrariorum nempe oppoſitione, quę ſit vera fortitudo, prope eluceat (contraria enim iuxta ſe poſita magis elucescunt) oſtendemus nunc, quæ virtutes fortitudini potiſſimum famulentur. Harum autem prima eſt Tolerantia, quæ eſt æqua malorum ac moleſtiarum perpeſſio. II. Duritia, imbecillitatis mollitieique expultrix. III. Patientia, ſtabilis & firma perpeſſio eorum omnium, quę dura, aſpera, difficilia, grauia, ærumnoſa contingere vnquam poſſunt. IV. Firmitas quoque, quæ periculoſis & aduerſis nullo modo ſuccumbendum eſſe doceat. V. Animi magnitudo, quæ nihil humile, nihil abiectum agi ſinat. VI. Fidentia quoque, quæ vires atq; animos vbique ſuggerat. VII. Deſpicientia, quæ mala omnia cõtemnenda ſuadeat, cunctaq; præter virtutẽ pro nihilo ducenda moneat. VIII. Confirmatio etiam, quæ eſt virilis ac robuſti animi inſtitutio, vrgentibus malis minime cedendi. IX. Generoſitas item, quæ ſuadeat cuncta præ-

rationem, clemẽtiam nempe & manſuetudinem ſeu modeſtiam, ipſam fortitudinẽ impedire dicamus. Nam cum omnes virtutes inter ſe conglutinatæ ſint; tum vel maxime animi moderatio atq; fortitudo. Vtraq; enim ab eadem animi magnitudine profecta, eandem propemodum retinet dignitatem. Nec enim maioris animi eſt, impetum hoſtium ſuſtinere; quam cohibere iracundiam: & omnem perturbationem reprimere: nec vlla offenſione ab humanitate & à mentis cõſtantia deturbari. Non itaque quis ferme fuerit vir egregie fortis, quin etiam laudem manſuetudinis ſibi adſciuerit. Quanta gloria fuit illa Themiſtoclis, cum eſſet in conſilio Græcorum à reliquis ducibus cõuitijs indigniſſime vexatus: ille vero petulantiam illam non conuitio, ſed patientia comprimendam putaret? Quid hic Periclem referam? Quid Iulium Cæſarem? & alios complures, qui non mañoté ſtudio virtutis imperatoriæ nomen, quam manſuetudinis & patientiæ laudem venabantur. Contra vero, vt quisq; eſt animi maxime anguſti atque demiſſi, ita eſt ad iracundiam & feritatem maxime propenſus. Omnes illi barbari, qui à diſciplina fortitudinis abhorrent, ita crudeles habiti ſunt, vt loquendi conſuetudo crudelitati ipſe barbariei nomen adſcripſerit. Quid de mulierum natura dicam? quibus vt nihil eſt imbecillius, ita nihil ad iniuriam perſequendam tõcitatius.

Sed obijciet hic aliquis: Cum vere fortes manſueti etiam eſſe debeant, nunquam impetum hoſtium à ſuis finibus depellent, neque ſceleri armis

resistent: sed quemuis furorem beneficio compensabunt? Hoc qui dicit, minime expendit officiorum momenta: nec intelligit, alia alijs personis, locis, temporibus, causis conuenire. Sic Christiani ipsi, qui in priuatis offensionibus & iniurijs moderationem atque patientiam amplectuntur, ijdem in publicis periculis acerrimi & vehemẽtes publicæ salutis atque libertatis vindices existunt, pſertim vbi simul agitur dignitas religionis. Tunc enim mansuetudinem indignum flagitium, patientiam scelus nefarium arbitrantur. Hac mente præditus fuit diuinus ille Moses, quem sacræ literæ perhibent, fuisse inter omnes mortales mitissimum, qui tamen & hostium copias singulari virtute repressit, & læsi numinis offensionem multorum supplicio placauit. Talis etiam fuit Dauid, quem vnum diuina oracula laude mansuetudinis vnice commendant. Hic tamen incredibili virtute maximos & fortissimos hostium exercitus profligauit, & ingentes alienigenarum strages edidit. Sic etiam multi Christiani principes ad omnem rationem humanitatis commodissimi, bellicæ fortitudinis gloria laudem mansuetudinis æquarunt. Non est igitur, cur quisquam mansuetudinem aspernetur, cum ita cum vera fortitudine coniuncta sit, vt nihil possit esse copulatius. Atq; vt de vera illa ac sacris codicibus scriptorumque ecclesiasticorum voluminibus passim decantata, Christiana nimirum fortitudine nonnihil dicamus, cum ciuilis illa in rebus difficilioribus haud raro labascat; hæc non terræmotu, non fulmine, non prodigiis vllis aut monstris conturbatur: ni-

hil

hil est denique quod animum hominis Christiani conuellere aut labefactare possit. Sic est enim institutus, vt si orbem terrarū bellis ardere videat, si omnia sibi pericula intendi, si cuncta incendio conflagrare atq; pene consumi, ipse tamen optima spe plenus constantiam retineat: nec vllo vnquam horrore perfundatur. Primum, quia credit, esse se fortissimis copijs constipatum atque communitum. Didicit enim è sacris literis, esse quosdam cœlestes exercitus, qui piorum hominum salutem tueatur, & ab illis, cum commodum est, omnem impetum atque furorem hostium propulsent. Hoc enim se præsidio vallatum esse sensit Iacob, cum castra Dei se conspicere testificatus est. Rursus cum Syriæ exercitus Helisæi capiti immineret, ipsiusque minister formidine perterritus opem imploraret, Noli timere, inquit Helisæus, plures enim nobiscum sunt. Atque ne quis in paucos illud diuinum præsidium collatum esse putet, alibi de vniuersis, qui pietatem colunt, Deumque caste & pure venerantur, sic scriptum est: Castra posuit Angelus Domini in circuitu timentium eum. His igitur testimonijs qui firmissimam fidem adiungit, seque diuino præsidio munitum esse credit, trepidare metu non potest, sed elato animo atq; confidenti, id quod alio in loco scriptum est, vsurpabit: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si insurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Item illud: Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Domini spem repositam habemus: ipsi confracti ceciderunt, nos autem erecti victoriam reportauimus.

mus, nihil profecto videatur morte formidolosius: quæ corporis fabricam, quæ sensus omnes, actiones deniq; ipsas penitus tollat,& in nihilum redigat. Quæ ratio cum sit quammaxime naturalis,necesse est, sit etia quammaxime vera. Quid quod alius dum amoris impotentiã ferre nequit, laqueo gulam frangit? alius dum ægerrime fert seruitutem, ferrum adigit in præcordia, vt illius onus morte statim excutiat. Quæ res efficit, vt morte aliquid terribilius videatur,qua de re paulo post.

Quoniam autem generosissimus quisque laudis est decorisque appetentissimus, quibus vt potiatur, nihil non paratus sit,& ferre & perpeti, ex hoc naturæ animique motu & quodammodo impetu,ad laudem ac decus,vt Cicero ait,illa pericula adeuntur in prœlijs. Non sentiunt viri fortes in acie vulnera:vel sentiunt,sed mori malunt, quam tantummodo de gradu dignitatis dimoueri. Nec vero in quocunq; periculo, sed vbi aut ex victoria, aut ex morte decus illud senserunt se adepturos.Siquidem ignauissimi etiam nautæ,tamen ferendis procellis assueti, non perturbantur marinis tempestatibus: quorum quidem mors an quicquã potest habere præclarum? Plebeij quoq; homines & in vmbra educati, corporis cruciatus perpetiuntur. Iidem gladiorum vibratus & hosticum tubæ sonũ ferre nequeũt. Quocirca fortis vir, quique plane dicendus est vir,ex morte, quæ quidem futura sit longe pulcerrima, decus illud adipisci contendet, cuius est quammaxime studiosus; quo vt potiatur,difficilima quæq; pericu-

ricula ſponte adibit: in quibus peruincendis, aut ſi hoc minus contigerit, in appetenda morte laudemque & decus collocatum intelligit. Cum reſcindi pontem iubebat Horatius, annon intelligebat quid ageret? Caritas tamen patriæ ac nobilitas mortis & gloria, eripiebat omnem animo vulnerum atque aquarum metum. Idem licet de Epaminonda dicere, quamuis alter liberam relinquere patriam contenderet, alter quam ipſe in libertatem vindicaſſet, imperantem relinqueret. Senior ille Phorbas apud Statium, vide quo adhortationis ac laudis genere proſequatur in bellum proficiſcentes:

Ite alacres, veſtri nunquam morientur honores,
Bellaq; perpetuo memorabunt carmina muſæ.

At Æneas grauiſſima illa tempeſtate vexatus ingemit:

——. Et duplices tendens ad ſidera palmas
Talia voce refert: O terq; quaterq; beati
Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Quorſum hæc fingũtur à Poëta in viri ducisq; fortiſſimi perſona, vt quem hoſtiles tot cõgreſſus nunquam fregiſſent, præruptus ille aquæ mons tã humiliter atque infracte de ſua ſuorumque coegerit ſalute deſperare? an quod id moriendi genus nullum decus eſſet allaturum? nec virtuti ſuæ vllum ſentiret locum inter tranſtra remosque relictum? Itaque non fert grauato animo mori, ſed quod ſic moriundum eſſet. Idem dico de Hippomedonte. Is enim diu inter aquas colluctatus, cũ tandem à torrente raperetur, exclamat, queritur,

Deos

Deos incuſat, quod tam indigne ſecum ageretur:

—— Fluuione (pudet) Mars inclyte merges
Hanc animam? ſegnesq; lacus & ſtagna ſubibo,
Ceu pecoris cuſtos ſubiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? Adeone occumbere ferro
Non merui?

Sed inquis: Quid conuenit, orationem hanc quæ ad philoſophorum morem inſtituta eſt, his Poetarum mendacijs inquinari? Hæc, inquam, mihi aliquis obijciet. Cui ſermoni imperito vt reſpondeam, velim dari mihi veniam, ſi tantiſper à propoſito digrediar. Equidem is ſum, qui Poetas omnes vera ſcripſiſſe credam. Atque hoc certe viri Græcorum grauiſſimi ſtatuerunt, cum duos Homeri verſiculos ſecuti, litem ſecundum Athenienſes dederunt, cum fuiſſet de Salaminis poſſeſſione inter Athenienſes & Megarenſes ingens controuerſia conſtituta. Id arbitrati ſunt viri doctiſſimi, qui tam crebro auctoritatis Homericæ præſidio ſcripta ſua munierunt, viri in omni genere laudis præſtātiſſimi; quem etiam Homerum omnium Poetarum fuiſſe veritatis amantiſſimum arbitrati ſunt. Nec tamen, quod iſtos homines minime malos haud fefellit, eadem veritas exigitur, & à Poeta, & ab Hiſtorico. In hiſtoria namq; res tantum geſtæ deſcribuntur, vt hominum memoriæ commendentur: A Poetis autem quibus eſt aliud propoſitum, multa etiam ad honeſtam aurium voluptatem referuntur. Idcirco in hiſtoria præcipua virtus eſt, vera ſimplexq; rerum geſtarum expoſitio, locis, perſonis, temporibusque diſtincta: Poetarum autem oratio vt numeris eſt

eſt à Philoſophis factitatum: ſed incredibili potius atque diuina dicendi venuſtate, quo facilius homines ad ſtudium virtutis alliceret. Iure itaq; nemo Poetas mendacij inſimulare poterit, ſicubi vere cumulateq; præſtiterunt eam fidem quæ ab ipſis requirebatur. Sed hæc obiter.

Hanc itaque ob cauſam Poetarum magis auctoritate atque ſententijs quam Philoſophorum initio vti malui. Non quod non etiam Philoſophi virtutem hanc mirum in modum laudent, ſed quod Poetæ magis magisque admirentur illam, & pleniori quodam ore efferant. Quippe qui dum non modo inuictam, ſed ne ſuperabilem fortitudinem volunt oſtendere, Amphiaraum illum viuum armatum, è curru pugnantem, hiatu repente facto, ad inferos ruere magis quam deſcendere faciunt, qui ne dum quidem aut arma manu aut frena remittit, verum ſicut erat, rectos defert in tartara currus, vt magnifice ac luculenter de eo Statius canit.

Cæterum cum ex ſupradictis ſatis appareat, omnium pulcerrimum eſſe in bello mori, atque in maximis belli periculis qui intrepidum ſe ac inuictum in ijs geſſerit, is ſit quem viuum ſuſpicimus, in quem mortuum honores conferimus ac titulos, pulcrumq; mori ſuccurrat in armis, vt ait Poeta excellentiſſimus: intelligit quivis, qualis virum fortem mors deceat. Optaſſe dicitur Cæſar, vt repentina aliqua morte decumberet, in morbis enim nolebat iacere: adhæc iudicabat in lecto inter fomenta mori, habere nihil

poſſe,

posse, quod esset forti viro dignum. Iacobus Caldora mira cum animi voluptate præ se ferebat, quod in pugna casurus esset, sic enim à Mathematico prædictum acceperat. Is cum aliquando graui esset morbo correptus, sentiretque medicos de salute desperantes: Atqui, bono vos, inquit, animo esse volo, in bello enim atque acie armato mihi, non in lecto sub culcitra est cadendũ, quod etiam postea contigit. Nam dum collem Samnij castellum oppugnat, dum ex quo milites cohortatur, animam repẽte extulit, nullo doloris signo dato, præterquam quod dum à satellitibus equo expirabundus aufertur, atque in tugurium sub tecto collocatur, nutu labrisque significauit, velle se in tabernaculo vita fungi, indignum imperatore ducens sub tugurio emori. Delatus itaque in tabernaculum, statim & acquieuit & diem obijt. Quocirca fortis vir in rebus omnibus, in quibus munere suo fungi potest, officiumque cum dignitate facere, & in quibus mori pulcrum fuerit, inuictum se se atque impauidum præstabit: atque in ijs maxime, quę in acie difficillimisque belli periculis pugnando contingunt, quæque mortem etiam nobilissimam allatura videantur.

Porro terribilia, quæ horrorem atque metum animis hominum incutere solent, duplicia sunt. Alia enim omnino hominis captum exuperant; quippe quibus nec vires nostræ pares sunt, nec vllus humanæ prudentiæ rationique vel tolerandis illis vel peruincendis locus relinquitur. Quæ quidem timere, nec degenerantis est animi, cum nihil inde laudis decorisque possit comparari, si mi-

minus formidentur: nec turpitudinis infamiæq; ſi, vt par eſt, timeantur, quando cuique ſanę mentis æque ſunt extimeſcenda. Atq; ea quidem metuere, ſani potius quam imbecilli eſt animi. An non enim terræmotus, aquarum inundationes, fulgura ac tonitrua, aliaq; his ſimilia tibi videantur iure etiam fortiſſimos quosque debere concutere? Quis Ætnæ incendia & eructantis illius verticis liquefactos igne lapides non expaueat? Dicat aliquis terræmotum non eſſe formidandũ, cum vrbes non modo quaſſantur, verum etiam funditus euertuntur, cum infinita hominum ſtrage, ex qua qui reliqui manſerunt, nihil meminere miſerabilius? Contendat etiam hic ſuum fortitudini eſſe locum? Hæc igitur aliaque huiusmodi, fortes ignauique iuxta metuunt; quæ quidem non metuere, omnemque adeo metum exuiſſe, videtur magis hominis aut parum ſanæ mentis, aut prorſus ſtupidi atque obtorpeſcentis, quam ſenſu rationeque bene vtentis eſſe. Alia vero, quæ concutere quidem animos ſoleant, non tamen vt aut tolerandis ipſis humana virtus ſatis non ſit, aut acrius ingruentibus parum conſtanter reſiſtere valeat: quandoquidem eadem ipſa vt viribus inferiora perſæpe vincat, qualia ſunt bellica pericula, & ea maxime quæ homini ab homine inferuntur: quorum ratio hæc eſt, vt tum magis quam oportet, tum minus quam opus eſt, aut etiam quanti oportet, timeri vſu veniat. Cur autem bellica pericula etiam fortiſſimo cuiq; haud raro horrorem incutiant, hinc eſt, quod euidentiora cum ſint, magis ſentiuntur. Quid? quod ipſe gla-

tametsi timeri quædā oporteat, timentur illa quidem, at non perinde vt oportet, aut vbi minime opus est, deniq; non quam ob causam timeri debeant. Proinde loci semper ac temporis adhibita æquabili mensura ratio est habenda. Hæc enim & si qua sunt de genere eorum, circumspicienda sunt forti, in quibus qui labitur, is ex arce fortitudinis necesse est corruat.

Videre licet alios nimis puerili animo cuncta pauentes: alios quanquam grauioribus rebus atq; periculis nō imminentibus, adeo tamen consternari, vt etiam cogitata excutiantur. Atq; illi quidem in eo peccant, quod metuenda ac non metuenda æque pauitāt; hi quod à modo mensuraq; ita decidant, vt pene videantur exanimes. Sunt etiam quos ipsa præmeditatio territet. Quæ res magnas aliquando copias nullo premente hoste fudit fugauitque. Cęsar cum ad solam famam aduentiū Germanorū suos ita videret exterritos, vt permulti è castris iam abirent: quibus nō artib. terrorem illum sola opinione cōceptum, è militū suorū animis excutere conatus est? Interdum etiā præteritorum periculorū aut acceptæ cladis memoria animos deijcit. Quā ob causam duces ipsi, vbi cōfligendum fuerit, abolere student omnem ex militū animis aliquando acceptam calamitatem. Quocirca pro concione hortantur, confirmant veteres victorias, & fortissimi cuiusq; operam commemorant, hostium res eleuant, sua cōsilia, suas artes, ijs verbis, vultu, gestu explicant, vt vicisse se iam videri velint.

Porro cum tam multa diuersaq; fingere metus soleat, sintq; variæ metuendi causæ, videndum est,

ne inopes consiliorum effecti in eo peccemus, vt timendi causas ignoremus, fugiatque nos rerum nostrarum ratio. Eripit autem metus non modo consilium, vbi vehementius turbarit animum, verum etiam si remissior primo fuerit, post tamẽ pluribus simul oblatis causis, mẽtem ipsam adeo labefactat, vt nonn unquam, quanquam iure quidem metuimus, specie tamen decepti, non quam ob causam debemus, metuamus. *Causam timoris* (ait Thyestes) *ipse quam ignoro, exigis. Nihil timendum video, sed timeo tamen.* Fit etiam aliquando, vt animus ipse futurorum præscius, imminentia mala præsagiat: &, quanquam causa timoris non appareat, timeat tamen.

Idem quoque asperis atque periculosis rebus tolerandis aut suscipiendis adhibendus est delectus: nec toleranda sunt, quæ viro forti aut parũ conuenerint, aut certe omnino dedecuerint. Quid enim vel inconsideratius, vel improbius, quam ea velle aggredi, quæ nulla sint ratione aggrediunda? Quid magis incompositum, quam nec temporis nec loci rationem habere? aut quid immoderatius, quam à mensura ordineque recedere? Cumprimis autem videndum est, quam id, quod aggredi paramus, iustum sit. Siquidem animi magnitudo iustitia vacans, immanitatis potius quam virtutis nomen accipit. Immanis Annibal, qui nulla lacessitus iniuria, bellum Saguntinis intulit: quod vt iniuste suscepit, sic crudeliter administrauit. Immanis Catilina, qui dum pro suis aut paucorum tantum commodis, non pro communi salute laborat, nefarium patriæ bellum intulit, dumq;

dumque ad id, quod ſibi propoſuerat, peruenire poſſet, vrbis incendium ac bonorum ciuium interitum parat. Nec vero in rebus gerendis id ſolũ conſiderari oportet, quam iuſte atq; honeſte, ſed vires cuiusq; metiendæ ſunt, ne turpiter ſuccumbamus tanquam oneri omnino impares. Varro, Flaminiusque, alter ad Thraſymenum, alter ad Cannas, dum Annibalis artes deſpiciunt, dum quales haberent exercitus, denique dum ſeipſos parum noſcunt, rem Romanam pene funditus ſubuertere. Nicolaus Picininus, & ante eum Mutius, qui cognominatus eſt Sforzia, clariſſimi ambo duces, non ſemel rem parũ proſpere geſſerunt, dum nimium cõfidunt, dum incepta ſuprà facultates ſuſcipiunt. Fortem namque vt minime inſidioſum, ſic vel cum primis cautum æquumq; rerum ſuarum æſtimatorem volumus. Cauenda quoque non modo turpia quæ videantur ac fœda, verumetiam ſordida: quibus quid magis alienum eſſe ab eo poteſt viro, quem admirabilem efficere fortitudo debeat? Quocirca ſi conſtare ſibi vndique fortis debet, ita quidem & mẽtuet & tolerabit, & confidet & aggredietur, vt in ijs alijsque, quæ ex eodem ſunt genere, nũquam à ſe ipſo recedat. Cum autem pulchri honeſtiq; gratia omnis ab eo ſuſcipiatur actio, cunctaq; ad decus referat: hoc aſſequi non aliter poterit, quam ſi diligentiſſime in cunctis dignitatis ſuæ rationẽ habuerit. Quemadmodum autem molle aut fœmineum aliquid ineſſe in viro forti non debet, ſic etiam e contra non ſit nimium confidens; duplex enim peccatum eſt eius, qui nimis confidit: nam

è nimia fiducia & aggreditur, quæ aggredienda nullo modo sint: & postquam est aggressus, virib. animoq; ita deficit, vt quantum antea rectam fidendi atq; aggrediendi regulã prægrediebatur, tantum post & fortasse vehementius superatur à metu. Iraq; & confunditur & consternatur, & ab incepto ignauiter desistit. Adhęc ante congressũ nimis etiam festinat & calet, & tanquam rapitur ac gestit. Post in ipso periculo positus, hæret, hebetatur, tabescit, friget, metu tela decidũt. Quare & arrogans idem hic esse solet, siquidẽ plura sibi, quam suus captus est, arrogat. Et glorioſus simulatorque virtutis est, quando quod assequi nullo modo potest, fortis vult videri.

Is itaq: demum, vt Cicero ait, primum in arce fortitudinis locũ sibi vendicat, qui in rebus asperis non turbatur, nec tumultuans de gradu deijcitur, sed præsenti animo & consilio vtitur. Atq; vt ante congressum sedatior est, sic in ipsis congressibus plane impigrum atq; alacrem sese p̃bet. Idem nihil ad ostentationem refert, nihil inane sequitur, veram laudem cõcupiscit. Non tumultuatur vir fortis, neque est seditioſus, aut iusti honestiq; contemtor, aut detrectator imperij, neq; rerũ suarum prædicator, præterquã vbi necessitas ac ratio aliter tulerit. Atque vt laudari ab alijs sua non illibenter audit (nam etsi conscientia sua cõtentus esse potest, lætatur tamen habere rerum à se gestarum testes) sic aliorũ recte facta libenter cõmemorat, in quibus laudandis neq; parcus esse debet neq; adulator. Idem laboribus perpetiẽdis exultat maiorq; existit. Aduersa quoq; ita fert, vt

for-

fortunã intra ſe poſita habere videatur, omniaq; quæ poſſunt homini euenire, ſic contemnit, vt quaſi pro nihilo ducat, habita tamẽ eorũ ratione atq; delectu. Hæc igitur taliaq; præſtare atq; efficere, generoſiſſimi & maxime præſtãtis eſt animi: qui quod rariores inueniuntur (quando præſtans omne perrarũ) ideo pleniori quodam ore laudãtur, & in honore atq; admiratione habentur etiã ſumma. Hos Græci ἡμιθέους dixerunt, quorũ honoratiſſimum Herculem faciunt, ob toties exantlatas ærumnas, totque monſtra perdomita.

Quoniam autẽ niſi aſſuefaciendo fortis euadere nullus poteſt, ꝙ idem de temperato & iuſto dicitur, oportet primũ vt aſſueſcat pari laborioſa, dura, aſpera, difficilia toleratu, periculoſa aditu, per quæ fit ad fortitudinem via. Sic Euryalus à teneris ſe inſtitutum annis, tolerandis militiæ laboribus ac bellorum periculis, apud Virgiliũ prædicat, & Camillæ illi armentalis equæ mammis ac ferino educatæ lacte, pater ſpicula ex humero laeue ſuſpẽdit & atcuim; ac pro crinali auro, & longæ pallæ tegmine, tygridis exuuiæ per collum à vertice pendent. Virgilio itaq; auctore etiam mulier huiusmodi laborib. aſſueta, egregiam ſibi ex fortitudine comparare laudem poterit, vnde & viragines dictæ. Etſi autem ratum eſt mulierẽ fortem euadere, imo rariſſimum, non tamen eſt ita tarum, vt fieri non poſſit. Quin imo quo eſt rarius, & ſexus ille imbecillior, eo præclarius ac nobilitari dignius. Ac tametſi alioquin illi, qui è nimio metu ſtrenue aliquid videtur agere, in fortiũ numero non ſunt collocandi. In mulierib. tamen

si quid tale deprehensum fuerit, fortitudinis laudem haud dubie meretur. Quo nomine Sabinæ illæ mulieres, quam historiam Liuius prolixe recenset, quæ in tela volitantia se inferre ausæ fuerunt, pleno ore sunt laudandæ. Sane dubitandū non est, quin mulieres illæ vt fœminæ, vt insuetæ, statim ad primum armorum aspectum exhorruerint: nam & ipsa gladiorum micatio est ipsis etiam viris horribilis. Ast vbi sese in consilium vocauere, ratioque vires suas coegit, & illinc parentes, hinc viros pugnare, ac sese aut cōiugibus aut patribus, fortasse etiam vtrisque orbas eo certamine futuras reputauere; & quid se in tanto discrimine facere deceret, quid etiam ratio poscceret, intellexere: tum quidem non victo malis pauore, sed forti tum consilio, tum animo in medias acies intulere. At qua mente? vt si impetrare precib. possent, prælium dirimerēt. Sin minus, vt corpora sua parentum ac coniugum telis, id est, morti quam honestissimæ obijcerent. Sic Aurelianus Augustus vir bello acerrimus nō dubitauit de Zenobia triumphare, ac decē in triumpho mulieres ducere, quas virili habitu pugnantes inter Gotthos ceperat, cum reliquæ in prælio fortiter dimicantes cecidissent. Qualis autem Zenobia ipsa fuerit, ea, quæ de Odenato viro eius scribuntur, docere satis possunt. Fuit enim Odenatus vir acer, ac maxime inclytus, qui primam ætatem exegit in capiendis leonibus, pardis, vrsis, cæterisque syluestribus animalibus, famem, æstus, frigora, pluuias in syluis ac montibus iuxta passus; quibus duratus facile postea bellicas difficultates tum aduersus

alios

alios tum maxime aduerſus Perſas tulit, non aliter etiam Zenobia coniuge aſſueta, quam marito fortiorem fuiſſe perhibent, ſolitam etiam inter pedites ipſos verſari, ac plura paſſuum millia pedibus ſimul agere, orientis totius mulierem omnium nobiliſſimam, &, vt Cornelius Capitolinus tradit, etiam formoſiſſimam. Audiamus vero etiam quæ de Zenobia ipſe Aurelianus ad ſenatũ ſcripſit: Audio, patres cõſcripti, mihi obijci, quod indignum viro, indignum triumpho fecerim, qui de Zenobia triumpharim. Næ illi mediusfidius, qui me accuſant, abunde etiam laudarent, ſi ſcirent, quæ illa eſt mulier, qua prudentia, conſtantia, grauitate, libertate, ſeueritate etiam cum vſus vocaret. Auſim dicere, Zenobiæ fuiſſe, quod vir eius Odenatus Perſas vicerit, ac fugato Sapore, Cteſiphontem vſq; penetrauerit. Poſſum etiam affirmare, tanto Ægypti atque orientis populis mulierem terrori fuiſſe, vt ſe nõ Arabes, non Sarraceni, non Armenij mouere auſi ſint. Haud ego illam incolumem eſſe iuſſiſſem, ni ſcirem, quantũ inde populo Romano profuturus ſim, quippe cuius liberorumq; eius imperio oriens ſeruiret. Inſigne etiam heroicæ fortitudinis vel prudentiæ potius exemplũ præbuerunt olim mulieres Spartanæ. Lacedæmonij enim grauiſſime cum premerentur ab Epirotarũ rege Pyrrho, decreuiſſentq; muliebri ſexu in Cretam transmiſſo vltima expectare, improbantibus factum hoc matronis, tum Archidamia earum princeps, gladio incincta in ſenatum prodiens: Quænam, inquit, viri vos cepit dementia? nunquid ipſi exiſtimatis exciſa Sparta,

deleta patria, amissis viris liberisque, mulieres Spartanas vlterius victuras? Ex eo itaq; dicto maxime generoso ac forti confirmatis virorum animis, vt erat inter mulieres compositum, confestim multitudo virginum ac matronarū expedita atque instructa affuit, quæ & desumeret sibi cum senibus opus valli, aggerisque aduersum Pyrrhi Elephantos statuendi, & iuberet iuuentutem ipsam atq; ætate validos abstinere ab opere, seq; seruare ad cōserendas tantum cum hoste manus, illumque à vallo reijciendum. Archidamiæ itaq; non minus prudentibus quam fortibus effectum est dictis, vt & Lacedæmonij resumtis animis defendendæ vrbi acrius multo intenderent, imminuto viris labore conficiendi valli, quod opus sibi illæ desumsissent cum viris bello inutilibus, & Pyrrhus ipse à vallo reijceretur, vrbe in hunc modum acerrime defensa.

Porro, cum vir fortis rerum ærumnosarum sit contemtor, quibus tolerandis sese intendit ad firmitatem, eundem semper vultum atq; animum in tolerandis malis retinebit, vt non solum non appareat cedere eum, ac veluti pondere pressum labascere, sed placide etiã ac sedate ferre, & onus ipsum quodammodo contemnere, atque ex ipso contemtu se intendere ad firmitatem; nisi enim sedato sit animo, necesse est inter congrediendũ turbari eum atque confundi.

Iram quoq; abijciet illam, quæ mentem atque consilium, rationem deniq, ipsam à vero rectoq; detorquet, atq; vbi vehementior fuerit, prope ad insaniam impellit. Quamobrẽ iratus aliquis aut furo-

furoris ſtimulis percitus virum fortem præſtare nequit. Neq; enim vir fortis cæde lætatur & tanquam ſaginatur cruore, quod irati eſt ac furentis in acie, quanquam enecat victoriæ, nō necis gratia. Vnde quædam nationes, & in ijs Lacedæmonij inſtituiſſe dicuntur, vt præcinentib, tibijs cantibusq; remiſſioribus milites in pugnam procederent. Sedatis enim ac maxime compoſitis animis iri ad conſerendam manum volebant. Et tamen in cōgreſſionibus deterret aduerſarium vir fortis, ac terrentis ſpeciem præ ſe fert, quod de Turno Virgilius dicit:

——. *Tremunt in vertice criſtæ*
Sanguineæ, clypeoq; micantia fulmina mittit.

Cumque fortiſſimus quisq; iuſti honeſtiq; maxime ſtudioſus ſit; neceſſe eſt inſuper, vt ſit non ſolum non fallax, ſed veritatis cum primis amicus. Quem tamē vt fraudibus vacuum, ſic cautū prudentemq; eſſe volumus, namq; vt à iuſtitia, ſic à prudentia ſeiungi fortitudo nequit. Quid enim turpius quā decipi, præſertim vbi eſt de vita gloriaq; contentio? Cæſar quanquam toties collatis ſignis cum Gallis dimicaſſet, vbi cū exercitu Africam traiecit, ad pugnādum cunctatior factus dicitur, quod id genus hominum fallax maximeq; inſidioſum eſſe intelligebat.

Quando autem inſtitui atq; aſſueſcere neceſſe eſt eum, qui fortis euaſurus eſt, ac magna eſt vis exempli, proponendus videtur huic aliquis, quē imitetur, cuius gloriam tanquam ducem habeat, eoque quaſi quodam auctore nitatur. Cæſar cum Alexandri ſepulcrum inuiſiſſet, ab illo

ricula ſponte adibit: in quibus peruincendis, aut ſi hoc minus contigerit, in appetenda morte laudemque & decus collocatum intelligit. Cum reſcindi pontem iubebat Horatius, annon intelligebat quid ageret? Caritas tamen patriæ ac nobilitas mortis & gloria, eripiebat omnem animo vulnerum atque aquarum metum. Idem licet de Epaminonda dicere, quamuis alter liberam relinquere patriam contenderet, alter quam ipſe in libertatem vindicaſſet, imperantem relinqueret. Senior ille Phorbas apud Statium, vide quo adhortationis ac laudis genere proſequatur in bellum proficiſcentes:

Ite alacres, veſtri nunquam morientur honores,
Bellaq; perpetuo memorabunt carmina muſæ.

At Æneas grauiſſima illa tempeſtate vexatus ingemit:

——. Et duplices tendens ad ſidera palmas
Talia voce refert: O terq; quaterq; beati
Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Quorſum hæc fingũtur à Poëta in viri ducisq; fortiſſimi perſona, vt quem hoſtiles tot cõgreſſus nunquam fregiſſent, præruptus ille aquæ mons tã humiliter atque infracte de ſua ſuorumque coegerit ſalute deſperare? an quod id moriendi genus nullum decus eſſet allaturum? nec virtuti ſuæ vllum ſentiret locum inter tranſtra remosque relictum? Itaque non fert grauato animo mori, ſed quod ſic moriundum eſſet. Idem dico de Hippomedonte. Is enim diu inter aquas colluctatus, cũ tandem à torrente raperetur, exclamat, queritur, Deos

Deos incusat, quod tam indigne secum ageretur:

——Fluuione (pudet) Mars inclyte merges
Hanc animam? segnesq; lacus & stagna subibo,
Ceu pecoris custos subiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? Adeone occumbere ferro
Non merui?

Sed inquis: Quid conuenit, orationem hanc quæ ad philosophorum morem instituta est, his Poetarum mendacijs inquinari? Hæc, inquam, mihi aliquis obijciet. Cui sermoni imperito vt respondeam, velim dari mihi veniam, si tantisper à proposito digrediar. Equidem is sum, qui Poetas omnes vera scripsisse credam. Atque hoc certe viri Græcorum grauissimi statuerunt, cum duos Homeri versiculos secuti, litem secundum Athenienses dederunt, cum fuisset de Salaminis possessione inter Athenienses & Megarenses ingens controuersia constituta. Id arbitrati sunt viri doctissimi, qui tam crebro auctoritatis Homericæ præsidio scripta sua munierunt, viri in omni genere laudis præstãtissimi; quem etiam Homerum omnium Poetarum fuisse veritatis amantissimum arbitrati sunt. Nec tamen, quod istos homines minime malos haud fefellit, eadem veritas exigitur, & à Poeta, & ab Historico. In historia namq; res tantum gestæ describuntur, vt hominum memoriæ commendentur: A Poetis autem quibus est aliud propositum, multa etiam ad honestam aurium voluptatem referuntur. Idcirco in historia præcipua virtus est, vera simplexq; rerum gestarum expositio, locis, personis, temporibusque distincta: Poetarum autem oratio vt numeris est astri-

eſtà Philoſophis factitatum: ſed incredibili potius atque diuina dicendi venuſtate, quo facilius homines ad ſtudium virtutis alliceret. Iure itaq; nemo Poetas mendacij inſimulare poterit, ſicubi vere cumulateq; præſtiterunt eam fidem quæ ab ipſis requirebatur. Sed hæc obiter.

Hanc itaque ob cauſam Poetarum magis auctoritate atque ſententijs quam Philoſophorum initio vti malui. Non quod non etiam Philoſophi virtutem hanc mirum in modum laudent, ſed quod Poetæ magis magisque admirentur illam, & pleniori quodam ore efferant. Quippe qui dum non modo inuictam, ſed ne ſuperabilem fortitudinem volunt oſtendere, Amphiaraum illum viuum armatum, è curru pugnantem, hiatu repente facto, ad inferos ruere magis quam deſcendere faciunt, qui ne dum quidem aut arma manu aut frena remittit, verum ſicut erat, rectos defert in tartara currus, vt magnifice ac luculenter de eo Statius canit.

Cæterum cum ex ſupradictis ſatis appareat, omnium pulcerrimum eſſe in bello mori, atque in maximis belli periculis qui intrepidum ſe ac inuictum in ijs geſſerit, is ſit quem viuum ſuſpicimus, in quem mortuum honores conferimus ac titulos, pulcrumq; mori ſuccurrat in armis, vt ait Poeta excellentiſſimus: intelligit quivis, qualis virum fortem mors deceat. Optaſſe dicitur Cæſar, vt repentina aliqua morte decumberet, in morbis enim nolebat iacere: adhæc iudicabat in lecto inter fomenta mori, habere nihil

poſſe,

posse, quod esset forti viro dignum. Iacobus Caldora mira cum animi voluptate præ se ferebat, quod in pugna casurus esset, sic enim à Mathematico prædictum acceperat. Is cum aliquando graui esset morbo correptus, sentiretque medicos de salute desperantes: Atqui, bono vos, inquit, animo esse volo, in bello enim atque acie armato mihi, non in lecto sub culcitra est cadendū, quod etiam postea contigit. Nam dum collem Samnij castellum oppugnat, dum ex quo milites cohortatur, animam repēte extulit, nullo doloris signo dato, præterquam quod dum à satellitibus equo expirabundus aufertur, atque in tugurium sub tecto collocatur, nutu labrisque significauit, velle se in tabernaculo vita fungi, indignum imperatore ducens sub tugurio emori. Delatus itaque in tabernaculum, statim & acquieuit & diem obijt. Quocirca fortis vir in rebus omnibus, in quibus munere suo fungi potest, officiumque cum dignitate facere, & in quibus mori pulcrum fuerit, inuictum sese atque impauidum præstabit: atque in ijs maxime, quę in acie difficillimisque belli periculis pugnando contingunt, quæque mortem etiam nobilissimam allatura videantur.

Porro terribilia, quæ horrorem atque metum animis hominum incutere solent, duplicia sunt. Alia enim omnino hominis captum exuperant; quippe quibus nec vires nostræ pares sunt, nec vllus humanæ prudentiæ rationique vel tolerandis illis vel peruincendis locus relinquitur. Quæ quidem timere, nec degenerantis est animi, cum nihil inde laudis decorisque possit comparari, si mi-

minus formidentur: nec turpitudinis infamiæq; si, vt par est, timeantur, quando cuique sanę mentis æque sunt extimescenda. Atq; ea quidem metuere, sani potius quam imbecilli est animi. An non enim terræmotus, aquarum inundationes, fulgura ac tonitrua, aliaq; his similia tibi videantur iure etiam fortissimos quosque debere concutere? Quis Ætnæ incendia & eructantis illius verticis liquefactos igne lapides non expaueat? Dicat aliquis terræmotum non esse formidandũ, cum vrbes non modo quassantur, verum etiam funditus euertuntur, cum infinita hominum strage, ex qua qui reliqui manserunt, nihil meminere miserabilius? Contendat etiam hic suum fortitudini esse locum? Hæc igitur aliaque huiusmodi, fortes ignauique iuxta metuunt; quæ quidem non metuere, omnemque adeo metum exuisse, videtur magis hominis aut parum sanæ mentis, aut prorsus stupidi atque obtorpescentis, quam sensu rationeque bene vtentis esse. Alia vero, quæ concutere quidem animos soleant, non tamen vt aut tolerandis ipsis humana virtus satis non sit, aut acrius ingruentibus parum constanter resistere valeat: quandoquidem eadem ipsa vt viribus inferiora perspæpe vincat, qualia sunt bellica pericula, & ea maxime quæ homini ab homine inferuntur: quorum ratio hæc est, vt tum magis quam oportet, tum minus quam opus est, aut etiam quanti oportet, timeri vsu veniat. Cur autem bellica pericula etiam fortissimo cuiq; haud raro horrorem incutiant, hinc est, quod euidentiora cum sint, magis sentiuntur. Quid? quod ipse

gla-

tametsi timeri quædā oporteat, timentur illa quidem, at non perinde vt oportet, aut vbi minime opus est, deniq; non quam ob causam timeri debeant. Proinde loci semper ac temporis adhibita æquabili mensura ratio est habenda. Hæc enim & si qua sunt de genere eorum, circumspicienda sunt forti, in quibus qui labitur, is ex arce fortitudinis necesse est corruat.

Videre licet alios nimis puerili animo cuncta pauentes: alios quanquam grauioribus rebus atq; periculis nō imminentibus, adeo tamen consternari, vt etiam cogitata excutiantur. Atq; illi quidem in eo peccant, quod metuenda ac non metuenda æque pauitāt; hi quod à modo mensuraq; ita decidant, vt pene videantur exanimes. Sunt etiam quos ipsa præmeditatio territet. Quæ res magnas aliquando copias nullo premente hoste fudit fugauitque. Cęsar cum ad solam famam aduentiū Germanorū suos ita videret exterritos, vt permulti è castris iam abirent: quibus nō attib. terrorem illum sola opinione cōceptum, è militū suorū animis excutere conatus est? Interdum etiā præteritorum periculorū aut acceptæ cladis memoria animos deijcit. Quā ob causam duces ipsi, vbi cōfligendum fuerit, abolere student omnem ex militū animis aliquando acceptam calamitatem. Quocirca pro concione hortantur, confirmant veteres victorias, & fortissimi cuiusq; operam commemorant, hostium res eleuant, sua cōsilia, suas artes, ijs verbis, vultu, gestu explicant, vt vicisse se iam videri velint.

Porro cum tam multa diuersaq; fingere metus soleat, sintq; variæ metuendi causæ, videdum est,

dumque ad id, quod ſibi propoſuerat, peruenire poſſet, vrbis incendium ac bonorum ciuium interitum parat. Nec vero in rebus gerendis id ſolũ conſiderari oportet, quam iuſte atq; honeſte, ſed vires cuiusq; metiendæ ſunt, ne turpiter ſuccumbamus tanquam oneri omnino impares. Varro, Flaminiusque, alter ad Thraſymenum, alter ad Cannas, dum Annibalis artes deſpiciunt, dum quales haberent exercitus, denique dum ſeipſos parum noſcunt, rem Romanam pene funditus ſubuertere. Nicolaus Picininus, & ante eum Mutius, qui cognominatus eſt Sforzia, clariſſimi ambo duces, non ſemel rem parũ proſpere geſſerunt, dum nimium cõfidunt, dum incepta ſuprà facultates ſuſcipiunt. Fortem namque vt minime inſidioſum, ſic vel cum primis cautum æquumq; rerum ſuarum æſtimatorem volumus. Cauenda quoque non modo turpia quæ videantur ac fœda, verumetiam ſordida: quibus quid magis alienum eſſe ab eo poteſt viro, quem admirabilem efficere fortitudo debeat? Quocirca ſi conſtare ſibi vndique fortis debet, ita quidem & mẽtuet & tolerabit, & confidet & aggredietur, vt in ijs alijsque, quæ ex eodem ſunt genere, nũquam à ſe ipſo recedat. Cum autem pulchri honeſtiq; gratia omnis ab eo ſuſcipiatur actio, cunctaq; ad decus referat: hoc aſſequi non aliter poterit, quam ſi diligentiſſime in cunctis dignitatis ſuæ rationẽ habuerit. Quemadmodum autem molle aut fœmineum aliquid ineſſe in viro forti non debet, ſic etiam econtra non ſit nimium confidens; duplex enim peccatum eſt eius, qui nimis confidit: nam

è nimia fiducia & aggreditur, quæ aggredienda nullo modo sint: & postquam est aggressus, virib. animoq; ita deficit, vt quantum antea rectam fidendi atq; aggrediendi regulâ prægrediebatur, tantum post & fortasse vehementius superatur à metu. Itaq; & confunditur & consternatur, & ab incepto ignauiter desistit. Adhęc ante congressũ nimis etiam festinat & calet, & tanquam rapitur ac gestit. Post in ipso periculo positus, hæret, hebetatur, tabescit, friget, metu tela decidũt. Quare & arrogans idem hic esse solet, siquidé plura sibi, quam suus captus est, arrogat. Et glorioſus simulatorque virtutis est, quando quod assequi nullo modo potest, fortis vult videri.

Is itaq; demum, vt Cicero ait, primum in arce fortitudinis locũ sibi vendicat, qui in rebus asperis non turbatur, nec tumultuans de gradu deijcitur, sed præsenti animo & consilio vtitur. Atq; vt ante congressum sedatior est, sic in ipsis congressibus plane impigrum atq; alacrem sese p̃bet. Idem nihil ad ostentationem refert, nihil inane sequitur, veram laudem cõcupiscit. Non tumultuatur vir fortis, neque est seditioſus, aut iusti honestiq; contemtor, aut detrectator imperij, neq; rerũ suarum prædicator, præterquã vbi necessitas ac ratio aliter tulerit. Atque vt laudari ab alijs sua non illibenter audit (nam etsi conscientia sua cõtentus esse potest, lætatur tamen habere rerum à se gestarum testes) sic aliorũ recte facta libenter cõmemorat, in quibus laudandis neq; parcus esse debet neq; adulator. Idem laboribus perpetiẽdis exultat maiorq; existit. Aduersa quoq; ita fert, vt

for-

fortunã intra ſe poſita habere videatur, omniaq; quæ poſſunt homini euenire, ſic contemnit, vt quaſi pro nihilo ducat, habita tamẽ eorũ ratione atq; delectu. Hæc igitur taliaq; præſtare atq; efficere, generoſiſſimi & maxime præſtãtis eſt animi: qui quod rariores inueniuntur (quando præſtans omne perrarũ) ideo pleniori quodam ore laudãtur, & in honore atq; admiratione habentur etiã ſumma. Hos Græci ἡμιθέους dixerunt, quorũ honoratiſſimum Herculem faciunt, ob toties exantlatas ærumnas, totque monſtra perdomita.

Quoniam autẽ niſi aſſuefaciendo fortis euadere nullus poteſt, q̃ idem de temperato & iuſto dicitur, oportet primũ vt aſſuefcat pati laborioſa, dura, aſpera, difficilia toleratu, periculoſa aditu, per quæ fit ad fortitudinem via. Sic Euryalus à teneris ſe inſtitutum annis, tolerandis militiæ laboribus ac bellorum periculis, apud Virgiliũ prædicat, & Camillæ illi armentalis equæ mammis ac ferino educatæ lacte, pater ſpicula ex humero late ſuſpẽdit & atcũm; ac pro crinali auro, & longæ pallæ tegmine, tygridis exuuiæ per collum à vertice pendent. Virgilio itaq; auctore etiam mulier huiusmodi laborib. aſſueta, egregiam ſibi ex fortitudine comparare laudem poterit, vnde & viragines dictæ. Etſi autem rarum eſt mulierẽ fortem euadere, imo rariſſimum, non tamen eſt ita tarum, vt fieri non poſſit. Quin imo quo eſt rarius, & ſexus ille imbecillior, eo præclarius ac nobilitari dignius. Ac tametſi alioquin illi, qui è nimio metu ſtrenue aliquid videtur agere, in fortiũ numero non ſunt collocandi. In mulieribus tamen

ſi quid tale deprehenſum fuerit, fortitudinis laudem haud dubie meretur. Quo nomine Sabinæ illæ mulieres, quam hiſtoriam Liuius prolixe recenſet, quæ in tela volitantia ſe inferre auſæ fuerunt, pleno ore ſunt laudandæ. Sane dubitandũ non eſt, quin mulieres illæ vt fœminæ, vt inſuetæ, ſtatim ad primum armorum aſpectum exhorruerint: nam & ipſa gladiorum micatio eſt ipſis etiam viris horribilis. Aſt vbi ſeſe in conſilium vocauere, ratioque vires ſuas coegit, & illinc parentes, hinc viros pugnare, ac ſeſe aut cõiugibus aut patribus, fortaſſe etiam vtrisque orbas eo certamine futuras reputauere; & quid ſe in tanto diſcrimine facere deceret, quid etiam ratio poſceret, intellexere: tum quidem non victo malis pauore, ſed forti tum conſilio, tum animo in medias acies intulere. At qua mente? vt ſi impetrare precib. poſſent, prælium dirimerẽt. Sin minus, vt corpora ſua parentum ac coniugum telis, id eſt, morti quam honeſtiſſimæ obijcerent. Sic Aurelianus Auguſtus vir bello acerrimus nõ dubitauit de Zenobia triumphare, ac decẽ in triumpho mulieres ducere, quas virili habitu pugnantes inter Gotthos ceperat, cum reliquæ in prælio fortiter dimicantes cecidiſſent. Qualis autem Zenobia ipſa fuerit, ea, quæ de Odenato viro eius ſcribuntur, docere ſatis poſſunt. Fuit enim Odenatus vir acer, ac maxime inclytus, qui primam ætatem exegit in capiendis leonibus, pardis, vrſis, cæterisque ſylueſtribus animalibus, famem, æſtus, frigora, pluuias in ſyluis ac montibus iuxta paſſus; quibus duratus facile poſtea bellicas difficultates tum aduerſus

alios

alios tum maxime aduersus Persas tulit, non aliter etiam Zenobia coniuge assueta, quam marito fortiorem fuisse perhibent, solitam etiam inter pedites ipsos versari, ac plura passuum millia pedibus simul agere, orientis totius mulierem omnium nobilissimam, &, vt Cornelius Capitolinus tradit, etiam formosissimam. Audiamus vero etiam quæ de Zenobia ipse Aurelianus ad senatũ scripsit: Audio, patres cõscripti, mihi obijci, quod indignum viro, indignum triumpho fecerim, qui de Zenobia triumpharim. Næ illi mediusfidius, qui me accusant, abunde etiam laudarent, si scirent, quæ illa est mulier, qua prudentia, constantia, grauitate, libertate, seueritate etiam cum usus vocaret. Ausim dicere, Zenobiæ fuisse, quod vir eius Odenatus Persas vicerit, ac fugato Sapore, Ctesiphontem vsq; penetrauerit. Possum etiam affirmare, tanto Ægypti atque orientis populis mulierem terrori fuisse, vt se nõ Arabes, non Sarraceni, non Armenij mouere ausi sint. Haud ego illam incolumem esse iussissem, ni scirem, quantũ inde populo Romano profuturus sim, quippe cuius liberorumq; eius imperio oriens seruiret. Insigne etiam heroicæ fortitudinis vel prudentiæ potius exemplũ præbuerunt olim mulieres Spartanæ. Lacedæmonij enim grauissime cum premerentur ab Epirotarũ rege Pyrrho, decreuissentq; muliebri sexu in Cretam transmisso vltima expectare, improbantibus factum hoc matronis, tum Archidamia earum princeps, gladio incincta in senatum prodiens: Quænam, inquit, viri vos cepit dementia? nunquid ipsi existimatis excisa Sparta,

deleta patria, amissis viris liberisque, mulieres Spartanas vlterius victuras? Ex eo itaq; dicto maxime generoso ac forti confirmatis virorum animis, vt erat inter mulieres compositum, confestim multitudo virginum ac matronarũ expedita atque instructa affuit, quæ & desumeret sibi cum senibus opus valli, aggerisque aduersum Pyrrhi Elephantos statuendi, & iuberet iuuentutem ipsam atq; ætate validos abstinere ab opere, seq; seruare ad cõserendas tantum cum hoste manus, illumque à vallo reijciendum. Archidamiæ itaq; non minus prudentibus quam fortibus effectum est dictis, vt & Lacedæmonij resumtis animis defendendæ vrbi acrius multo intenderent, immiuuto viris labore conficiendi valli, quod opus sibi illæ desumsissent cum viris bello inutilibus, & Pyrrhus ipse à vallo reijceretur, vrbe in hunc modum acerrime defensa.

Porro, cum vir fortis rerum ærumnosarum sit contemtor, quibus tolerandis sese intendit ad firmitatem, eundem semper vultum atq; animum in tolerandis malis retinebit, vt non solum non appareat cedere eum, ac veluti pondere pressum labascere, sed placide etiã ac sedate ferre, & onus ipsum quodammodo contemnere, atque ex ipso contemtu se intendere ad firmitatem; nisi enim sedato sit animo, necesse est inter congrediendũ turbari eum atque confundi.

Iram quoq; abijciet illam, quæ mentem atque consilium, rationem deniq, ipsam à vero rectoq; detorquet, atq; vbi vehementior fuerit, prope ad insaniam impellit. Quamobrẽ iratus aliquis aut furo-

furoris ſtimulis percitus virum fortem præſtare nequit. Neq; enim vir fortis cæde lætatur & tanquam ſaginatur cruore, quod irati eſt ac furentis in acie, quanquam enecat victoriæ, nõ necis gratia. Vnde quædam nationes, & in ijs Lacedæmonij inſtituiſſe dicuntur, vt præcinentib, tibijs cantibusq; remiſſioribus milites in pugnam procederent. Sedatis enim ac maxime compoſitis animis iri ad conſerendam manum volebant. Et tamen in cõgreſſionibus deterret aduerſarium vir fortis, ac terrentis ſpeciem præ ſe fert, quod de Turno Virgilius dicit:

——. *Tremunt in vertice criſtæ*
Sanguineæ, clypeoq́ micantia fulmina mittit.

Cumque fortiſſimus quisq; iuſti honeſtiq; maximè ſtudioſus ſit; neceſſe eſt inſuper, vt ſit non ſolum non fallax, ſed veritatis cum primis amicus. Quem tamẽ vt fraudibus vacuum, ſic cautũ prudentemq; eſſe volumus, namq; vt à iuſtitia, ſic à prudentia ſeiungi fortitudo nequit. Quid enim turpius quã decipi, præſertim vbi eſt de vita gloriaq; contentio? Cæſar quanquam toties collatis ſignis cum Gallis dimicaſſet, vbi cũ exercitu Africam traiecit, ad pugnãdum cunctatior factus dicitur, quod id genus hominum fallax maximeq; inſidioſum eſſe intelligebat.

Quando autem inſtitui atq; aſſueſcere neceſſe eſt eum, qui fortis euaſurus eſt, ac magna eſt vis exempli, proponendus videtur huic aliquis, quẽ imitetur, cuius gloriam tanquam ducem habeat, eoque quaſi quodam auctore nitatur. Cæſar cum Alexandri ſepulcrum inuiſiſſet, ab illo

ita discessit, vt iam tum quæ postea gessit, animo conciperet. Alexandrum ipsum liberi patris gloria, tanquam admotis stimulis impulit ad decus, ad famam, ad immortalitatem comparandam. Minori Africano maior, maiori pater, patruusq; exempla præbuere. Quamobrem ad fortitudinis laudem adipiscendam multum etiam conferet imitatio. Cæterum repentina & nec opinata vel cum primis viri fortis magnitudinem ostendunt, in quibus eo maior cernitur, quod illis sese inuehentibus, non solum non cedit aut animo consternatur, sed quod maximum est, cum nullus in ijs, quæ repente accidunt, relinquatur consilio atque electioni locus, nullumque ad colligendas vires animumque confirmandum spatium detur: ipso tamen habitu & obsistit illis, & ingruentibus obuiam procedit, quod præstare eo est præclarius quo difficilius. Ac demum, cum omnia in fortitudine debeant esse solida, sibique apte vndique firmiterque constare, nihil fictum, nihil fucatum habere fortem par est, neque esse glorioſum, vanumque rerum ostentatorem, quanquam locus, tempus, fortuna, res sæpe ipsa de se suisque vt prædicet meritis exigit. At tũ quidem ad rem ipsam atque ad tempora, non ad ostentationem, quæ dicit, referre ipsum apparebit. Sic Scipio quo tẽpore cum Annibale parabat cõfligere, celsus corpore vultuque adeo læto milites allocutus dicitur, vt viciſse eum iam crederes. Atque vir fortis, quo plura gessit, maioribusque se dignum laudibus sentit, eo maiorem æquabilitatem, moderationem, continentiamq; retinere debet, seq; intra gyrum rationis coercere.

Veræ

Veræ autem fortitudinis exempla Græci barbariq; edidere permulti, sed Romanorum longe maximus est numerus, cuius mihi princeps videtur Horatius Cocles. Siquidem in summa Reip. calamitate, in maximo euidentissimoque populi Romani periculo, vrgente grauissimo hoste, pro salute publica, cæteris etia fugam capessentibus, solus ipse se hostibus obiecit. At quo animo? vt dum pons rescinderetur, hostis impetum detineret: interim pugnando, non quod desperantium est, vitam contemneret, sed simul & hostem feriret, & corpus suum, in quo salutem patriæ positam sentiebat, tueretur, non tamen vt mori pro communi salute recusaret. Atque vbi pontem rescissum intellexit, non arma proiecit, quibus hostes potirentur, non seipsum in tanta ruina deseruit, sed natabundus ad suos saluis armis redijt. Cuius pulcherrimum facinus non ciuium modo verum etiam inimicorum animos admiratione repleuit. Nam nec altitudine deiectus quassatusve, neq; pondere armorum pressus, nec vllo vorticis circuitu actus, nec telis quidem, quæ vndiq; congerebantur, læsus, tutum natandi euētum habuit. Sed ô vocem maxime memorabilem, rediens re infecta hostis se quidem Romano potitū, solo ab Horatio victum esse prædicabat. Cum Hannibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret, Vibius Aceus Pelignæ cohortis præfectus, vexillum trans Punicum vallum proiecit, seipsum suosque commilitones, si eo hostes potiti essent, execratus, & ad id petendum subsequente cohorte, primus impetum fecit, quod vt

ValeriusFlaccus,tribunus tertiæ legionis aſpexit, conuerſus ad ſuos, Spectatores,ait,vt video,alienæ virtutis huc venimus: ſed abſit iſtud dedecus à ſanguine noſtro, vt Romani gloria cedere Latinis velint. Ego certe aut ſpecioſam optaui mortem, aut felicem audaciæ exitum vel ſolus præcurrere paratus ſum. His auditis Pedanius centurio conuulſum ſignum dextera retinens, iam hoc, inquit, intra hoſtile vallum mecum erit; proinde ſequantur qui id capi nolunt,& cum eo in caſtra Pœnorum irrupit, totamq; ſecum traxit legionem.

Sed quod ad præliatorum excellentem fortitudinem attinet, merito L. Sicinij Dentati commemoratio omnia humana exempla finierit,cuius opera honoresq; operum,vltra fidem veri excedere iudicari poſſent, niſi ea certi auctores,inter quos M.Varro,monimẽtis ſuis teſtata eſſe voluiſſent: quem cẽties & vigeſies in aciem deſcendiſſe tradunt eo robore animi atque corporis vtentem, vt maiorẽm ſemper victoriæ partem traxiſſe videretur. XXXVI. Spolia ex hoſte retuliſſe; quorum in numero octo fuiſſe, cum quibus ſpectante vtroque exercitu ex prouocatione dimicaſſet. XIII. Ciues ex media morte raptos ſeruaſſe. XLV. vulnera in pectore excepiſſe, tergo cicatricibus vacuo, nouem triumphales imperatorum currus ſecutum, totius ciuitatis oculos in ſe numeroſa donorum pompa conuertentem. Præferebantur enim aureæ coronæ octo, ciuicæ quatuordecim, murales tres, obſidionalis vna, torques centũ octoginta tres,

ar-

armillæ centum ſexaginta, haſtę octodecim, phaleræ viginti quinque, ornamenta etiam legioni, nedum militi ſatis multa.

Cæterum, quis Romanorum fortiſſimus fuerit, in dubium verti poteſt. Alij enim huic Sicinio, de quo modo verba fecimus, palmam tribuunt. Alij Marco Sergio, quod tribus & viginti vulneribus honeſte acceptis, ac neutra manu, neutro pede ſatis vtilis, ſiniſtra manu ſolą quater pugnauerit, ferreaque dextra ſibi religata manum conſeruerit; Cremonam obſidione liberauerit; Placentiam tutatus fuerit; duodena caſtra hoſtium in Gallia ceperit, cumq; alij victores hominum fuerint, ipſe, vt Plinius ait, vicerit & fortunam. Manlij Capitolini decora, eodem Plinio teſte, his minora nequaquam fuiſſent, ſi non ad vltimum omnia perdidiſſet, regno ſuo inſeruiens. Siquidem adoleſcens bina ex hoſte ſpolia cepit, Eques omnium primus murali corona donatus, ſex ciuicis ſeptem & triginta donis, duodetriginta cicatricibus aduerſo corpore acceptis, magiſtro equitum Seruilio ſeruato, humero ac femore grauiter ictis, quodq; omnium maximũ, Capitolio à Gallis defenſo. Nec mihi ſilentio prętereundus videtur Probus, is qui multis poſt hos ſeculis Romanum tenuit imperium. Hic bello Sarmatico tribunus, transmiſſo Danubio, multa fortiter fecit, qua è re pro concione laudatus eſt, donatusq; haſtis puris quatuor, coronis vallarib. duabus, ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo vno, patera item

vna

vna librarum quinq; ad rem diuinam, quo etiam tempore Valerium Fecianum adolescentem nobilem à Quadorum liberauit manu. Vnde Valerianus Augustus ciuica eum donauit, addita legione tertia, quæ felix dicebatur: vestes etiam triplices ac salarium duplex dari iussit. Cui post Aurelianus Augustus decumanos etiam suos credidit. Tacitus quoque Augustus eum orienti toti ducem præfecit, tradiditq; salarium quintuplex: geminauit etiam ornamenta militaria, & consulem creauit, quod illum pro virtutibus Capitolina maneret palmata. Idem Marmaridas acri pugna vicit. Afros rebellionem parantes coercuit. Aradionem singulari certamine vicit, occisumq; ingenti sepulcro donauit trecentorum pedum in latitudine. Vicit etiã Palmirenos, maximamq; orientis partem in Aureliani potestatem redegit. Creatusq; militari consensu Imperator, Galliam recuperauit, cæsis prope quadringentis millibus Germanorum. Rhœtias pacauit. Illyrios, Sarmatas, finitimasque gentes ita compressit, vt quæ illi occupassent, prope sine bello receperit. Palpherum latronem Isauricum cepit, Blemmeis subegit, Ptolemaidem iuri Romano integram restituit: suique conscius, paucis antequam moreretur diebus, gloriatus est, breui se facturum, ne populo Romano milites necessarij viderentur. Atq; hæc sunt veræ fortitudinis exempla, è plurimis hausta & tanquam delibata. Videamus nunc exempla fortitudinem quasi præ se ferentia, non tamen proprie sed duntaxat apparenter ad fortitudinem spectantia.

Ac

Ac primo ſane loco occurrũt Feroces, qui quãuis ſæpe maxima quæque absque horrore ac metu aggrediantur, in numero tamen fortium non habentur. Siquidem maiore ferũtur impetu, nec qua debebant ratione, pericula metiuntur; quinetiam ad feritatem dilabuntur. Adhæc ferox ingenium & gentes quasdam natura feroces dicimus. Nemo autem aut natura aut ingenio fortis eſt, quare ferocia hæc aut militum eſt, aut barbarorum, non fortium virorum.

Sed nec audaces dici debent fortes. Tametſi enim initio videtur audax habere quiddam forti ſimile, ac illius animum præ ſe ferre, poſt tamen vt parum firmis viribus imparq; incepto ſuccumbit, atque in timiditatem recidit. Etenim audaces ante pericula adita laboresque ſuſceptos nimis quam acres videntur, ſunt ad incipiendum præcipites, poſt vero magis magisque deficiunt, videriq; incipiunt ſimiliores hęſitantibus, donec concidunt animis, apparentque ipſis etiam timidis timidiores. Quales autem audaces ſint cum in prouocando, tum poſt prouocationem ipſam in conſerendis manibus, Taurea ille Campanus ſatis docere poteſt: nam verbis quam re ferocior, vt eſt apud Liuium cum Claudio Aſello milite Romano, quem etiam contemto iure hoſpitij prouocauerat, equo congreſſus, vbi aliquantum pugna extracta ſine vllo eſſet vulnere, minitabundusq; dixiſſet in cauam viam dimittendum eſſe, vbi conſertis manibus decernerent, nullo ibidem equis ad euagandum dato ſpatio, & Romanus confeſtim equum in viam egiſſet, ipſe repente con-

concitato equo Capuam refugit. In quem illud in Draneem Turni dici rectissime potest, quod ei ventosa in lingua pedibusque fugacibus Mauors esset. Et sane audaces tumidi sunt ac ventosi, pluraque sibi arrogant, vt qui videri fortes velint. Quo de genere sunt etiam milites glorioſi, Græco nomine θρασωνες dicti. Curate vt splendor meo sit clypeo clarior, quam solis radij olim cum sudum est, esse solent, vt vbi vsus veniat, contra conserta manu præstringat aciem oculorum in acie hostium. Hic qui tam multa magnaque videri vult promittere, vbi in conspectum aduersarij venit, vt statim sese perijsse dicit? ac deprecabundus vapulat, vincitur, tandemq; exolutus habere se gratiã dicit. Etenim glorioſissimus quisq; est elata insolentiq; oratione, atq; vt seipsum iactat extollitq; sua, sic alienæ laudis est perquam inuidus, & tanquam contemnit absentes. Idem vbi in aduersarium incidit, nec verbis nec re substat, sed perhorrescit conturbaturque tanquam deprehensus.

Sed nec desperatio verum assequitur fortitudinis nomen. Etsi enim adacti in extremam calamitatem ac infortunium res quandoque maximas, desperatione quasi acti aggrediantur & cõficiant, non tamen fortes ex eo solum dici merentur. Non ignoramus (vt etiam Statius ait) esse vbi det vites nimius timor, nam & timidissimæ quędam belluæ, vbi nullum se habere profugium clausæ sentiunt, ferociores factæ, & ob desperationem etiam acerrime pugnant.

Insuper nec qui ob edictum aut pœnæ metum

pugnant

pugnant, fortes dici possunt. Licet enim alio atq; alio modo fortitudo dicatur, vir tamen fere fortis nihil habere coactum, nihil arcessitū, sed suis viribus suaq; virtute niti sibiq; vndique constare debet; adibit quidem pericula non vt tyrunculus quidam, quem tū edicta ducum pœnæq; statutæ fugientibus, tum increpationes commouere soleant, sed honestum per se ac pulcrum ducit, fortiter facete. Etenim tyro vbi maior hostium vis ingruit, cui sese imparem iudicet, edictorum oblitus ac pœnarū, nihilq; infamiam veritus, statim in fugam vertitur, præfertq; fugam turpissimam morti quam honestissimę. Eadem fere gladiatorū ratio est, quippe qui exercitatione freti ac dīgladiādi peritia, nō animi firmitate in certamē prodeunt: facile enim quæ quis norit, aggredi parat, tentatq; quæ sæpius est expertus. Quorū euentus in re dubia & aspera fere non alius esse solet, quā quibus aliquid præter spem opinionemque euenit: namq; vbi pericula & hostium impetus longe superarint, mentemq; metus concusserit, nihil est eis fugacius. Et gladiatores quidem alijq; armorum vel vsu vel scientia freti, pugnaces rectius quam fortes dicuntur.

Sed nec in ordine fortium collocandi videntur, qui ob libidinem amoresque vel adoriuntur periculosa, vel perpetiuntur tristia. Nam & amātes multa audent, plura etiam, quamuis grauia, æquo animo ferunt, in eo tamen peccant, quod vel aggrediuntur, quæ aggredienda non sunt, vel tolerant, quæ tolerari nullo modo debeant, nec quam ob causam debeant, quippe qui-

quibus propoſita ſit voluptas ea, quę homini cum belluis eſt communis; indignum ſane pretium. Galeatius Mantuanus, vir ſane impiger, Papiæ cũ hybernaret, forte in ponte puellam, quam vnice amabat, obuiam habuit. Ea vt per blandam aliquam iocandi ſpeciem, amantem ad colloquium inuitaret, Quin tu, inquit, belliſſime amator, qui tantum tibi armatus in acie places, è ponte in amnem amoris gratia deſilis? hoc ille audito, concitato repente equo, ſeſe demiſit in fluuium, quo exanimato vix Ticino natabundus emerſit. An hic tibi magnus videbitur? cui nihil aliud tanto fuerit quæſitum periculo, quam vt mulierculæ & quidem iocanti ſatis faceret, quæ ſeſe, ne id aſpiceret, auertiſſe dicatur. Leuitas hæc eſt, & quidem plena ſtoliditatis. Galli, Britanni, Germani dum alius aliam inter amantes amoris cauſam atque patrocinium ſuſcipit, vt quem ſtrenuum nacti ſunt, in certamen prouocant, pugnæ legibus propoſitis, interdum adeo duris, vt in certamen prodeundum ſit, corpore maiore parte exarmato, concurrendumque haſtis & equis primo, deinde pedibus res gerenda, cominus gladio ac ſecuri. Quo quid videatur ſtolidius? Adhæc in ea concurſione emori, quam tantam afferre laudem poteſt? quando nihil egregium ei eſt morti propoſitum. Reſtat etiam de dolore iraque differere, qui affectus quantus habeant impetus, Poeta declarat, cum ait:

Dolor iraq; mentem Præcipitant.

Siquidem doloris atque iræ ſtimulis agitati, perinde vt cæci in pericula feruntur. Quanquam

ira

ira ipsa, quæ rationi obsequitur, est laudãda, neq; enim frustra homini à natura inest. At vbi vehementior fuerit, vbi in furorem acta desæuit, quid tum habet quod accusari iure non debeat? Ira ex vindicta voluptatem capit. At fortes honestatem expetunt ac decus, non vlciscendi voluptatem, per quam ad feritatem dilabantur. Quamobrem feritas hæc quidem magis quam fortitudo videri potest. Siquidem feræ vbi vulneratæ telum sensere, dolore rabieque præcipites in percussores rapiuntur. Et huiusmodi quidē homines feri sunt, atroces, sanguinolenti, eorum sunt truces vultus, fœdi animi, impetus quales sæuientium belluarum. Gaudet cruore fœdari sanguinolentia. Exultat cædendo atrocitas. Nihil est feritate impetuosius, nihil magis rabiosum. Quæ vitia longe sunt à viro forti aliena. Quocirca videndum est forti, quousque sit irascendum, & quam etiam ob causam, ne rationis præteriens regulam modum transgrediatur.

Cæterum ciuilis illa fortitudo in specie ita dicta, sicut & ea, quæ est in militibus, proxime quidem ad veram fortitudinem accedunt, sed non omnino reciprocantur. Ciues sane, honesti ipsius, id est, honoris gratia labores publicaque munera cum suscipiunt, ad fortitudinem propius videntur accedere. At vero in eo peccant, quod nō aut tolerant molesta, aut aggrediuntur periculosa, vt fortiter agant, sed id metuunt, ne si cesserint, ex declinatione & fuga sequatur infamia atque inhonoratio. Quamobrem quod labores adit ac pericula, & quidem pudoris atque honesti gratia,

ciuilis quędam appellatur fortitudo, tametsi à vera perfectaq; fortitudine multum distet, vt ex superioribus satis constat. Ad milites quod attinet, tametsi labores etiã grauissimos susciptunt, & pericula adeunt persæpè maxima; cum tamen nunc minis ac metu pœnarum, nunc exhortationibus precibusque adducti, aut prędæ cupiditate capti, aut exercitatione, peritiaq; rei bellicæ freti, magis quã virtute ipsa rem gerant, pugnaces potius quã fortes videri iure possunt. Atque hæc de forttitudine attigisse sufficiat.

CAPVT IV.

De armis.

DEFERIQVE milites præclari & bellicosi habẽtur ex armorum ratione: tam quibus se ab incursione hostis tuentur, quam quibus alios lædunt. Hinc Poetarum est figmentum, heroibus arma data esse à Dijs fabricata. Nostrique Romani historiographi heroas fascinatis & impenetrabilibus scutis indutos scripserunt: indicaturi, milites animum sumere ex armis. Cum vero & equi armis annumerentur, admirandos etiam viris fortibus equos adfinxerunt.

Arma, quibus corpus à vi externa vendicamus, primitus considerandа sunt. Milites enim, (quod diligenter notandum) animaduertens se minus idonee ab armis instructum procul dubio plus in pedum pernicitate, quam in lacertis confidet, ad fugam quam ad aciem promtior. Licet idem cernere in equis, qui quãvis ratione careant, alacriores

Digitized by Google

tes tamẽ ad buccinam accedunt phalaris suis ornati, quam denudati. Armorum vsu adhuc apud Romanos vigente, & tanquam in flore existente, pedites in prœlium ituri, omnes erãt cataphracti. Tandem vero refrigescẽte hoc exercitio, onereq; armorum indies imminuto deuentum eo est, vt omnia arma oneri essent. Hinc factũ est vt ab imperatore Gratiano peterent primũ vt æneos thoraces deinde galeas domi retinere liceret. At quis fructus? Conflicturi cum Gothis facilime victi & prostrati sunt.

Cæterum arma quibus corpus nostrũ tuemur, proba sint & satis indurata: vt armatus cõtra impetus tutior incedat: sed sint etiã leuia, & habilia. Leuia quidẽ, ne molesta sint militi & impedimento. Memorię prodidit Tacitus, in bello Sacrouirano hostes tam põderosa arma, loricas, clypeos & gladios gestasse, vt pondere pressi vix se mouere potuerint, adeo vt Romanis securib. opus esset quib. eos diruerent, non secus ac si murus deijciendus esset: quibusdam furcæ erant, quibus militem inepte armatum prosternerent. Habilia autem sint ac tenuia, vt sine impedimento gestari & vsurpari possint. Hinc Dauid à Saule arma indutus, eadem recusault, quod sibi culeo insutus, vbi se motare non posset, videretur. Pectoralia Germanorum lõge meliora sunt quã Italorum. Hinc etiã Teutones sine alterius opera citius quam Itali armãtur.

Probe insuper sint formata & apta gestantibus. Hinc Liuius: Oblongi, inquit, clypeinõ tegebant obesa & crassa Gallorum corpora: vnde etiam à Romanis facile deuicti fuerunt.

Verum non est mihi animus prolixius describere, quales debeant esse galeæ, pectoralia, aliaq; quibus corporis pericula arcemus. Illud moneri sufficiat, subditos certis armorũ generibus exerceri debere, quæ etiam, si ita postulet necessitas, immutari quandoque conuenit. Sic Romani fecerunt: etsi enim animi intelligentia nulli populo cedebant, non tamen sua arma ad Samnitum armamenta componere vitio sibi duxerunt.

Tela hostem vulnerantia & lædentia plus laudantur si sunt leuia, si polita & tractabilia, si hostẽ eminus ferire possunt. Leuia: quia minus fatigant sæpiusq; icunt. Polita & tersa: vt diutius durent. E longinquo feriant: vt hostis antequam propius pedem ferat, magnam accipiat cladem. Feriens enim eminus, verbi gratia, sclopo longiori, ter displodere sclopum potest, vbi hostis, qui sclopis vtitur breuioribus, vix bis displodit. Res autem eo redit, vt, tametsi vtrinque duo millia sclopetariorum sint, tu tria habere credaris. Vnde Vegetius memoriæ prodidit, Martiobarbulorum opera, qui strenui ac bellicosissimi fuerunt, ideoque à Diocletiano & Maximiano Iouiani & Herculani vocati, Romanos splendidissimas sæpenumero victorias adeptos. Peculiari enim telorũ genere equos & equites attingebant, priusquã nõ modo ad manũ sed ad iactum potuerat perueniri. Atq; hinc haud dubie sclopetarij nostri temporis peritiam explodendi mutuarunt, quorum opera felici rex Hispaniæ sępenumero in bellis Belgicis vsus est. Equites illi, quorum quisque quinis aut senis sclopis vtitur, vix vnquam aliquid laude dignum gesse-

gesserunt, ex breuiori iactu: semper fusi ab illis, quorum sclopi essent longiores. Franciscus dux Guisianus eos lanceis suis in fugam coniecit.

Cæterum vt & hoc loco de gladijs, quorũ vsus in prælijs semper fuit maximus & vtilissimus, aliquid dicamus, memorabile & laudabile certe est, quemadmodum olim, ita & nostra ætate, viros militares & strenuos, gladijs inprimis contra hostes pugnando vsos fuisse, parumque honestum & fortibus indignum putasse, alijs telis, exceptis hastis, in primo congressu vti. Ideoque diligentissime curarunt, vt gladios egregios, & singulari arte & materia exquisite fabricatos haberent, quibus heroes, quemadmodum etiam suis equis generosioribus peculiaria nomina indiderunt. Sicut de Rolando, duce fortissimo, Caroli Magni sororis filio legimus, qui tam eximia temperatura gladium Durindanum, vel Durandalum, fortasse dictum à duritie, habuisse fertur, vt cum cæsis suis copijs, antequam ipse labore & siti conficeretur, in durissimis cautibus, ne hostes eo potirentur, illum frangere magnis viribus conatus fuisset, illæ potius ipsius aciei cesserint, quam gladius fractus sit, sicut Girardus refert, dicitque hunc gladium iussu Caroli Magni, in ciuitate Blaiensi ad Garonnam, in monasterio S. Romani, ad Rolandi sepulcrum, vna cum eius cornu appensum fuisse. Arturus Britonum rex, qui vixit anno 470. gladium habuit Caleburnum, & lanceam Ronam, quo gladio vno prœlio occidit quadringentos & septuaginta ex hostibus, si vera sunt quæ Sigibertus Gemblacensis memoriæ tradidit. Georgij quoq;

Castrioti Epirotæ viri fortissimi gladium Mahometes Turcorũ imperator & ipsius hostis acerrimus videre cupijt. Hunc cum Castriotus (qui à Turcis Ischenderbeg, id est, dominus Alexander, vocatur, vnde vulgo Scanderbegus appellatur) ad eũ, accepta cautione, Constantinopolim misisset; nemo tãti roboris in Turcica aula repertus fuisse dicitur, qui eo cõmode & perite vti potuerit, ob id Mahometes remisso eo, veluti ad terrorẽ supposititio gladio se hostili animo & arte delusum esse renunciari iussit. Cui Schanderbegus rescripsit, se bona fide & absq; fuco dolove misisse acinacem suũ, quo in prœlijs valide strenueq; vteretur: verũ manum & brachiũ suũ, quo medios Turcos profindere, nãsuersos diuidere, integrosq; artus detruncare soleret, nõ misisse, sed sibi retinuisse. Id-ipsum se mox reipsa ostensurũ. Quod & perfecit. Laudantur itaq; nõ sine causa Turcici milites, qui hodie gladios suos leuiter incuruos tã magni faciunt, vt maximo pretio eos cõparare, diligentissimeq; asseruare, neq; permittere, vt ij ad exteros venales exportẽtur, soleant. Nam gladijs vera fortitudo in prœlijs, non sagittis, nõ globulis extormentis missis, à viris magnanimis demonstratur. Quod vero ad clypeos attinet, præstantiores quam gladij olim habiti fuerunt ideo, quod prior sit tegẽdi quam hostis lædendi cura habenda sit. Quamobrem veteres pœnam militi statuerunt, qui clypeum vel scutum in prœlio proiecisset vel amisisset; qui vero gladium vel hastam, nulla afficiebant pœna, vt ostenderẽt, annitendum esse, ne quid detrimenti patiamur potius, quã vt vulnera

hosti

hoſti inferamus. Quocirca Romani non dextram militari annulo donabant, ſed ſiniſtram, quæ clypeo hominẽ tegebat. Germanicis quinetiam legibus militaribus cõtinebatur, teſte Tacito, quod ſcutum reliquiſſe præcipuum flagitium, & huic ignominioſo, neque aut ſacris adeſſe aut cœtum conciliumq; adire fas eſſet. Quod vero attinet ad tormenta bellica & ſclopetarios, licet ſæpenumero in prœlijs hoſtibus valde nocuerint, tamen in ijs ſpes victoriæ non ſemper collocanda eſt. Proinde in conflictibus, ſclopetariorum vſus ſæpius eſt ad ſpeciem quam ad neceſſitatem. Abiectis .n. fulminalibus, cum poſt primum impetum aciem hoſtium ſubiere, gladijs comparaſſe victoriam, neq; vnquam hac ratione fruſtra pugnaſſe, exercitati milites vnanimiter conſentiunt.

CAPVT V.

De ornatu armorum.

NON incommode, dum in armorum materia verſamur, diſputari poteſt, an expediat militi, arma inaurata, alijsque emblematis pretioſis decorata geſtare, necne? In vtramque partem ſunt & exempla & argumenta. Sertorius, vt & Iulius Cęſar, volebant, vt miles ſuus auro & argento interpolata arma & tela haberet, paludamentaq; pretioſa, conſpicuis coloribus diſtincta. Hannibal contra, Antiochi exercitui pretioſa arma, ſumtuoſasque veſtes maximo vertit vitio, idipſum enim inſtimulare hoſtem ad auaritiam, prędæque cupidiorem quam cõflictus. Mithridates exercitũ ſuum inauratis & ſupbis armis pitidũ Romano victori ſuccubuiſſe

animaduertens,abiecto vano illo ſplendore,chalybe ferroque eundem muniuit: at ſero nimis iactura facta.

His itaq; præmiſſis, ſtatuendum nihilominus, omnia militi,quæ animoſum, alacrem erectumq; reddunt, terroremque hoſti incutere videntur, concedenda eſſe. In hoc primum ſibi locum vendicant ſplendida, nitida & ſumtuoſa arma. Hinc criſtas aliaque capitis ornamenta tam equiti quã militi maiorem quaſi ſtaturam adijcientia geſtare ſemper fuit vſitatum. Dixerit ſane Hannibal ornata & pretioſa arma hoſti ad inhiandum prędæ ſtimulos addere: at Scipio, qui Hannibalem rerũ bellicarum ſcientia adæquat,contra cenſuit: fore nimirum vt milites argento &auro nitentibus armis inſtructi, ne ſibi eripiantur, gnauius ſint pugnaturi. *Milites*, inquit Suetonius de Cæſare, *habebat tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret: ſimul & ad ſpeciem, & quo tenaciores eorum in prælio eſſent, metu damni.*

Sed fortaſſis non incommodum eſſet,non cuiuis arma auro argentoque nitida concedere: niſi ſolis veteranis,qui ſtrenuam ſæpe in rebus difficilimis nauarint operã, multis prælijs interfuerint, aliaque præclara geſſerint. Sic de Alexandro Magno meminerunt hiſtoriæ, argento polita arma militibus, qui inde Argyraſpides dicti, non eſſe data ante deuictos Perſas,orientisq; euerſionem. Committere tamen noluit, vt ſummus exercitus dux tam nitide incederet: ne ſuo exemplo alios pellectos,non duces modo inferiores,ſed integrũ exercitum nimio ſumtu exhauſtum peſſumdaret,

id

id quod alicubi memini factitatum. Summus quidem dux, alij vt ornamenta eiusmodi gerant, ferre potest: ipsemet tamen suo exemplo illorum non sit auctor. Recte Seneca gladium bonum esse dicit, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro, munimentum omne rupturus.

CAPVT VI.

De acie.

QVEMADMODVM munitiones reddit firmiores forma siue figura, quam materies: sic exercitū potius iusta aciei dispositio ac ordo quam multitudo, aliave, quæ in exercitu visuntur. Ordinem autem voco modum collocandi milites in aciem educēdos. Tam autem iusta collocatio ac dispositio necessaria est, vt maximæ victoriæ pars in ea sita sit, eamque plerunque sociam habeat. Saluo enim & necdum rupto ordine, non facile fugatur exercitus: contra vero ordine vix soluto simul exercitus dissipatur.

Duo omnino fuerunt populi, qui ex difficilimis bellis gestis, multisque victorijs partis summam existimationis famam ad posteros transmiserunt: Macedones & Romani. Romani suis legionibus totum terrarum orbem coercuerunt: Vniuersam Asiam phalangibus Macedones. Peculiaris vtrique erat ordo, semper inuictus habitus. Melius autem phalangibus dispositæ erant legiones. Phalanx enim similis erat solidæ massæ,

aut corpori ex numeroſo milite conflato, in qua vir viro, haſta haſtæ ita iungebantur, vt ſepem ſpiſſiſſimam repræſentarent. At hæc ſpiſſitudo admodum tardi greſſus cauſa erat, & anguſtia agilitatem impediebat? Quid quod phalāgarij diſſoluti ad cladem hoſti inferendam erant inhabiles? Nullius etiam vſus erant phalanges, niſi in planitie ferro decernendum foret. Montoſis itaque & aſperis locis facile diſſipabantur, id quod in pugna inter Paulum Æmilium & regem Perſeum commiſſa euenit. Legio autem ſimilis erat corpori diuerſis membris cōſtante: Triplici enim militum genere conſtabat quorum alij principes, alij haſtati, alij triarij dicti ſunt: ijque ſubdiuiſi in cohortes, atque hæ viciſſim in centurias: quarum ſingulæ centeno milite conſtabant. Centuriæ rurſus in cōtubernia ſiue manipulos: id quod decuriam vocamus. Hoc ordine maius datum interſtitium expeditiores fecit milites ad bellica negotia, atque ad res præclare ac fortiter gerendas; id quod nemini non conſtat.

Scribit Liuius, Celtiberos in extremo diſcrimine cōſtitutos, acuminatam quaſi ac mucronatam inſtituiſſe aciem, adeoque impetuoſe irruiſſe, vt irrumpentes hoſtis ſuſtinere non poſſet. Syphax rex Numidarum potentiſſimus diuitijs & ſubditis Carthaginenſes æquauit: at diſpoſitione & collocatione militis longe impar. Petijt itaque à Romanis, quos in ſocietatem adſciuerat, vt duces ſuppeditarent nonnullos, qui rudem militem vexilla obſeruare, in aciem prodire, ordinem tenere

Digitized by Google

nere aliaque rebus bellicis neceſſaria, docerent atque inſtruerent. Quibus impetratis ſenſit, quanti momenti ſit ordinem probe tueri: ſiquidem magno prælio Carthaginenſes poſtea fudit.

Experientia probat milites Italos propter ordinis defectum & neglectum paruifieri: vti nec dux ille copiarum peritus aut prouidus ſatis habetur, qui Martis aleam periclitaturus cõtra Germanos & Heluetios omnem fiduciam in Italo milite ponit. Probant idem Veneti, qui, cum ſolis Italis peditibus vterentur, fuſi ſunt, quoties-cunque ferro decernerent cum Tranſalpinis; Reueredi, Carauagi, Vialæ. Germani & Heluetij priſtinam exiſtimationis gloriam præſtantiamq; virtutis bellicæ retinent, quod boni ordinis ſunt tenaciores. Intelligentia & mentis perſpicacitate, diligentia, labore & celeritate Italis longe ſunt inferiores: vt & Hiſpani & Galli: Siquidem id ſatis conſtat ex pugnis quibusdam inter Italos & prædictarum nationum populos commiſſis quam mari quam terra, Trani, Quaratæ, Aſtæ, atque alibi. Sunt tamen Italis ſuperiores, vbi non velitationibus ſed iuſto prælio decernitur. Cuius quidem nulla alia eſt cauſa, quam quod Tranſalpini ordinibus ſuis ſtationibusque non excedunt, Itali vero palantes diſcurſitant, atque ita ab inuicem diſtracti facile funduntur: itaque ſingularibus conflictibus ac velitationibus quam iuſtis prælijs ſunt aptiores.

C A-

CAPVT VII.

De bona causa.

TVM demum militum animi attolluntur, cum iustam fouent causam. Iusta enim causa in spem bonam erecto victoriam pollicetur, iuxta illud:

——. *Spes addita suscitat iras.*

Ira enim est ceu lapis Lydius, ad quem militis fortitudo exigatur. Tantum enim abest vt is, pro quo bona causa militat, abiecto animo fiat, vt etiam quævis discrimina subire nō dubitet. Adde quod subditi promtius operam suam principi nauant, atque alacrius pro principis salute belligerantur, bonitate causæ inducti. Quid quod prouocatus & vindictæ cupidus grauiore ira accēditur, quam lacessens? Econtra vero cuiuis constat iniustam causam vt & eius patronos à Deo non prosperari. Quod vnum satis est ad militis animum frangendum.

Munus itaque boni ducis est curare, vt alte animis subditorum sit infixum non nisi de iusta causa bellum esse susceptum. Commodissime autem hoc efficitur, cum per legatos aut Feciales, Romanis ita dictos, hosti iustæ conditiones proponuntur: vel iniqua eius postulata recusantur. Porro quoque, cum testis Deus adhibetur, nō temeritate, non ambitione, non petulantia, non leuitate, sed ad subditorum salutis ac fortunarum, aut ad purioris religionis, famæq; suæ defensionem arma esse mota.

Hic

Hic memoratu dignum est factum Iulij Cæsaris in bellis ciuilibus. Siquidem vel inter medios armorum Martisque strepitus nunquam non de pace legatos misit, nihil eorum intentatum relinquens, quæ ad pacem cõferrent. Hoc ipso, quamvis vnice bella quęreret, nihilominus pacis amantissimus fuit existimatus. Ea vero de causa hoc factum, vt milites pacis conditiones à Pompeio recusatas animaduertentes magis ad vindictam inflammarentur.

CAPVT VIII.

Quod omnis spes & fiducia in solo Deo sit collocanda.

MENIVM maxime erigit militum animos fiducia auxilij diuini. Platonis sententia erat, à Deo precandum esse auxilium belli siue sit arduum siue exiguũ. Felix enim auspiciũ felici clauditur euentu. Quãto magis sic facto opus est in bellis grauissimis? in defensionibus munitionũ? in oppugnatione vrbium? in prœlijs atque conflictibus, alijsq; ad bella pertinentibus? Onosander sententiam præceptoris sui Platonis secutus exercitum nisi solenni aliquo sacrificio lustratum negat abducendum. Neque vnquam Romani, nisi consultis aruspicibus arma mouerunt.

Rex Dauides nullam suscepit expeditionem, nihil arduum, antequam de voluntate Dei certo constaret. Constantinus Magnus in bello Persico tabernaculum fixit, instar templi exædificatum, vbi

vbi ſacra peragebantur. Et cuivis legioni tãquam mobile templum erat, in qua ſacerdotes & diaconi rem ſacram fecerunt. Hinc ortæ ſunt miſſæ Caſtrenſes. In vexillo depictum erat ſignum crucis: victoriæ arrha certiſſima. Duos Theodoſios, ambos imperatores ardentiſſimis ſuis precibus plures victorias, quam armatis copijs obtinuiſſe, vnanimis eſt hiſtoricorum conſenſus. Admodum autem fructuoſa eſt ſpes illa in auxilium Dei fixa. Primum enim diuinum patrocinium in noſtram partem trahit. Atqui ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Quid quod firmiſſimam fiduciam omnium animos mirifice afficientem & reficientem inijcit? Quid quod nos certos reddit æternæ beatitatis, quæ incredibiliter militum animos obfirmat. Quid enim, dic quæſo, in maiorem ſpem erigit homines, in vitæ diſcrimine, aut bello, vbi plurima mortis eſt imago, conſtitutos, atq; æterni gaudij ſpes indubitata?

Vt autem deuotis precibus Deus inuocatus felicem euentũ largiatur: eſt vt dux belli omnes intendat neruos, quo caſtra ſacerdotib. abundent, qui doctrina, redargutione, correctione tam priuatim quam publice militũ aures obtundant: ad vigilantiam & ſobrietatẽ, ad meliorem vitæ frugẽ & cultũ Dei ſedulo adhortentur. Si teneллæ & inbelles virgines cõtra ferociſſimos tyrannos, cõtra inhumanos carnifices, contra exquiſitiſſima ſupplicia, imo contra ipſum imperium Romanũ triũpharunt: quanto magis miles, ſub alis Dei excubans, in gratia apud Deum poſitus victoriam ſibi ſpõdeat. Hæc profecto vnica cauſa fecit, cur fideles

infi-

infidelibus semper fuerint superiores: q illi à veritate, hi à mēdacio: illi spe indubia auxilij diuini: hi animo desperato: illi fide Sacramentis cōfirmata armati steterūt: hi vero seductoribus datis aurib. præfracte mendacia defensarunt, tantumq; in ferocia & armis spē & fiduciā suā posuerunt, ignorantes vnde victoria & prosperi ꝓgressus in bello veniant. Ast quo quisq; puriori corde Deū coluerunt, eo feliciores semper in plijs extiterunt. Sic Abrahā domestica seruorū manu cōparata maximum & fortissimū exercitū est adortus, & quatuor reges incredibili virtute deuicit, hostibusq; partim cæsis partim fusis ꝑdam detraxit. Sic Gedeon trecentis tantū viris fortissimis septus, innumerabiles copias hostium trucidauit. Quid Iosuam Mosis succesſorē? quid Iephten? quid alios viros excellentes tā sanctitatis studio quam bellicæ laudis gloria præstantes cōmemorem? qui bella sanctissima contra sceleratos homines susceperunt. Quid vero aliud significat illa cōclamatio: Gladius Dei & Gedeonis. Et illud rursus: Factus est super Iephte spiritus Domini, & eiusmodi innumerabilia, nisi nō absq; diuino numine, q illis fortissimis hominib. præsens aderat, tanta bella suscipi atq; ꝓfligari potuisse? Sed ad recētiora transibo. Constantinus Imp. nō tam numero militū, aut robore exercitus, aut bellandi scientia quā Christi ꝑsidio Maxentium superauit. Isq; eo ipso ferme tēpore, quo erat cū hoste congressurus, æthere puro atq; sereno vidit crucis effigiem diuino splendore coruscantē, vocemq; è cœlo missā accepit, qui illi victoriā denunciabat, si modo crucem, tanq̄ summi

atq;

atque ęterni Dei vexillum ſequeretur. Inde igitur omnibus regijs inſignibus crucis ſignum antepoſuit, in illo omnem ſpem non modo victoriæ, ſed immortalitatis & æternæ gloriæ collocauit: illo inſignitus innumerabiles hoſtiũ exercitus fudit, imperiumque Romanum latiſſime propagauit. Quid Melitenſes & Lepanthanos ſeu Naupactanos memorem? qui diuino freti auxilio ſæpenumero Turcas maxima clade affecerunt. Vſq; adeo verũ eſt illud, quod extat Paral. c. 16. vbi Hannani Propheta ad Aſam regem Iuda inter alia ita ait: Oculi Domini contemplantur ſuper vniuerſam terram & præbent fortitudinem his, qui in corde perfecto credunt in eum. Item illud: Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Domini ſpem repoſitam habemus, ipſi confracti ceciderunt, nos autem erecti victoriam reportauimus.

CAPVT IX.

Miles à patria longius abductus euadit animoſior.

MVLTO animoſiores fiunt milites à patria longius abducti: ſic enim ſpes fugæ præciditur: quam non raro patriæ vicinitas ſuadet. Amor erga parentes, vxores, liberos & familiares longe eſt remiſſior in loco procul ab illis diſtante. Hinc patet, cur in vrbium propugnatione in ſubditorum opera confidere non ſit tutum. Præſentia enim parentum, amor coniugalis, liberorumque, cura rei familiaris quaſi religatis manibus militis animum hebetat &

tat &emollit. Cum vero procul à patrio fumo abiere, hoſtibus vndequaque ſepti: neceſſe profecto habent animi torporem excutere, arma ſtringere, totisque viribus incumbere ad retundendum hoſtem.

Non ignorabat id Annibal: quapropter abiturus in Italiam, cum interim Hiſpaniam & Africam præſidio muniturus eſſet, Hiſpaniam Africano, Africam Hiſpano præſidio obfirmauit: ratus vtrinque rem rectius poſſe geri, quod extra patriam eſſent præſidiarij. Hacque de cauſa Itali ſuos milites floccipendunt, quorum tamen opera exteræ nationes feliciſſime ſæpe vtuntur. Quid Portugalenſes memorem? Quænam eorum in patria & finitimis locis res præclare geſtæ? Exiguæ ſane. At rurſus attende, quæ præclara virtutis ſpecimina in India ediderint, vbi exiguo numero (vtcunque etiam id Mamaluchi, Turcæ, Perſæ alioquin bellicoſiſſimi, atque ipſi Indiæ reges potentiſſimi inique ferrent) dominatum oceani, & præ cæteris immenſas diuitias Ormus, Diu, Goæ, Malaccæ, & Malucci fortiſſime occuparunt. Procul enim à patrijs ſedibus abducti, omnique auxilio deſtituti, vbi nullum habere ſe profugium ſenſerunt, ferociores facti, ac deſperatis non abſimiles acerrime pugnarũt, ac fortuna proſperiore vſi res maximas geſſerunt. Idem de Hiſpanis iudicium eſto, quos fortuna, audaciores cum eſſent, in nouis inſulis, ad res maximas conficiendas incredibiliter iuuit.

CAPVT X.

De disciplina militari.

TOTIVS rei bellicæ optimus neruus atq; firmissimum vinculum est militaris disciplina, quæ circa militem informãdum atq; in officio cõtinendum versatur. Illi autem rite imbuti censentur, quorũ obedientia iuxta ac fortitudo conspicua est. Optime autem totum hoc negotium perficitur demta occasione luxuriæ & voluptatis, qua & seducuntur & emasculantur. Plerique vino, balneis, fœminis, calonibus, scurris, somno, voluptatibus rerumq; abundantia subacti degenerant. Hę delitię, vt tradit Liuius, Capuæ Annibalis copias eneruarunt. Atq; idipsum, nempe quod exercitum tanto tempore in tam opulenta omnisq; delitiarum genere abundanti vrbe degere passus fuit, nõ admodum Annibali laudi ducitur; sicut & illud, quod ex Cãnensi victoria non protinus ad vrbem Romam duxit: hic enim error distulit victoriam: ille vires ademit ad vincendum. Cęterum de ijs quibus milites seducuntur & eneruantur prolixius agamus.

Magnam vim habent ad seducendum pretiosa supellectilia & vasa. Hinc Pescenninus Niger animaduertens militum suorum quosdam ex argenteis poculis potare; omnibus illorum vsu in castris suis interdixit. Idem nunquam alio quam militari cibo vsus est: exercitui vinum ferri non patiebatur, sed acetum solum, vtpote quod facilius vbique inueniretur. Quamobrem militibus, quibus Ægypti finium cura demandata erat, cum vinum poscerent, respondit: debere eis amnis

Nili

Nili aquam sufficere. Neque vero, nisi reliquus exercitus sub tecto mansisset, ipse tentorium aut frondea tabernacula subibat, sed sub dio manens alios exemplo suo ad patientiam hortabatur. Idē hic militaris disciplinæ æque ac suæ suorumque abstinentiæ severus custos, cum intellexisset à milite suo gallinam rustico cuidam esse per vim ereptam, atque ad illius aliarumque nonnullarum rerum epulas raptorem, decem alios adhibuisse comites, ingenti labore, cum ob hoc ipsum ad rebellionem spectare exercitus videretur, vix retentus est, quin omnes capitali pœna multaret: lenitaque animaduersionis seueritate effecit, vt denæ per singulos gallinæ, ei cui erepta erat, persoluerentur, eorumque nullus durante ipso bello in tabernaculo suo ignem accenderet, soloq; pane atque aqua vitam duceret. Antonius Bassianus Caracalla, cum patri in imperio successisset; præterquam quod sæpe se cum militibus exercebat, pedibus iter armatus faciebat, ac sæpe magnum spatium militaria signa ipse ferebat: ne tum quidem cum lassus in tentoria se receperat, delicatiore cibo reficiebatur: sed cum alijs militibus eo pane vescebatur, quem ipse sibi pinsuerat, & tunc in ardenti cinere decoxerat. Scypho quoque ligneo bibebat, per hunc modum aucta bona valetudine magis etiam à militibus diligebatur; cum fraterne se erga omnes ipsos gereret.

Testatur Ammianus Marcellinus, militarem disciplinam & virtutem apud Romanos (quæ tamen illis aliquando antiquior fuit liberorū chari-

tate, teſte Paulo IC.) decreuiſſe ac degenerasſe, quando non amplius ſaxum, vt antehac, armato cubile, ſed plumæ & flexiles lectuli & gratiora gladijs pocula erant: hinc factum, vt etiam ipſorũ imperium labefactatum, & externis hoſtibus prędæ fuerit. Idem quoque noſtro tempore accidit. Quamprimum enim miles, vt idem Marcellinus refert, ferox in ſuos & rapax, ignauus vero in hoſtes & fractus eſſe cœpit, vt per ambitionem otiumque opibus partis auri & lapillorum varietates diſcerneret ſcientiſſime, contra quam recens memoria tradidit; tum priſtinus vigor & virtus euanuit. Atque vt Scipio dicere ſolitus eſt: Vbi miles contemtor opum & diuitiarum, tantum virtuti ſuæ fidens, bella gereret, & adhuc diſciplina paupertate magiſtra ſtaret; fatigatis humus cubile eſſet; cibus quem occuparant, ſatiaret; tempora ſomni arctiora quam noctis eſſent: nihil tunc imperuium conſpiciebatur. Veriſſimum enim eſt, quod ad Vrſinum Platina ſcriptum reliquit, Romanam ſcilicet Rempublicam omnium florentiſſimam fuiſſe, cum ciues paupertate gloriarentur. Siquidem eo tempore, teſte Petrarcha, omnium gentium fuere victores: tunc vero vinci cœpere, dum diuites facti ſunt. Ita ad aduentum diuitiarum ceſſere victoriæ ac virtutes; ſimulque opum comites delitiæ ac libidines ſubiere, vt non immerito ſcriptores quidam temporum illorum Romanæ paupertatis interitum queſti ſint. Etſi autem paupertas humanam vitam nonnunquam miſere vexat, ſæpeque preſſos non audenda audere cogit: tamen eius commoda multiplicia late

recen-

by Google

recẽſentur in Ariſtophanis comœdia, cui titulum fecit, Plutus. Vnde Demaratus apud Herodot. pro encomio Græcorum ait, Græciam ſemper alumnam paupertatis fuiſſe, hoſpitem virtutis, quã à ſapientia alciuerit, & à ſeuera diſciplina, quam vſurpans & paupertatem tueatur & dominatum. Cuius etiam opinionis fuit Pertinax Imp. apud Iulium Capitolinum, vbi inquit: Sanctius eſt inopem Rempublicam obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per diſcriminum atq; dedecorum veſtigia peruenire. Laudatur ergo non immerito M. Curius Dentatus. Is enim Samnitibus magnã vim auri offerentibus reſpondiſſe dicitur, Non egere ſe auro, quamdiu cupiditatibus ſuis imperare poſſet. Sane pulcrum omnino & laudabile eſt, vincere reges, oppugnare regiones, caſtra & vrbes: attamen multo pulcrius, proprijs affectibus imperare, omniumque admirabiliſſimum, cum is, qui multos vicerit, ſeipſum demum vincat. Ea enim, vt Plato ait, omnium victoriarum tum prima eſt tum optima. In quam ſententiam Fridericus Cæſar, victis in Hungaria Guinzienſibus, ſuos Germanos milites allocutus eſt: Magnum, inquit, actum eſt opus: nunc maius reſtat, vt vincamus nos ipſos, atque auaritiæ & vlciſcendi cupiditati finem imponamus. Hæc autem victoria ſuimetipſius absq; frugalitate & contemtu opum obtineri nequit.

Cæterum ad diſciplinam militarem & ſecuritatem agricolarum atque annonam conſeruandam hanc cautionem ſanciuit Henricus I. Imperator, Auceps dictus. Is.n. in bello contra Slauos,

ex militibus, qui in villis essent, nonum quenq; in oppidis collocauit, cui reliqui agrũ colendo victum quærerẽt, nonus vero tertiam omniũ frugũ partem conditam asseruaret, suisque socijs intra muros horrea & domicilia extrueret; sed vice cęterorum ipse quoties opus esset, militaret, & pro patria periculũ susciperet, alijs domi seruantibus. Huius instituti commoda hæc erant: primum, vt propter incursiones perpetuas, agris spoliatis, nõ esset timenda penuria: deinde vt in vrbibus miles ne deficeret q̃ bellis iam plurib. exhaustæ habitatoribus erant. Quã ad rẽ cõstanti & bene ordinata disciplina militari omnino opus est q̃ si dilabatur, & nomen & imperiũ amittitur, vt inquit Lampridius in oratione Alexandri Seueri in oratione ad milites. Et rectissime ac verissime scripsit Euagri⁹: Prudẽtia ducũ, & obedientia disciplinaq; militũ bona ingentia effici solent. Quod si vnũ ab altero destituatur, claudicare vtrumq;, & isto præstantissimo iugo dissoluto, oĩa euerti atq; conturbari.

Qualis autẽ & quam arcta & prudenter constituta militaris Romana vetus disciplina fuerit, Flauius Iosephus, postquã arma tam peditum quam equitum eorũ exacte descripsisset, ita eam recenset: Armorum quidem exercitatione comparant, vt non modo corpora, sed animi quoq; militum fortiores sint. Maior autem illis est ex timore diligentia. Nam leges apud eos non desertionis solũ, sed etiam minimæ negligentiæ, sunt capitales ducesq; magis quã ipsæ leges terribiles. Namq; bonos honorando redimunt, ne in coercẽdis noxis videantur crudeles. Tanto autẽ obsequio parent recto-

rectoribus, vt in pace ornamento sint, & in acie corpus vnum totius cõspiciatur exercitus. Sic eorum copulati sunt ordines, ita circũduci sunt mobiles, & acutis aurib. ad p̃cepta, oculisq; ad signa, & ad opera manibus. Vnde facere quidem semper strenui sunt: pati vero tardissimi. Nec est, vbi prœliantes aut multitudinem hostiũ aut consilia sensere ducum, aut difficultatem regionũ: sed ne fortunæ quoq; succubuere. Nam & ea certiorem putant esse victoriam. Ob hanc causam recte miles Romanus ita à Vegetio definitur, quo etiam leges Cæsareæ respiciunt, Nempe eum esse, qui sub imperij Romani signa iurans in castris habitet, ad arma contra hostes expedienda semper paratum; duritiam pro imperio perferre, & malum hostile manu militari à Rep. Romana arcere adsuetum. Præterea ab imperatoribus omne id, quod ad cõseruandam militarẽ disciplinam, & ad securitatẽ subditorum spectat, diligenter in multis legibus sancitum est. Sic enim Impp. Honorius & Theodosius in l. 5. C. de Metatis & Epidemiticis, lib. 12. Ioanni PP. rescripserunt: Solam sane hospitalitatem, sub hac obseruatione concedimus, vt nihil ab hospite, quod vel hominum vel animaliũ pascuis necessariũ creditur, postuletur: omniumque sit acceleratum iter atq; continuum, nec vlli liceat residere, ne diuturnitas commanẽtium vlla ex parte prædium vexet. Decem etiam librarum auri mulcta ferietur, quisquis administrator, erogator apparitorve vllus, militans scilicet, vel iter agens, vllo in loco aliquid ab hoste postulauerit. In tantum enim inhiberi sceleratum morem iubemus,

vt ipſis quoq; præbentibus impunitum eſſe non patiamur, ſi quid cõtra præceptum noſtrum probati fuerint obtuliſſe. Et ſane magnum ad res feliciter gerendas momentum afferret, ſi priſcæ illæ Impp. de moribus & pœnis militaribus ſanctiones redintegrarentur, ac deplorata militum quorundam, præſertim erronum & plerunque fere tyronum temeritas atque audacia iuſtis pœnis coerceretur. Quid enim, vt inquit Horatius, leges ſine moribus vanæ proficiunt? Secus namq; ſi ſit, pernicies potius quam vtilitas in Remp. inducitur. Nam obſcuri illi vtplurimum, & immodeſti peſſimisque exemplis famoſi homines, quocunque accedunt, ex rapto viuunt, vicos & agros miſere vaſtãt, infimam plebem & ruſticos homines affligunt, & quidvis patrare non verentur, nullumq; adeo inter amicos & hoſtes diſcrimen ponunt: & ſic non minus populos prouinciasque vaſtant ij, qui vt eas defendant, quam qui vt offendant, ſtipendia accipiunt. Idipſum optime intellexit ac perpendit Ferdinandus, Hiſpaniæ & Arragoniæ rex: quocirca ſæpenumero expeditiones aliquas non alia de cauſa parandas eſſe aiebat, quam vt furibus, ſicarijs, ganeonibus & perditis hominib. iuuentus Hiſpana expurgaretur, quæ malorum conſortio inutilis & vitioſa paulatim reddebatur. Hoc etiam conſilio iam olim in Athenienſium Republica, Periclem, clariſſimum imperatorem vſum eſſe, ex hiſtorijs nouimus, qui ſingulis annis claſſem ornare ſolitus erat, vt ignaua, turbulenta & ſeditioſa plebe ciuitatem ſuam leuaret, ac velut ſentinam improborum exhauriret ex naui Reip.

Non

Non ignoratunt enim prudentiſſimi viri, bellum in ſe cum alia plurima, tum illud inprimis habere, quod & male animatis hominibus afferat peccandi facultatem, & plerunque principibus conniuendi neceſſitatem. Verum hæc de profanis militibus ac propemodum ijs, qui tantum in ferocia & armis ſpem & fiduciam ſuã ponunt, ſanguinemq; & viſcera etiam miſerorũ haurire ac prędari haud verentur, dicta eſſe ex ſuperioribus ſatis liquet. Verus enim virtutisq; induſtrius miles, vt inquit Ambroſius ſerm. 5. in pſalm. 118. cum ingreditur viam, viandi ordinem non ipſe diſponit ſibi, nec pro ſuo arbitrio viam carpit, nec voluptuaria captat compendia, ne recedat à ſignis: ſed itinerarium ab imperatore accipit, & cuſtodit illud, præſcripto incedit ordine, cum armis ſuis ambulat: rectaque via conficit iter, vt inueniat commeatuum ſibi parata ſubſidia. Si alio ambulauerit itinere, annonam non accipit, manſionem paratã non inuenit, quia imperator his iubet hæc præparari omnia, qui ſequuntur, nec dextra nec ſiniſtra à præſcripto itinere declinant: meritoque non deficit, qui imperatorem ſequitur ſuum. Moderate enim ambulat, quia imperator non quid ſibi vtile, ſed quod omnibus poſſibile, conſiderat. Ideo & ſtatiuas ordinat, triduo ambulat exercitus, quarto die requieſcit: Eliguntur ciuitates, in quibus triduum, quatriduum, & plures interponuntur dies, ſi aquis abundant, ſi commercijs frequentantur. Et ita ſine labore conficitur iter, donec ad eam vrbem perueniatur, quæ quaſi Regalis eligitur; in qua feſſis exercitibus requies miniſtretur.

Turcæ certe in ſeruanda diſciplina militari, reliquis nationibus excellere, non obſcurum, imo notiſſimum, cum noſtro magno damno & malo eſt. Nulla (inquit Hippol. de Collib. in ſuo principe) vnquam pugna inter eos exauditur. Nam vel minimum delictum capite vindicatur. Promte obediunt imperantibus, ita vt nullum quamvis manifeſtum vitæ diſcrimen ſubterfugiant: ſine tumultu & clamore in caſtris verſantur; & quamvis ſemper ibi maxima ſit frequentia, ſilentium perpetuum & ſtupendum obſeruant. Manus minima ſignificatione & nutibus reguntur, profunda tranant flumina; abruptos ſuperant montes, vigiliæ inediæque tolerantiſſimi, nec vnam quidem mulierem in caſtris habent: in expeditione nemini infenſi: ideo agricolæ ad eorum aſpectum nequaquam pauent, tantum abeſt, vt operas aut domos deſerant, cum nullum damnum, nullam vim reformidant.

Cæterum diſſolutiores etiam fiunt milites vſu iumentorum clitellariorum, quæ bona militum baiulent. Quocirca Scipio minor in bello Punico edixit, vt omnia illa venderentur, ne aliquando moleſtiora militibus fraudi eſſent. In bello contra Iugurtham edicto cautum fuit, ne quis equo aliove iumento, quod peculium caſtrenſe portaret, vteretur.

Inſignem etiam militis corruptionem inferunt omnis generis delitiæ. Quam ob cauſam Scipio, de quo modo diximus, publico edicto omnes

caſtris

castris exire iussit, qui cibos delicatiores importarent ac venderent. Similiter in bello Numantico sub pœna grauissima iussit omnes, qui clinodia aliaque delicatiora venderent, ocyus castris excedere, neque vnquam reuerti, nisi adducerent frumenta.

Memorabile est, quod de Tito Vespasiano scriptum extat, ad quem cum olim iuuenis quidam pro collato in se officio, gratias acturus fragrantibus odoramentis perfusus accederet; Allium si oleres, inquit imperator, longe esses gratior. Sic præter opinionem male acceptus, peius dimissus est. Imperator enim continuo, munere ante dato, diplomatis reuocatis ipsum abdicauit. Cui non absimile est, quod de Andrea Gritti, Venetorum Prouisionario, proditur. Cum enim aliquando iuuenis quidam venuste comtus, ambramque & moschum redolens, munus bellicum ab ipso petijsset: O iuuenis, inquit, si animus est præesse, elige aut remos aut rastra; Indicaturus, ad quodvis munus, nisi forte ad opera nautica & rustica esse ineptum.

Nimia etiam licentia, amicos atque adeo eos, apud quos hospitantur, deprædandi, eos reddit maxime peruersos. Recte itaque fecit imperator Aurelianus, qui grauissime in eiusmodi flagitiosos animaduertit. Deprehensum enim aliquando militem hospitis vxorem stuprantem pedibus distentum illigari iussit ad duas arbores, quarum cacumina vi attracta restituendo corpus

discer-

discerpserunt. Idem cuidam ex suis vicario rescripsit, vt quam diligentissime licentiam militis cõpesceret, ne quis vel capillum alterius violare auſit, omniũ ſtudijs eo collatis, ne ex lacrymis amicorum, ſed hoſtium præda diteſcant. Verba autẽ ipſius epiſtolæ hæc fuerunt: Si tribunus eſſe vis, aut potius ſi tibi vt viuas curę eſt: fac militum manus ab alieno contineas. Nemo alienum pullum accipiat, alienam ouem tangat, ab aliena vinea vuam decerpat, aliena ſata calcet, oleum, ſalem, ac ligna petat, taxato ei commeatu cõtentus maneat, prædaque hoſtium non lacrymis ſubditorũ alatur, nitida habeat arma, ferramentaq; omnia parata teneat, calciamenta ſint firma, veterem veſtem noua excludat, ſtipendiumq; eius in baltheo & non in culina maneat, torquem, armillam atque annulum ferat, equum ſuum maiorem ipſe perfricet, animal ex hoſte captum non vendat, mulumque, qui eius ac comitum impedimenta gerit, diligenter curet, mutuoque ſibi milites vt ſerui auxilio ſint, à medicis ſine præmio curentur. Aruſpici & Sago nihil dent, honeſte in ſtatiuis ſuis viuant, & qui rixabitur, vapulet. O miram diſciplinam non modo antiquis militibus, ſed religioſis quoque viris dignam. Quem enim temporis noſtri militum, tentoriorum, lectorum, vaſorum, ciborumque ac veſtium, quibus nimis molliter vtuntur, vna cum rapinis, quibus miſeros populos, quos tueri debent, populantur, cum hanc epiſtolam legerint, vt ignauiſſimos vehementer non pudeat?

Grauem ſe quoq; ac ſeuerum in militari diſciplina

plina Tamberlanus gessit: id quod inter cætera semel cum exercitum per minorem Asiam duceret, quæ nunc Turchia dicitur, visum est. Nam cũ ei lacrymabunda mulier se obtulisset, querens, ab eius milite, nullo dato pretio coctam parumq; casei erepta esse, statim consistere iussit exercitũ: atque inde agmen ordinatim incedere, vt mulieri facultas esset eum agnoscendi, qui vim fecerat. Agnito igitur rex per pectus se præsente aperiri corpus iussit, in cuius stomacho lac quod mulieri eripuerat, fuit inuentum: cui supplicio mulier designata erat, nisi eius rei, qua se spoliatam questa erat, signa fuissent inuenta. Hac enim seueritate assequebatur, vt copiæ quas habebat immẽsas, cum tutus ad castra omnibus esset accessus, omni commeatu semper abundarent. Idipsum etiam, nullum nempe in magnis exercitibus perniciosius malum esse quam nimiam licentiam, probe cognouit imperator Seuerus, quod ipsum etiam cum prudenter videret, minime tulit. Cum enim podagra laboraret, & propterea impediri quam decreuerat, expeditio videretur, maiorem natu filium, Antonium Bassianum, exercitus Augustum salutauit, arbitratus in eo sceleris nihil à se perpetrari. Quod Seuerus cum audisset, lectica se in tribunal deferri, citatisque primis huius consilij auctoribus securi percuti iussit; qui omnes cum humi prostrati, & cum eis vna reliquus exercitus lacrymans miserabili voce excusabilis erroris veniam peterent, vix tandem adduci potuit, vt petentibus in hæc verba erumpens veniam daret: Nunc demum intelligatis, nõ pedes sed caput impe-

imperare. Per quæ verba affecti corporis impedimento animi magnitudinem atq; prudentiam contulit.

Præsentissima autem pestis, qua milites nefarie incenduntur, est otium. Otiosi enim colludunt, seditiones & turbas meditantur. Recte itaq; fecit Iulius Cæsar, qui militib. suis, ne otio diffluerent, aut otiosi aliquid mali machinarentur, nunquam prœlij aut expeditionis tempus prædicebat, vt omnibus horis præsto esse se deberé, atq; in medijs delitijs, si iuberentur, descendendum esse in prœlium scirent. Quæ norma multas ei peperit victorias atque hostes in magnas deduxit calamitates. Quod si nimia indulgentia milites ad contumaciam descendisse animaduertisset, aut seditionem in exercitu mouere, quæ militaris disciplinæ mortiferum est venenum, ceu bonus insessor moderate frena contrahendo, militare imperium sibi vendicabat. Vbi vero non mature seditiosis istiusmodi machinationib. obuiam itur, adeoque vires eundo acquirunt, sero tunc sapiunt Phryges, ac tum demum minime aut quam difficilime sopiuntur. Videre id licet in exercitu Scipionis. Finito enim bello Punico plerique otio diffluentes omnia suo arbitrio æstimare, socios expilare, duces contemnere cœperunt: donec tandem eo audaciæ ac proteruiæ proueherentur, vt & tribunos plebis abdicarent & nouos crearent præfectos. Sunt itaque frequentibus laboribus exercitandi, nunc huc, nunc illuc abducendi ad eruendam terram cõficiendis fossis, vallibus, ducendum aquas, aliosq; labores militares obeundos.

M. Æ-

M. Æmilius, ne otio miles diffluerer, viam Placentia Ariminum ducentem lapidibus sterni iussit. Idem Flaminius Bononia Arezzum vsque curauit. Marius in prouincia fossas confici curabat de suo nomine postea Marianas dictas: & in Belgio Drusus Drusianas. Imperator Augustus Ægyptum in prouinciam redegit: & vt solum feracius agriculturæque conuenientius esset, militum opera riuulos, quibus agri irrigarentur, tunc vero squalore sordium & arenæ oppleti erant, renouauit. Imperator Adrianus nunquam à laboribus vacationem militibus indulsit: ne vero assiduos labores grauius ferrẽt, inter primos admouebat manũ: neq; detrectabat armatus inter pedites & ipse pedes vno die viginti passuum millia conficere: exigua quiete: ciboq; tenui, quo & alij vescerentur, contentus. Consimili modo Imper. Probus ad labores militem adhibebat: siquidem eius opera pontes, fornices, templa aliaq; eximia ædificia extruxit. Imperator Seuerus Romanos à Britannis segregatos cupiens, ingentem murum inter duo maria militum labore interponebat eo loco, vbi hodie amnis Tuedus & mons Cheuiotta Angliam à Scotia segregat & distinguit.

Posteaquam vero natura ita affecti sumus oẽs, vt quisq; quavis etiam occasione delitias captet, omnemq; laborẽ, qui non cum iucunda mercede coniunctus sit, perhorrescat, fit vt pleriq; aleæ & lusibus sint intenti. Sunt itaq; nõ raro in ijs rebus exercitãdi, è quib. aliquid emolumẽti capi potest. Non ferebat Don Sfortia di Cotignola, vt milites tesseris, chartis, alijsq; luderẽt: ideo quo expediti auer-

auerterentur, ijs ludicris eos exercitabat, quæ nõ prorſus ab artibus militaribus eſſent aliena: ſaltãdo, decertando, decurſionibus, ſtadijs, palæſtris, &c. In quo imitatus videtur Valerium Coruinum & Papyrium Curſorem: qui eadem exercitia vſurparunt. Idem quoque ſecutus eſt imperator Aurelianus: qui nullum diem præterire paſſus eſt, quo non milites in aliquo laborum genere exerceret. Quæ ſane exercitatio non tam vires reficit, quam ad quævis ſuſtinenda tolerantiam parit.

Interim tamen luſus quidam ferendi, ij nempe qui ad peritiam belli aliquid conferre poſſunt. De quibus hæc ſequentia habe. Præ cæteris & hoc Romanis non erat infrequens, armabant iuuenes circiter quinquaginta, quandoque plures: qui omnibus rebus ita defuncti, ac ſi cum hoſte conflixiſſent, quadrato agmine facto clypeos in capita aut tergum reponebant: adeo autem complicatos tenebant, vt duobus qui ſe non immiſcuerant, tranſitum ab infimo ad ſummum vſque præberent: non ſecus ac ſi validum tectum conſcenderetur. Clypeorum enim ſeries catenatim quaſi ſtabat: vt primi ſtarent erecti, cæteri vero inclinatiores, vltimi vero genibus inniterentur. Qui conſcenderant palæſtricam exercebant, varie diſcurrebant, aliaque bellica exercitia periclitabantur. Simile hoc erat exercitium luſui, quem Pyrrhicham nominamus. Quis vero huius exercitationis fructus fuerit, diſcere licet ex ſecundo bello Macedonico. Romanis enim Heracleam obſidentibus milites ſuper eiusmodi ponte ad mœnia vſque prorumpentes, vbi cognouerunt ſe hoſti-

hostibus pares, muris hoste facilime depulso locum illum occupárunt.

Porro etiam fictis & imaginarijs pugnis committendi sunt, & explorandi oppugnatione & defensione vrbium, pontium, portuum, viarum, angustorum meatuum, fossarum, similiumque locorum. Iubeantur interdum vires & ingenium suum in velitationibus & conflictibus vnius aut pluriũ experiri (sic tamen ne in periculum vita adducatur) tranando aut transeundo, decurrendo, digladiando, collimando, peregrinãdo nunc huc nunc illuc: amouendis tormentis & reducẽdis, sursum, deorsum, in planitie alijsque locis.

Neque longius hic commemorabo, quam vtile sit quamque necessarium milites instrui, quales se gerere debeant prope à vexillo cõstituti: quod nunc ad dextram nunc ad læuam sit declinãdum pro ratione loci & circumstantiarum: quomodo incedere absque ordinis ruptione: quomodo adoriri hostem, quomodo sustinere, reprimere, atq; ad quævis se accommodare debeant. His exercitationibus, quamvis ludicris, ita informantur animi militum, vt omnia dexterius & promtius, vbi serio res agitur, expedire valeant. Neque tantum animi fortitudo augescit: verum etiam corpus, quoad agilitatem & agendi celeritatem fit exercitatius. Vegetius, *Sciendũ est*, inquit, *in pugna vsum amplius prodesse quam vires*. Tametsi vero prędictæ vtilitates nõ subsequerentur, vnũ tamẽ hoc sufficiet, quod tuetur militis valetudinẽ, erectioremq; & vegetiorẽ ad q̃vis reddit, vt cum opus sit, nõ ab epulis in antrum, sed ab arce in campũ, à muro in hostem ruant.

CAPVT XI.

De ſtipendijs & præmijs militum.

DVo omnino ſunt, quibus tanquam inconcuſſo fundamento militaris diſciplina perſtat: exſolutio ſtipendij ſiue præmiũ militare, & pœna. Præmia animos militum ad virtutes & ſtrenue agendum alliciunt: pœnæ vero omnis generis flagitia ac nefarias cupiditates coërcent atq; continẽt. Præmia ad præclaros & virtute præſtantes pertinent: pœnæ autem meticuloſos, futiles, & inobedientes manent. Præmium calcari, at pœna freno confertur.

Præmia verò ſunt aut honeſta aut vtilia: honeſta rurſus aut mortuis aut viuis dantur. In defunctorũ memoriã & honorem nonnunq; eriguntur ſtatuæ, egregia decantantur epicedia, ſumptuoſaq; mauſolea extruũtur. Alexander Magnus ſuis militibus, qui in pugna ad amnem Ganicum occubuerant, pulcerrimas ſtatuas de marmore artificioſe elaboratas erexit. Primus Romanorum, quem concio funebris debitis encomijs ornauit, Brutus fuit, quẽ Martis vis in bello contra Tarquinios perculerat. Idem mos poſtea Athenis invaluit: publice enim prò concione recitabantur laudes eorũ, qui in pugna Marathonia & poſtea Artemſij & Salamine fuſi fuerunt. Præ cæteris maximè comẽdatur oratio Periclis, qui ſummis laudibus cives in pugna Samia cæſos evexit.

Fuit tamen aliquid diſcriminis inter Romanos & Græcos. Athenis prò concione publice laudabantur, qui mortẽ pro patriæ ſalute oppetijſſent: Romæ vero tantũ qui magiſtratus gerebant, imò

tam mulieres q̃ viri. Lycurgus legislator ille celeberrimus censebat, civium eloquentiam adhibẽdam esse in laudem eorum, qui pro patria fortiter pugnando sanguinẽ effudissent: deniq; invituperium eorum, qui turpiter ex acie se subduxissent. Sed & hoc apud Romanos more receptũ erat: Funera illustriũ & fortium virorũ solenni pompa ad Rostra (sic locum illum appellabant) efferebant: ibi de suggestu, qui ex rostris naviũ (vnde locus denominatus est) erat constructus propinqui & familiares defuncti virtutes & vitã præclare gestam splendidissima oratione prosequebantur. Finitis exequijs, defuncti imago cerea in pulcerrimo domus conclavi reponebatur, quã quoties deinceps ex familia cognata quis è vita decederet, simul efferebant; prolixa nẽpe tunica ad talos vsq; demissa indutam, si vivus adhuc cõsulem egisset: at purpura, si cẽsorem: auro intertexta, si triumphatem. Invehebãtur curru admodũ pomposo, à quo pendebant secures, virgę, aliaq; honorum monumenta: pro ratione dignitatis & officiorum, quæ viui adhuc gesserant. Tandem imagines prædictæ Rostris illatę eburnea sella collocabantur. De his ita sentit Plinius, vt statuat, nihil fuisse pompis ac theatris, ad excitandos iuuenilis animos ad virtutis studia, potuisse excogitari accommodatius.

Honores etiã mortuis deferuntur: monumẽtis siue sepulturis de publico extructis. Primus fuit Val. Publicola, cui post obitũ eiusmodi honor obtigit. Spartani nõ permittebãt epitaphia poni, nisi ijs q̃ in prælio cecidissent. Post memorabilẽ illam victoriam ad Lepanthũ partam Don Io. de Austr.

Messihę exornatissimum statuit trophęum, armis eorum, qui fortiter pugnarant, encomijsque annexis. Iubebat etiam pro animabus eorum exequiarum iusta fieri, aliaq; huiusmodi peragi: quibus vna cum optimis quibusque frequens ipse intererat. Tametsi vero honores defunctis exhibiti maxime ad virtutem viuos extimulent: solet tamen fieri nonnunquam, vt & viui encomijs & statuarum erectione honorentur. Regibus Spartanis consuetum erat, vt antequam ingrederentur pugnam, Musis Poetarum præsidibus, sacrificarent: vbi etiam eos, qui bellis præclaram nauarant operam, siue essent adhuc viui siue mortui, insignibus encomijs extulerunt, vt ita res in prœlijs pręclare à suis gestę immortalibus monumentis ad posteros transirent.

Hoc ipsum sequuti Romani, siquidem quoties commissum prœlium victoriaq; parta fuit, consules cæterique belli duces, circumfuso exercitu, eos, quorum opera præ cæteris præclara fuerat, summis laudibus affecerũt. Sic Scipio expugnata & occupata Carthagine militum virtutem maxime commẽdauit, quod imperterriti perstitissent ad sæuissimam hostis irruptionem, neque altitudinem mœnium, nec profunditatem fossarum & aquarum, neque acciuem munitionis viam perhorruissent: sed animo magno omnes difficultates & impedimenta superassent. Idem hic Scipio in pugnis Africanis aliquoties magna laude euectos, omnibus tanquã virtutis exemplar proposuit Lælium & Masinissam: qui aduersus Carthaginenses & Syphacem fortissime aliquoties se gesse-

gesserant. Nonnunquam etiam viuis, quorum fortitudo in bellis ante alios maxime enituit, statuæ eriguntur: quas antiqui ex marmore aut ære fusili effinxerunt: repræsentantes equestrē aut pedestrē, armatam aut inermem, pro ratione illius, cui quælibet consecrata fuit. Sic Cleliæ virgini (vt è multis vnum adducam) Romani equestrem statuam statuerunt, quod regis Porsenæ custodes frustrata Tyberim tranarit, sospesque Romam redierit.

Præ cæteris etiam maximo in honore fuerunt coronæ, ijs dari solitæ, qui è vitæ discrimine ciuem liberarant: vnde *Ciuiles corona* dicebantur: sunt & aliæ ijs datæ, qui primi hostium muros conscenderunt, aut valla hostium superarunt, hinc *coronæ Murales & Vallares*. Tam vero fuit honorificum eiusmodi coronis insigniri, vt nullus honor in bello maior obtingere potuerit: quāvis alioquin vilissima materia, vt gramine, fronde quercina, alijsque similibus constarent, adeoque vix asse redimendæ. Hinc imperator Augustus salutis mentisque publicæ princeps peritissimus, ne in contemtum abirent, admodum rarenter militem illis coronis donabat: adeo, vt frequentius militis virtutem monilibus, catenis, annulis, alijsque monumentis aureis argenteisve honoraret.

Capta Carthagine cum Scipio murali corona eum, qui murum primus conscenderat, remuneraturus esset, maxima cōtentio inter milites suborta est, quibus nimirum deberetur, anne ijs, qui nauali an qui terrestri pugna vrbem adorti essent. Tandem cum honoris illa æmulatio ad tumultū

& factiones ſpectare videretur, Scipio opportune malo occurrendum ratus, duas donabat coronas: Vnam Q. Trebellio, qui terra; alteram Digitio, qui mari, fortitudinis ſuæ ſpetimina præ cæteris ediderant. Non abſimilis cõtentio occupata Dura eſt exorta inter Hiſpanos & Italos, vbi duo milites, alter Italus, alter Hiſpanus, quisque de fortitudinis brabeio ſibi debito acriter contendebant.

Et ſane eiusmodi præmia, quæ in ſolo honore poſita ſunt, nullo cum alio emolumento coniuncta, redintegrare, maxime operæ precium eſſet, in laudem & honorem eorum, qui rem bello præclare geſſerunt. Etſi enim poſt inſignes quandoq; victorias, equites aurati quidam creantur, (qui quidem titulus absque vllo alio emolumẽto mere eſt honorarius) cũ tamen haud raro pacis tempore in eos etiam conferatur, qui nũquam bello interfuerunt, quibus vix gladius vnquam vagina vacuus viſus; quin etiam honore hoc ſoli nobiles donentur: inde fit, vt milites, qui non quidem genere nobiles, ad virtutem tamẽ quaſi nati res maximas aggreſſuri forent, dum ab honorificis illis brabeis, quæ maiores ad virtutem ſtimulos adderent, indigne admodum excluduntur, ad res magnas ineundas & ſuſcipiẽdas animum ſponte abiiciunt.

Honorificentiſſimum præterea & illud fuit, in Iouis Feretrij æde *Opima Spolia* (à Romulo ſic primum & vocata & inſtituta) ſuſpendere; id quod tribus tantum, quamdiu Reſpublica Romana

mana floruit, contigit, Romulo nimirum, Cornelio Cosso, & Marco Marcello. Cæterum opima spolia dicebantur exuuiæ, quibus dux Romanus hostium ducem exuerat.

Inprimis autem imperator Augustus in remunerandis militum virtutibus sedulus fuit, vsque adeo, vt etiam nouos modos ipse excogitauerit, quibus fortitudinem militum honoraret: quin etiam licentiam dedit, vt vel triginta ducibus, immo pluribus triumpho ingredi Romam liceret. Intellexit nimirum sapientissimus imperator, hisce honorum coaceruationibus coaceruari etiam animorum magnitudinem ad res maximas ineundum. Nulla enim, vt Valerius Maximus ait, humilitas tanta est, quæ gloriæ dulcedine non tangatur. Atque, vt Cicero in Officiis, vix inuenitur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Sæpeque multi, vt idem ait 1. Tuscul. quæst. qui aut propter victoriæ cupiditatem, aut propter gloriæ amorem, aut etiam vt ius suum & libertatem tenerent, vulnera exceperunt fortiter & tulerunt. Gloria enim (vt inquit Beroaldus in libello de felicitate) est fax mentis, quæ sola animos mortalium perurit, inflammatque ad magna capessenda, ad pericula quævis fortiter & intrepide subeunda, in tantum, vt viri magni, excellentia animi præstantes, summum bonorum in gloria collocauerint: ad gloriam perinde atque ad metam actiones suas omnes direxerint: denique pro gloria ipsa mori non recusauerint. Sic namque,

vt inquit Boetus lib. 2. de consol. rerum versa est conditio, vt diuinum merito rationis animal non aliter sibi splendere nisi inanimatæ supellectilis possessione videatur.

Atq; hinc illæ equestres apud Romanos, quas diximus, imagines, coronæ murales, castrenses, ciuicæ ac triumphales. Et quis tam multa virtutis insignia atq; laudis ornamenta poterit explicare, quam multa Romanorum legibus fuerunt olim virtuti militari proposita? Minime ergo mirum est, si ciuitas illa ad tantam imperij magnitudinẽ peruenerit, in qua virtus tam multis honoribus & præmijs afficiebatur; ad quorum cupiditatem nõ modo nobiles, verumetiam multi è plebe ita vehementer exarserunt, vt nullum pro Republica vitæ periculum recusarent. Atque, vt ex innumeris paucos admodum recenseam, duo Decij plebeij quidem fuerunt: propter tamen singularem animi virtutem, amplissimum honoris gradum in Republica consecuti sunt: qui tandem pro patriæ salute, victoriæ sese libentissime deuouerunt. L. Marius, ille qui Rempublicam Romanam in Hispania collapsam restituit, humili genere susceptus erat: virtute tamen est assecutus, vt ad summos honores atq; gloriam peruenire. Quid hic referam M. Portium Catonem, virum insigni virtute atque singulari sapientia clarum? Quid M. illum Marcellum, qui primus Hannibalis impetum repressit, omniaq; tandem virtute vinci docuit? Quid fortissimum illum Marium & sexcentos alios humili loco natos, qui tamẽ propter virtutem militarem & imperatoriam, ascenderunt ad ho-

ad honores ampliſſimos, poſterisque ſuis nobilitatis gloriam pepererunt. Hinc etiam hæc nobilitatis inſignia, quæ noſtris etiam temporibus circumferri videmus, ortum habuere.. Nam cum aliquis operam egregiam in bello præſtitiſſet, erat illi ab imperatore conceſſum, vt nobilis haberetur: & inſigne virtutis geſtaret aliquod, per quod nobilitaret genus, & poſteritatem ad ſimilis facti memoriam excitaret. Alij igitur tot caſtella depicta geſtant, quot illi generis principes pugnando ceperunt: alij circulos, aut quidvis aliud pro numero hoſtium, quos in prælio aliquo duriſſimo interfecerunt; alij vt fortaſſe oſtenderent, ſe lucem rebus patriæ afflictis attuliſſe, ſtellis ſcuta diſtinxerunt: alij deniq; alia aſſumſerunt, quibus virtutis ſuæ memoriam proderent.

Porro id quod apud Romanos, idem etiã apud omnes bene conſtitutas nationes priſcis temporibus fuit conſtitutum, plurimumq; honoris virtuti bellicæ ſemper fuit attributum: vt ſcilicet ea gloriæ cupiditate omnes alacrius arma caperent, atque ad rei bellicæ ſtudium præcipue incumberent. Contra vero ignauiæ atque formidini permulta probra fuerunt legibus prudentiſſime conſtituta. Apud Macedonas erat olim lege ſancitum, vt qui nullum hoſtem in acie cęcidiſſet, capiſtro publice cingeretur. Apud Scythas nemini licebat in ſacris epulis circumlatum poculum accipere, qui nullum in re militari virtutis ſignum dediſſet. Amazonibus non erat conceſſum vlla conditione nubere, niſi prius hoſtem pugnando interemiſſent. Solon autem ſtatuit vt eorũ liberi,

qui pro patria dimicando mortem oppetiissent, de publico alerentur. Quod etiam fuit in multis aliis ciuitatibus valde prudenter vsurpatum. Magna Syracusanorum erga Timoleontem Corinthium gratitudo fuit, cuius opera Dionysij secundi tyrannide liberati fuerunt. Nam cum postea Syracusis, quod supererat ætatis peregisset, (etenim vsque ad vltimam decrepitam viuere ei contigit,) nihil, quod publicam rem attingeret, per id tempus Syracusani decreuerunt, nisi prius in consilium perlato Timoleonte, eius sententiam perquisiuissent, à qua discedere nefas erat. Cum autem Timoleon decessit, candidatus populus Syracusanus coronatus eum extulit, laudes eius magna lacrymarum vi decantans: publico edicto declarata funeris impensa, vt, quanti ea constitisset, omnes intelligerent, in medio foro sepultus est, sepulcri area magna porticu circumsepta: quæ à Timoleontis nomine vocata est, in quo loco quotannis ludi in Timoleontis memoriam edebantur. Athenarum etiam ciuitas erga Aristidis liberos grate se admodum egit: eorum enim memor, quæ Aristides pro Athenienſium salute Persarum bello egerat, honeste dotatas è publico Aristidis filias, ex publico palatio ad maritorum ædes deduxit, Lysimachoque filio centum argenti minas, & totidem agri iugera, quadragintaque drachmas in singulos dies, vnde viueret, contulit. Diuinitus igitur à priscis legislatoribus institutum est, vt in quocunque hominum genere ista virtus eluxisset, multis insignibus atque titu-

Digitized by Google

titulis, quinetiam præmijs, ornaretur. Quis enim, vt Iuuenalis ait, virtutem amplectitur ipſam, Præmia ſi tollas? Contra verò turpitudo & ignauia, omni dedecore & publica contumelia afficeretur.

Proinde faceſſant ij, qui nobilitatem habent in aſtragalis, vt eſt in proverbio, nec animum generis ſplendore dignum gerunt; qui dignitatem maiorum virtute comparatam fœdis factis amiſerunt, qui timiditate, flagitijs atque ſordibus & omnium rerum inſcitia ſe in infimam turbam coniiciunt, neque tamen deſinunt ad nauſeam vſque de familia ſua perilluſtri emugire. Quæſo enim, quem tandem fructum feret iſtud nudum familiæ nomen, cum Respublica in vltimum diſcrimen venerit armorum: aut domeſticis ſeditionibus agitata fuerit? In tanta re ignari omnium (vt in Iugurtha Saluſtij prolixe habetur) trepidant, feſtinant, ſumunt aliquem monitorem ex populo officij ſui: ita plerumque euenit, vt qui imperare debebat, is ſibi alium imperatorem quærat. Inuident honori alieno, nec tamen inuident alienis laboribus & periculis. Maiorum ſuorum fortia facta memorando clariores ſe putant. Verum errant. Sane maiores eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere, diuitias, imagines, memoriam ſui præclaram, virtutem autem non reliquere, neq; poterant, ea ſola neq; datur dono, neq; accipitur. Maiorũq; gloria poſteris quaſi lumen eſt, neq; bona eorũ neq; mala in occulto patitur. Ac quemadmodũ, vt inquit Socrates, frumentũ optimũ non iudicam⁹, quod

in pul-

in pulcerrimo agro natum est, sed quod commode nutrit: sic neque virum bonum & studiosum, qui genere clarus, sed qui moribus egregijs fuerit. Neque sunt vera atque omni exceptione maiora insignia illa, quæ in imaginibus, triumphis aut consulatibus maiorum ostentantur: sed hastę, vexilla, phaleræ & alia militaria dona, præterea cicatrices aduerso corpore. Germanæ tamen nobilitati, quæ & ex ipsius virtutis stirpe generata est, & eadem virtute nititur, summum honorem haberi par esse puto. Istos autem, qui nobilitatis fabulam frigide nimis & insulse peragunt, (in quos admodum quadrat illud à Dionysiodoro Trœzenio frequēter vsurpatum: Quis patrem laudabit, nisi filij infelices?) vellem omnium sibilis excipi, & theatro, perinde ac dignissimi sunt, explodi. Virtute enim & consilio res geruntur, nō fumosis imaginibus.

Cęterum, vt ad institutum nostrum redeamus, maximopere curabit princeps, vt bella ac præclara suorum facinora exacte in annales referantur. His enim monumentis non tam imperatorum virtus ad posteros magna cum ipsorū laude transit; quam etiam immortales posteritati reddūtur ipsi bellorum duces, imo etiam milites, qui magno animo periculis obiecti facinora præclara ediderunt. Hoc ipsum alios ad similem virtutem allicit & instigat. Si enim sepulcrum in æde aliqua vix duo triave verba inscripta habens tantopere colitur, ac nemo non huiusmodi monumētis quantumvis minus durabilibus inclarescere gaudet, quidni eum, qui laudem suam historiarū monu-

monumentis non tantum passim dispersam ab omnibus legi videt, sed etiam nulla posteritatis memoria obliterandam certo cognoscit, rebus præclaris inhiaturum putemus?

Multis nominibus hic reprehendendi sunt Castiliani. Quot enim quæso eorum facinora? quot nauigationes? quot insularum & regionum inuentiones? quot gentium & populorum subactiones? quorsum demum Noui Mundi imperium? Magna profecto eorum incuria, q nullis scriptis, nullis annalibus sua bella, ac res gestas, quarū magnitudine Græcos & Alexandrum Magnum longe vincunt, ad posteros transmitti curarunt. Hic vt & alibi fere, laudabilior est Portugalensium prudentia. Summæ enim ipsis curæ fuit, quo res suas Portugalesi & Romana lingua eleganter descriptas in publicum ederent: id quod non ita pridem fecit Petrus Maffæus societatis Iesu, tam artificioso, tam venusto, tam exculto sermonis genere, vt nisi à pariter doctis satis celebrari non possit.

Porro memoriæ mandare res suas suorumque, ad alliciendum alios, potissimum decet summos equestris ordinis magistros, S. Lazari, S. Ioannis, S. Stephani. Cum enim numero pauci in his ordinibus inueniantur, quivis illorum bona spe animo concepta certo secū constituere potest, posse se ad huiusmodi virtutis præmia peruenire: cum etiam omnes sint nobiles, non puto commissuros, ne satis videant, quanti ille honor sit æstimandus.

Integram vero historiam conscribere principis est:

est: aut alterius, qui iussu & auxilio principis, arduarum & abstrusarum rerum detectione, promotionibus, pecunia aliisq; rebus huc necessariis adiutus id præstare potest. Certa enim & exacta cognitio causarum, initii, medii, & finis bellorum aliarumq; circumstantiarum in solum principem, cuius ductu & nutu omnia geruntur, cadit: & demum in illum, cui princeps aperuit. Secus si fit, parum laudis historiographus meretur. Vidit hoc atq; etiam vidit Carolus Magnus, quapropter multiiuga eruditione præstantissimis viris data materia conscribendi historias, omnia scitu digna aperuit, mandauitq; vt singula memoratu digna, præclara facinora nationum, quas subegerat, debito ordine cõsignata in lucem ederent. Sed ad propositum. Fuerunt & alia veterum præmia, quibus benemeritos afficiebant, adiicere enim honori vtilitatem solebant. Talia fuerũt: coronæ siue serta aurea, monilia, armillæ, phaleræ, prædia, tauri, mancipia, stipendiorũ adauctiones, ad officia sublimiora euectiones, &c. quibus sane nihil est ad excitandum animos efficacius. Non ignotum hoc erat Romanis, qui præfecturas militares non tantum honestas sed etiam vtiles optime quibusq; meritis adeoq; dignioribus tantum dabant. Hinc Vegetius ait, multum à pristino vigore legiones ideo degenerasse, quod ambitio præmia soli virtuti debita, fauores vero dignitates, quibus fortes digni essent, præriperent. Atq; vt veteranus quidam militũ dux, Tria, inquit, militem absterrent à militia: Vastatio & depopulatio hominum innocentissimorum, à quibus nunquam

quam aliquis fuit læsus: deinde vita dissoluta & impia militum: postremo ingratitudo, quod benemeriti plerumq; negligantur. Verum hæc sigillatim pertexere, non est nostri instituti. Illud saltem dixisse sufficiat, ex dissoluta illa & belluina militum viuendi ratione illud consequi, vt & ipsi quandoque ab ipsorum ducibus pro belluis habeantur, ac instar belluarum tractentur, dum haud raro inter pocula atque ludos, vbi nihil minus quam res bellicas tractant, vrbem aut munitionem, quam obsident, admotis machinis sternere iubent, quantumuis omnino nulla, pro tempore, potiundæ spe proposita, hoc ferè fine, vt ipsi stipendijs eorum, qui tunc occumbunt, potiantur. Quæ sane ratio etiam Ethnico, ne dicam Christiano militum duce est indignissima. Verùntamen de hoc infra vberius aliquanto tractabimus.

Porro non desunt Christianis principibus alij modi, quibus benemeritos remunerantur, ac distinguunt, immensæ nimirum facultates, prædia sacrorum ordinum, ac dignitates, vt sunt Commendaturæ omnigenæque superioritates, quæ certis gradibus in tactis ejusmodi ordinibus, qui perpetuis aduersus infideles bellis vota sua consecrarunt, distinguuntur. Multum vero hic pollet rex Hispaniæ, quippe qui ex ordinibus Sanct. Iohannis, Sanct. Iacobi, ex Alcanthara, Calatraua & Montera, quibus omnibus papali indulgentia præest, amplissimos capit reditus. Ac sane hujusmodi officioi ũ recompensationes & remunerationes Hispanis maximopere profuerũt: hæc enim

enim ratione ita ſe firmarunt, vt contra ingruentem Maurorum vim inuictos ſe vbique præbuerint. Quinetiam, quibus rationibus Hiſpania eos eiecerũt, ijſdem etiam in Africa aut plane eos delere, aut finibus ſaltem propellere poſſent, modo negocium ſtrenue ageretur.

Certe, vt in diſcurſu obiter id dicam, equites ordinis S. Ioannis, omni honore laudeque ſunt digniſſimi. Sunt enim infidelium hoſtes capitales: nec patiuntur eos viribus collectis reſpirare, ſed continuis terra marique incurſionibus impetũt, idque ſummo orbis Chriſtiani bono. Horum veſtigijs proxime inſiſtunt equites ordinis D. Stephani, qui tantum negotij Turcis faceſſunt, vt vel eorum nomen longe maiorem terrorem, quam integer alioquin exercitus incutiat. Non abit dies, quin ijs bene precentur plurimi Chriſtiani, eorum beneficio grauiſſimæ tyrãnidis iugo liberati, potiſſimum vero illi, quorum pedes in vrbe Alcairo & Tripoli duriſſimis compedibus adſtricti adhuc, bona tamen ſpe futuræ liberationis, quam indies ſperant, fulciuntur. Eſtne vero opus aliquod, quod propius ad pietatem accedat? eſtne, ex quo dilectio Chriſtiana clarius eluceat, quam captiuorum redemtio? Eſtne carcer vllus captiuitate hac durior? triſtior? Vix ſane: maximis enim tormentis corpus diſtenditur: anima vero maximo periculo tentatur.

Ad finem vero vt tandem deuoluamur, ſciendum: impendio vtile & neceſſarium eſſe, vt militi certo conſtet, ſi forte contingat membri luxatio aut amputatio, quæ pani lucrando ineptum reddere et,

deret, se non derelictum iri à principe, sed suppeditatis necessarijs nihilominus honestè viuere posse. Magnus enim numerus eorum est, qui vel maximo discrimine subduxerunt se: nō quidem metu mortis, quę in bellis inopinatos & exiguo cum dolore obruit: sed tormentorū aliusq; infortunij metu: verentur enim ne fiant claudi, curui, & ad perferendos labores inepti. Lenitas itaq; & beneficentia principis officio humanitatis declarata timorem militis animo eximit. Sic enim certo statuit, sibi satis bene consultum, seque in euentum principis beneficentia subleuatum iri nullus dubitat. Atque hinc tam ij, qui iamdum militant, in bonam spem erecti audaciores euadunt: quam etiā ij, qui domi adhuc desident, à bellicis laboribus & periculis minus abhorrent. Ecquis autem tam desesa omnium rerum immemor erit, qui ciuem aut familiarem inter Martia tela vulneratum aut affectum domum redeuntem, atque à principe humaniter exceptum videns, non feratur magno desiderio eandem aleam subire? Reuertatur autem miles vulneratus & affecti corporis, & male desertus à principe & auxlio & solatio destitutus misere oberret & ostiatim victum quęrat: quem tunc tam affectæ mentis, quem tam inconsiderato animo credas, q̃ inhumanitatē principis ante oculos cernens animum non abijciat? Notum hoc erat Romanis: Prętерquā enim quod militibus de Republ. bene meritis stipendia numetabant, agros quoque, quibus sustentarentur, dederunt. Vnicum inter multa exemplum adduco. Scipio maior publico statuto constituit, vt singulis

gulis militibus, qui bello amplius minus essent idonei, pro militari officio annuatim tantum agri, quantum quisq; biduo araret, donaretur.

Neq; vero hoc silentio prætereundum, quod ad erigendos militum animos, adeo vt per saxa per ignes spiculis imo ipsi morti sine metu corpus opponant, maximas habeat vires liberalitas & clementia principis, non tam in ipsosmet milites, quos forte casus aliquis effecit miseros, quam in viduas eorum, senio confectos & afflictos parentes aut cognatos, quos ope sua subleuare alioquin potuissent.

CAPVT XII.

De pœna & correctione.

MERCEDIS persolutio cuiuis quidem ordini perutilis est: sed pœna etiam, vt ex seqq. patebit, non minus est necessaria. Veræ enim virtutis natura est, vt suo motu, non extrinsecus petito, bene agat: vitij vero, vt sola pœnæ formidine ad virtutem se aliquomodo componat. Hinc legislatores & Reip. administratores plus desudarunt in tollendis vitiis, quam rependendis benè factis. Parum profecto gratiæ inibis apud eum, qui strenuam in bellis nauauit operam, nisi insigni afficias munere; Æquum ergo est, vt & in delinquentes grauius animaduertas. Nullum est enim tam mortiferum in bellis venenum quam inobedientia?

Hac de causa factum, vt quouis tempore celebriores duces seueritate iusta vsi inobedientium contumaciam puniendo disciplinas bellicas partim retinerent, partim correctas instaurarent. Imperator

perator Augustus (omitto iam Manilios, Cursores, aliosq;) humanus, lenis pacisq; amantissimus princeps, tam diligens disciplinæ militaris obseruator fuit, vt etiam integrarũ copiarum, quæ aut terga hosti verterant, aut vrbẽ amiserant decimũ quemq; capite plecteret, hordeo cæteros, frumẽto ademto, cibaret. Imperator Tiberius disciplinas bellicas iam dudum collapsas restauraturus omnia supplicia priscis Romanis vsitata reduxit.

Duplex autem pœna bellica fuit: quædã enim infamiam, ignominiã & dedecus adferebat: quædam præter illa, dolores quoq; & damnũ. Turpis & infamis habebatur publica reprehensio siue castigatio, quam merebatur pusillanimitas aut leuitas: id quod nonnunquam priuatis, nonnunquam integris copiis obuenit.

In eũdem modum Liuius tradidit, M. Marcellum in suos milites, qui terga verterãt, tam acerbe tam aspere inuectũ: vt vehementia orationis grauius exercitum, ad quẽ faciebat verba, percelleret, quam hostiũ ictus & vulnera. Atq; vt maior esset infamia, publico edicto, iussit omnes, qui in pugna vexilla amiserant, hordeo cibari. Quin & cingula ademit, eo, vt districtos gladios in manib. gestare cogerentur. Sempronius Gracchus hac pœna afficiebat milites, qui timidius rem gesserant, vt stando cibũ sumere oporteret. Spartani nemini, quicunq; etiam foret, qui fuga sibi consuluisset, vxorem ducere permittebant; imo cogebant dissecta variique coloris pallia gestare, semiraso vertice: permissum insuper cuiuis eos percutere & molestare.

Admodum dura fuit Romanorum ſeueritas, in eos adhibita, qui ex acie fugerant, aut animo fracti hoſtibus ſe dediderant. Qui apud Cannas Remp. deſeruerant, à ſenatu condemnati ſunt, ne intra Italiam, vſq; dum finiretur bellum illud Punicum, militarent: ſtipendiis quoq; mulctati, quantumlibet etiã nominis ſplendorem ex rebus poſtea præclare geſtis contraherent. Sumõ etiam dedecori vertitur militi, cum caſtris exterminatur. Contigit hoc ducibus nonnullis ſub imperatore Iulio Cæſare, qui in bello Africano contumaces ſeſe exhibuerant. His adiungi debet abdicatio ducum ab officio, ſigniferorumq; honorum & dignitatum ademptio.

Noxium juxta ac ignominioſum erat ſtatutum illud, quo milites, quos mens inconſtans & pauida in hoſtis poteſtatem redegerat, redimi vetabantur. Sic Romani nequaquam in redimendos captiuos, qui in Carthaginenſium poteſtatem ſua culpa deuenerant, conſentire volebant. Nulli vnquam genti minus curæ fuit de captiuis redimendis atq; Romanæ. Hinc qui ſe Carthaginenſibus vltro dediderant, adeo nihili æſtimati, vt ne quidem permutari eos voluerunt. Inhumanum vero & crudele facinus illud fuit, cum decimum quemq; eorum, qui male rem geſſerant, ſupplicio affecerunt. Non quidem multi ſic trucidati, horror tamen & timor oſſa ac medullas eorum penitus peruaſit. Sic ſummus Hiſpanorum militum Capitaneus Hiſpanos eos, qui temere in Gallorũ poteſtatem tranſierant, fruſtulatim diſſecari iuſſit, magno cum terrore omnium, atq; vt conſta-

ret po-

Digitized by Google

ret poſtea, non fuga ſed ferro decernendum & perinde eſſe ad amicos confugere atq; ad hoſtes. Conſul Romanus in agrum Gallicum cum traiecisſet exercitum, pontem reſcindi iuſſit, vt ſublata fugæ ſpe milites ſcirent, omnem in gladio ſpem poſitam eſſe. Annibal cum duce Romano in Africa cõflicturus, ſuis edixit, vt quem ex acie fugientem cernerent, habitum pro hoſte cæderent. Appius Claudius re cum Volſcis male geſta, ob militum contumaciam in deſertorem ſignorum exercitum acriter pro concione inuectus, centuriones virgis cæcidit ac ſecuri percuſſit. Reliqui ſorte decimus quisque ad ſupplicia lecti. Q. Fabius Maximus omnium, qui ex præſidijs Rom. ad hoſtes transfugerant captiq; erant, manus abscidit, vt trunca præ ſe brachia geſtantes, metum defectionis reliquis inijcerent. Africanus maior deuicta Carthagine, cũ omnes, qui ex Romano exercitu ad Pœnos transierant, in ſuam poteſtatem redegiſſet grauius in Romanos quam in Latinos transfugas animaduertit. Hos enim tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit: illos autẽ tanquam perfidos ſocios ſecuri percuſſit. Africanus minor, euerſo Punico imperio, exteratũ gentium transfugas in ædendis populo ſpectaculis feris beſtijs obiecit. Et L. Paulus, Perſe rege ſuperato, eiusdem generis & culpæ homines elephantis proterendos ſubſtrauit. Epaminundas, cum Thebani exercitus aduerſus Lacedæmonios dux eſſet, & tempus eligendorum magiſtratuum appeteret, id quod niſi preſente ipſo (nam prætor erat) fieri non poterat, Thebas profectus eſt, Stheſimbroto

filio relicta exercitus cura, sub ea lege, ne cum hoste manum consereret, filius autem plus hostium contumeliis motus (nam præ ignauia eum detrectare certamen increpabant) quam paterni imperij memor in aciem progressus, hostes penitus fudit. Itaque reuerso patri cum se tanta victoria lætum obtulisset, ab eo primum vt victor coronatus est: deinde statim, quia imperium neglexerat, morte mulctatus est. Pisistratus Athenienſium tyrannus, cum militem nocturnæ vigiliæ munus obeuntem dormire offendisset, occidit, dicens, se eum, vt inuenerat, reliquisse. Pari seueritate vsus est P. Sulpitius equitum tribunus, dum Galli Capitolium obsiderent, cum somno captum vigilem ab eo loco præcipitauit, per quem Galli (eos enim non sentiebat) ad arcem conscendebant; quos inde M. Manlius postea reiecit. Non minus seuere Macrinus imperator in militari disciplina parendi studium exegit. Is tribunum, quod eo modo, quo mandarat, exploratores non misisset, morte crudelem in modum affecit. Currui enim pedibus alligauit, ac per tota castra trahi iussit, donec in frusta lacerum corpus prorsus discerperetur. Recte itaque Clearchus Lacedæmoniorum dux statuit, à militibus imperatorem potius quam hostem metui debere.

CAPVT XIII.

De æmulatione.

Digitized by Google

ACer & fortis animus mirũ in modum confortatur æmulatione. Lycurgus legislator æmulationem induxit, tãquam singularem ad virtutem inflammationem. Cum enim homo natura imitationis studio, adeoque gloriæ ducatur, difficulter fert superiores & laudatiores: potissimum in rebus honestis. Nusquam autem hic affectus fortior & euidentior apparet atque in militibus: quorum quasi peculiare est, affectibus plus quam ratione duci.

Quod cum Romanos non fugeret, æmulationis excitandæ studio certas adhibuerunt rationes. Primum enim bellis adhibebant non modo ciues suos, sed etiam Latinos, aliosque, qui socij erant. Hi omnes æmulandi studio adducti, certatim de gloria, dum quilibet eorum eminere studebat, contenderunt. Ad hoc autem vsurparunt distinctos legionum suarum ordines. Vocabantur ibi quidam principes, quidam hastati, quidam triarij: cedentibusque primis ex acie, succedebant cæteri: at pulso & [illegible] hoc ordine, ad triarios, extremo periculo reseruatos, deuentum est, qui laude & gloria victoriæ obtinendæ rem iam forte amissam restauraturi, fortissime repugnando, fere incredibiles labores sæpenumero sustinuerunt.

Non infrequens est ducibus, æmulationis aculeos, diuersarum nationum militibus infigere, equitibus, peditibus, diuersisq; militum turmis. Iulius Cæsar exercitui suo ad nomen fortitudinis & roboris, quo pollerent Germani, perterrefacto, metum & pauorem exemturus, Nisi

inquit, ſequemini, decima tantum legione mecum abducta honeſte bellum conficiam. Hinc indignatæ reliquæ legiones, gloriæque futuræ inuidentes vltro oblata opera communi ſorte Martem experiri cupierunt, ne partæ victoriæ gloriam pauci ſibi vendicarent.

Noſtro ſeculo experientia comprobatum habemus, minus bene inſtructum exercitum exiſtimari, qui non conſtet diuerſis populis. Æmulatio enim laudis, quam quisque auide ſectatur, omnium animos ita concitat, vt aduerſus pericula omnes velint eſſe fortiores: eo potiſſimum, vt fama decusque partæ victoriæ penes ſe eſſet. Hæc honoris contẽtio non cadit in exercitum vno populo conſtantem: citius enim, malo belli fatigati, ſuccumbunt.

CAPVT XIV.

De priuilegijs Genizarorum.

GENIZARI Turcarum efferaſcunt ni- [illegible] ia ſua licentia ſeu potius proteruia (ſic priuilegia ipſorum nominare licet.) Permiſſum ijs, quosuis pro lubitu iniuriari, adoriri, & quoduis negocium faceſſere: idq; nemine reclamante, & impune. Hoc modo ipſorum opinione reddũtur feroces, alacres, fortesque: at fallunt & falluntur. Vera enim fortitudo ex cognitione virium proficiſcitur. Quomodo vero pericliteris vires, vbi deſit, qui referiat? Victoria ſane in imbellem minimeq; reſiſtentem, parum decora eſt. Eſto vero: affligant nunc hunc, nunc illum impune,

ne, ſiquidem nemo contra venire audet, mea tamen eſt ſententia, eos in re ſeria abiecturos animum, niſi præter illam licentiam alia quoq; accederent. Nam ſi inde licentiam pro lubitu calumniandi & iniuriandi aſſequuntur, quod nemo contra mutire, nedum repugnare auſit: profecto criſtas cito demittent, vbi in fortes & bellicoſos incident. Priuilegia itaq; illa (modo petulantię licentiã ita liceat vocare) potius temerarios atq; arrogantes quam fortes reddunt.

Cæterum vt obiter conſtet, quinam apud Turcos Genizari dicantur, ex hiſtorijs id repetemus. Sabellius lib. 9. dec. 3. de Genizaris ita ſcribit: Turcarum principũ mos eſt, ex omni captiuorum numero quintam ſibi partem vendicare: pueros fere à 10. anno ad 16. legũt: ſi captiui deſunt, è prouincijs Chriſtiano nomini ademtis, vel parentib. inuitis per inquiſitores capiuntur. Eos à pio cultu auerſos, Mahometana ſuperſtitione imbuunt: imbutos præceptoribus militari diſciplina inſtruendos tradunt: vbi vero adulti ſunt, cum principe militant, eosq; Genizaros vocant. Qui ingenio & indole præſtant, ad dignitatem promouentur. Ex his Subaſſas, Flambulatios, prouinciarũ, vrbium, & arcium præfectos legunt: cætera turba partim ad oppidorũ præſidia, partim ante ianuam principis excubant: illius latus, ſi quando domo egreditur, ferro ſtipant. Ex his lectiſſima illa & quaſi prætoriana cohorte in bello vtuntur Reges, &c. Eorum (vt inquit Buſbequius in Itin. Conſtant.) cum pleniſſimus ſit numerus; rex Turcarum habet XII. millia: per omnes fere eius imperij fines,

vel præſidio, munitionibus aduerſus hoſtem, vel tutelæ Chriſtianis Iudęisq; aduerſus iniurias multitudinis futuri ſparguntur. Neq; vllus eſt paulo frequentior pagus, municipium, oppidumve, in quo non ſunt aliquot Genizari, qui Chriſtianos & Iudæos, reliquosq; opis indigos ab improborũ petulantia defendant. Budæ in arce perpetuum Genizarorũ prędidium eſt. Veſtitu vtũtur ad talos demiſſo, capitis tegumen habent ex penulæ manica (nam inde, vt ipſi memorãt, duxit originem) cuius parti caput inſertum ſit, pars retro propendens ceruicem verberet: à fronte ſurgit oblongus argenteus conus deauratus, gemmisq; elaboratus ſed vulgarib. &c. Seminaria autem Genizarorum idem Busbequius in lib. de re milit. cõtra Turc. inſtit. ita, eleganter & exactius quam alij, deſcribit: Mittit quotannis Turcarum princeps certos hominẽs in diuerſas prouincias, qui de pueris è Chriſtianis hominib. natis tertium aut quartum quẽq; poſcant. Horum gregibus Conſtantinopolim perductis, qui liberaliore ſunt aſpectu aut ingenij maiorem indolem præ ſe ferunt, ipſius principis, aut Baſſarum, aut aliorum ſatraparum domeſticis vſibus applicantur. Reliqui perducuntur in locũ, in quem magna omnis generis hominum multitudo, præſertim ruſticanorum, confluxit. Hi de iſtis pueris, ab eo, qui ei negotio præeſt, quos viſum eſt depoſcũt. Ille accepto nummo aureo, puerum petenti tradit, item annis ſignisque, quibus per omnem ætatem dignoſci poſſit, in publicas tabulas relatis. Sic illi liberum eſt, ſeu ruſticus ſit ſiue vrbanus, puerum trans mare in Aſiam, ſeu quocunque terra-

terrarum velit, vbi domicilium habeat, abducere: vbi assidue, labore atque opere eum vt mancipium exerceat. Puero cibaria præbentur panis & aqua, & interdum loco obsonij, pultis aliquid, aut fructuum aut herbarum. Vestitus suppeditatur, quo se aduersus cœli iniuriam tueri vtcunque possit. Adhæc disciplina & religione Mahumetana instituitur. Ita deliciarum nescius, procul à propinquorum blanditiis, in virum robustum & cuiuis labori ferendo parē, adolescit. Hic, cum est opus, ab illo fiduciario hero reposcitur, & ad rem militarem deducitur: atq; ex eo veluti seminario, diminutis Genizarorum legionibus, supplementum subrogatur. Ad Genizaros rescriptus, primo meret menstruo stipendio, plus minus, vnius ducati cum dimidio. Id enim militi nouitio & rudi satis esse censent. Sed tamen ne quid victus necessitati desit, cum ea decuria, in cuius cōtubernium assumptus est, gratis cibum capit ea conditione, vt in culina, reliquoque ministerio toti ei decuriæ seruiat. Sed cum rursus, qui est eius decuriæ armorum peritissimus, præceptis militaribus erudit, quotidianaque exercitatione arma scienter tractare docet, &c. Reliqua, quæ ibi sequūtur de Genizaris, videantur apud ipsum auctorem, ne in describendis rebus ex aliis, præter decorum, videar fuisse prolixior.

CAP.

CAP. XV.

De laboribus bellicis.

MILITES in laboribus exercere duobus modis prodeſt: obdurantur enim & obcaleſcunt contra labores, & aſſuefiunt calamitati bellicæ, ſi quæ aliquando ingruat. Hinc factum eſt, vt nonnulli imperatorum in milites iuſto ſeueriores extiterint. Papyrius Curſor tam equites quam pedites innumeris laboribus aggrauauit. Equitibusq; aliquando pro immenſis laboribus ob bene merita deprecantibus, reſpondit, Equidem, inquit, contentus ſum, ſi poſthac ex equis deſcendentes nõ amplius eos manu mulſeritis, vt hactenus factitatum vidi.

Quid quod ex militum labore & hoc emolumentum reſultat, vt laborem faſtidientes maximo deſiderio ad pugnandum ferantur. Sic Marius in bello Cymbrico maximam temporis partẽ inſumſit, dum milites maximis laboribus exercitatos nunc huc nunc illuc traduxit: Iuſſis, qui amplas profundaſque foſſas, in quas partem fluuij Rhodani deduxit, egererent: quo factum eſt, vt nimios labores, qui indies aggrauabantur, faſtidirent, vltro magno impetu ad conſerendum manus cum barbaris proruerent. Idipſum ſecutus eſt Sylla: Auide enim expectans, dum miles inflammatus alacrius arma deſideraret, triduũ detinuit, maximis laboribus fractos: Iam enim fluuium Cephiſum alio deduci, iam altas foſſas confici iubebat, ne tempus tereretur inutiliter. Hoc opere

ita

ita miles fractus vnanimi voto velitationes pugnasq; exoptauit: sperans fore vt imposito labore abstineretur.

CAP. XVI.

Princeps certo constitutum habeat quid sit facturus.

MVLTVM refert principem secum certo statuisse, quid sit facturus. Sic enim amolitur & confundit cogitationes tam præfectorum q̃ militũ, ne cogitationibus alio defixis pugnam animo abiiciant: sed vnanimi voto in prælia conspirent. Franciscus 1. rex Galliæ, cum animus omnino ipsi esset, copias in Italiam abducere: conuersus ad duces, Stat, inquit, sententia, propediem montes hos transcendere: qui dissuaserit, non audietur, imo admodum displicebit: este itaque strenui, quisque suo munere fideliter defungatur: Dicto citius omnes clamãt, arma, arma: nec erat, qui non eandem sententiam animo suo iam concepisset. Regis adeo sententia omnium omnino erat.

De Arato Sicyoniorum principe extat, quod peritissimus alioquin dux, pessimo tamen vitio reprehendẽdus, nunquam euolutam animi sententiam habuerit cum hoste conflicturus, semper vere dubius animi & gerundarum hæserit. Vitium sanè exercitus duci admodum pernicioſum: non enim solus ipsè perplexa hæret mente, sed etiam nobilissimos militum spiritus ignauos reddit ac timidos.

Non possum hic silere, qua voce initio belli

Mace

Macedonici ſuos adhortatus fuerit Paulus Æmyliius: Nolite, inquit, ſoliciti eſſe de conſiliis capiendis, ſed id curate, vt ea in principis animo defendatis. Bono militi tria obſeruanda incumbunt: Vt ſit expedito corpore: vt habeat arma polita & acuta: vt mediocritatis in cibo & potu amans vel ad nutum imperatoris pręſto ſit & mandata exequatur. Hic verbis omnium animus & cogitationes eò verſæ ſunt, vt nihil aliud animo verſarentur, quam quomodo fortiter pugnare velint.

CAP. XVII.

De neceſſitate: cum exercitus ità ducitur, vt cum hoſte conſligere neceſſe habeat.

ANTA vis eſt neceſſitatis, vt etiam prouerbio dicatur: *Neceſſitas frangit telum.* Neceſſitas autem virtuti coniuncta mirifice fortitudinem adauget: Hinc à multis multa tentata, quæ militem ad conflictum cogerent: Eaque de cauſa in viſcera Italiæ traductus Hannibalis exercitus, ne ſalutis vlla ſpes, præter fortitudinem pateret. Stimulaturus itaque eos ad pugnam, Nullum, inquit, nobis reſtat refugium niſi in armis & fortitudine, quæ hoc modo acquirimus, noſtra erunt. Si qui vero ſunt, qui de alio cogitant refugio, quibusq; notæ viarum fauces, quo in tutum ſe recipiant, timidi illi ſunt atq; ignaui. Eſte itaque viri fortes & animoſi: &, quandoquidem inter victoriam & mortem hic nullum eſt medium, neceſſarium vobis credite: aut pro victoria fortiter pugnādum, aut ancipiti belli euentu po-

Digitized by Google

tu potius honeſte in pugna occumbẽdum, quam perfide in hoſtium manus tranſeundum.

Cato maior cum Hiſpanis prælio conflicturus procul exercitum à mari & nauibus, quibus aduecti erant, in medios hoſtes abduxit, Mei milites, inquit, in ſola virtute & fortitudine ſalus noſtra iam conſiſtit: inter nos noſtraq; caſtra hoſtem videtis, à tergo hoſtis terram: incumbite itaq; in id quod & pulcerrimum, optimum & tutiſſimũ eſt: in virtute, inquam, tanquam ſacra ancora omnem fiduciam locate.

Marius cum Cimbris prælium initurus caſtrametatus ad montis radicem prope vrbem Aix, vbi nullæ erant aquę, nulli fontes: idq; ſingulari induſtria, vt ad pugnam alacriores virgente neceſſitate redderentur. Animaduertens aũt pleroſque indignari, quod ſiti affligerentur, ſublato digito eminus fluuium caſtra hoſtium prætерlabẽtem oſtendit, Qui ſitit, inquit, ſitimq; ſedare cupit periculo ſuo abeat aquatum.

Laudabile erat periculum, in quod Guilielmus dux Normandiæ ſe vna cum milite coniecit: dum in Angliam traiiciens occupatum eam, omnibus nauigiis ignem iuſſit iniici. Secutus hanc eſt Ferrantes Corteſius, cum ad Vera erucę appuliſſet in noua Hiſpania bella geſturus.

Summa fuit neceſſitas, in quã Attilius Regulus & Metellus Celtiber ſeque ſuosq; milites coniecerunt: Attilius quidem in bello contra Samnites. Romanis enim in fugam coniectis cum equitatu ſe obiecit, ſtricto gladio ſub portis turpidinem fugæ multum increpans, Ne quis, ait, intretante victo-

victoriam partam, eligite itaque aut vt mecum aut cum hoste confligatis. His verbis pudore suffusi animo collecto prælioque redintegrato victores discedunt.

Metellus Cõtrebiam obsidione cingens, quinque cohortibus cedentibus stationemque deserentibus edixit, vt citra moram eam recuperent: mandauitque suis, vt quem ex acie fugientem cernerent, habitum pro hoste cæderent. Quo factum, vt hostem minus quam amicos & socios pertimescerent: ignominia quam periculo plus perculsi. Atque hac comminatione in prælium reuersi stationem suam receperunt.

Huc referri potest celebre illud senatusconsultum Romanum, quo cautum erat, ne captiui redimerentur. Hoc namque rigore milites compulsi aut fortiter pro obtinẽda victoria decertandum, aut honeste moriendum, cum amissa victoria eadem merces expectanda esset, in animum induxerunt.

Solebat P. Æmilius noctu exploratores mittere exarmatos, vt se armis tuendi ablata spe, vigilantiores in excubiarum munere essent.

Referri huc non incommode potest memorabilis cuiusdam villicani fortitudo, de qua prolixe extat in historia Scotica. Conflixerunt aliquando acriter Dani & Scoti inter se, cumque incerta victoria diu multa cum cæde vtrinq; pugnatum esset, Danorum duces per totam aciem dederunt tesseram, nemini in castra, nisi victoria, reditum sperandum. Ad quam vocem, renouato clamore, tanto impetu sunt inuecti Dani, vt mediam Scotorum

Digitized by Google

torum aciem cornibus vtrinq; nudarent, fugientesq; acriter insequerentur. Et fuisset profecto illa dies longe Scotis funestissima, nisi velut diuinitus per vnum hominem, in re prope desperata, fuisset oblatum auxilium. Colebat forte agrum propinquum, per quem plurimi fugiebant, homo plebeius, cognomento Haius, cum duobus vna filijs, qui cum corporis animique viribus magnis essent, nec minore in patriam caritate, pater iugo; filij, quod cuique in promtu fuit, pro armis accepto, vbi densissimum fugientum agmen conspexerunt, obuiam loco angusto profecti, primũ conuitijs, deinde minis fugientes sistere conantur. His vbi nihil proficiunt, proximos feriunt, se quoque vociferantes, aduersus fugientes, Danos fururos. Ad hæc timidiores consistunt: fortiores qui non tam metu, quam turba suorum abrepti, terga verterant, ad eos se aggregant, clamantes, auxilium adesse. Ita totum agmen in hostes conuertunt, & Danos non minus trepida, quam ipsi venerant, fuga retro ad suos compellunt. Ad hanc Danorum trepidationem agasones, & imbellis agrestium turba, sublato clamore, speciem noui exercitus præbuere. Ea res tantum animi Scotis, & formidinis Danis attulit, vt alteros de salute desperantes erexerit, alteris pro sperata victoria certam calamitatem attulerit. Hæc est illâ victoria, ad Loncartem vicum parta, illo & aliquot proximis diebus summa lætitia ad posteros perpetua fama celebrata. Cum spolia victores diuiderent, Haius in omnium ore erat. Multi homines honesti testificabantur se vidisse, quacumque ille cum

liberis impressionem feciſſet, ibi Scotorum ordines reſtitutos, & hoſtilem aciem velut ruina impulſam. Omnes denique vno ore prædam, victoriam, famam, ſalutem ſe eis debere fatebantur. Haius ad regem perductus modeſte de ſe locutus, ſplendidas veſtes ſibi & filijs oblatas, vt conſpectiores Bertham ingrederentur, renuit: ac tantum, abſterſo puluere, quotidiano amiculo indutus, iugumque, quo erat in prœlio vſus, ferens, multis à rege anteire, ac ſatis magno interuallo ſequi iuſſis, multis ad noui generis ſpectaculum accurrentibus, vrbem ingreditur, omniumque ora & oculos in ſe vnum conuertit: ac ſolus prope omnem illius diei celebritatem tulit. Poſt Danorum diſceſſum, otio præter ſpem tam cito parto, in conuentu procerum, qui ad Sconam poſt paucos dies eſt habitus, nihil prius quam de Haij filiorumque eius honoribus & præmijs eſt actum. Ager eis datus, vnus prope totius Scotiæ fertiliſſimus, quem adhuc eorum poſteri tenent; nunc in multas opulentas familias propagati: ipſi è plebe in ordinem nobilium relati. Inſignia ferenda, vti mos eſt nobilitati, data ſcutum argenteum, in cuius ſolo tria ſcuta rubricata inſunt. Quæ inſignia hoc (opinor) indicant, ſalutem publicam trium hominum ſingulari in prœlio virtute fuiſſe defenſam.

CAPVT XVIII.

Aliquando duces cum militibus mutuo iuramento in defenſionem mutuam ſe obſtringunt.

NON

NON defuerunt duces bellorum peritissimi, qui crematis nauibus aliisque refugijs sublatis, necdum tamen adducere copias potuerunt, vt cum hoste vellent congredi. Qua re duces sæpenumero moti, vt ne ignauia hæc fraudi ipsis foret, exercitui iuramento se adstrinxerunt. Exemplo sint Arcanani. Animaducentes enim, hostes Ætolos maximis copijs aduentare, vxores, liberos, & masculos sexagenarios ablegabant, vbi tutus ipsis esset receptus. Cæteri arctissimo coniurationis vinculo ita sese obstrinxerunt, ad vnum omnes prius morituros quam re infecta domum reuersuros. Qua re comperta hostes bello destiterunt. M. Fabius consul milites petentes vt educerentur contra Tuscanos, à quibus iniuria accepta fuerat, iureiurando obstrinxit ne reuerti vellent, nisi victores: id quod & factum. L. Sylla, cum in Orchomeno fusam aciem suam ab Archelao Mithridatis duce videret, ex equo confestim descendens, signo arrepto in medios irruit hostes, exclamãs: Hic, hic milites Romani mori volo. Sed vos cum rogabimini, vbi ducem vestrum amiseritis, mementote petentibus respondere: in Orchomeno. Hac ipsius voce moti milites ad ordines regressi, redintegrata pugna victores iam hostes in fugam verterunt.

Alexandri Magni fortitudo paruaque salutis suæ ratio habita, cum adeunda erant pericula, etiam in gregario milite mira videri potuit: nedum in tanto rege, pro cuius salute totus decertat exercitus. Cæterum in eo res illa vehementer

laudanda, quod cum cæteris rebus agendis principem se præberet, in ferendis prœlijs in postremo agmine non maneret. Id quod in Nisa vrbe oppugnanda non obscure ostendit. Nam cum milites suos in traijciendum amnem, quo ab vna parte vrbs cingebatur, segniores videret, ipsius amnis altitudine territos, ipse scuto suo innixus, & pectori subiecit, primus fluuium tranauit. In India aliam quoq; vrbẽ oppugnare adortus primus scalis appositis in vrbis muros euasit. In quibus cũ effractis scalis cum duobus tãtum remansisset comitibus, quanquã multis acceptis vulneribus, nunquam de se hostibus dedendo verbum fecit: sed vt erat cõfossus à muris saltu ad suos se recepit. Admiranda etiam M. Sergij fortitudo fuit, qui cum ante semel tantum in bello fuisset, amissa in prœlio dextra, aliam ferro confecit, quaterque in prœlio ita decertauit, vt sub eo duo confoderentur equi, & cum iam amplius viginti acceptis vulneribus vix pedibus consisteret, peneq; manuum vsum amisisset, Cremonam tamen atque Placentiam obsidione liberauit, duosque hostiles exercitus in fugam cõuertit, plusquam aduersus debilitata vulneribus membra sua, quam cum hoste pugnando. Omnes qui eum viderent, in admirationem mouebat, vt pedibus illis, qui vix incedendi vsum ei præstabant: & manibus, quæ vt cibum ori possent inferre, non nisi magno labore sufficiebant; non solum sæpe dimicaret, verumetiam de fortissimis hostibus victoriam reportaret. Quam generose etiam animo Pyrrhus Epirotarum rex fuit? qui cũ in Sicilia Cricem arcem munitissimam oppugnaret,

ret, primus ſcalis in muros cõſcendere voluit. Vbi hoſtium, à quibus premebatur, alijs conſpectus ſui atrocitate territis, vi primus in muros euaſit, illicq; tam diu ſolus hoſtium vim ſuſtinuit, quoad milites, qui deorſum erant, receptis animis, ac ſtimulante præterea ob ea, quæ regem egiſſe viderant, pudore, omnes impetu facto muros conſcenderunt. Cum Philopemenes Megapolitanus in caſtris cum Antigono Macedonum rege eſſet, in eo bello, quod is aduerſus Cleomenem Spartarum regem gerebat, nimio pugnæ ardore non expectato ſigno, primus qui in hoſtes irrueret feriretq; fuit. Itaque dum prælium continuaret, vtramque coxam ſagitta perfoſſus, cum veluti vinctus (euelli enim ſagitta non poterat) remaneret, altera coxarum, in partem contrariam extenſa, ſagittam in duas partes effregit, atque ita eam conuulſit. Eo igitur vulnere nihilo inualidior factus, redintegrata pugna tantum animi fauorisque ſuis iniecit, vt eo die Philopemenis virtute Antigonus prælij victor remaneret. Arque vt ad hiſtorias Biblicas quoque transeamus. Gedeon Iſraelitarum iudex ex omni Iudæorum numero ſolos trecentos delegit, atq; eo tantum comitatu noctu hoſtes in ipſis caſtris inuaſit. Coniectaque omni eorum multitudine in fugam, ex ipſis centum millia occidit; à reliquis Iudeis in cede ſolum fugientium adiutus. Saul Iudæorum rex, quamuis perſuaſum haberet ad certam ſe mortem proficiſci, vt ei à Pythoniſſa prædictum fuerat, totam tamen noctem iter continuauit, vt prælio cum ſuis intereſſet, in quo cum omnia præſtitiſſet, quę à rege non prudenti ſolum,

verum etiam forti expectanda erant: tandem vt ſuos in fugam conuerſos vidit, vna cum ſuis illic oppetere mortem quam fugere maluit. Iudas Macchabæus, cum ab Antiocho cum duobus hominum millibus rebellaſſet, eumque Bacchides cum duobus equitum millibus ac triginta millib. peditum perſequeretur, præ timore multis Iudæorum abeuntibus, ſolus cum octingentis viris remanſit. Qui cum hortarentur eum vt inde abiret, ingenti reſpondit animo, emori malle, quã vt eius fugientis terga hoſtes inſpicerent. Prœlio igitur inito, vna cum ſuis in eo campo, vbi certauerat, vitam amiſit.

Magna autem huius loci cautio eſt, vt ante, quam iuramenti vinculo confœderatio facta ſequatur, libera & vltronea militum ſententia habeatur explorata. Quod ſi cogi eos contingat, nõ facile id quod ſperas aſſequeris. Coactione enim iſta animi ipſorum tantum abeſt, vt cõfirmentur, vt potius omni alacritate atque inſito vigore excidant. Exemplo ſint Samnites, qui omnes & ſinguli ad aram, cui duces ſtrictis gladijs aſſiſtebant, iuramento confirmare cogebantur, mortem potius honeſte ſubituros, quam turpiter fugituros, oẽsq; perfugas pro hoſtibus habituros. Tãtum vero abfuit, vt maiorem ſumerẽt animum, vt etiam ſummo terrore correpti L. Papyrio ſplendidiſſimam victoriam in manus darent.

Priſcis Romanis vſitatum erat, vt deni aut centeni coniurarent, ſtationem ſuam non deſerturos, niſi arma mutare, hoſtem fundere, aut ſocijs auxiliari opus eſſet. Atque hæc ſpontanea coniu-

ratio

ratio eademque laudabilis, sequenti tempore L. Paulo & M. Varro Cos. loco vsitati sacramēti fuit habita: veruntamē cum coactionis quandā præ se ferret speciem, proindeq; non pure esset libera ac spōtanea, factum est, vt minus etiam feliciter successerit. Hinc vt certo appareat illā coniunctionē mediante iuramēto spontaneo motu factam prævalere ei, quam necessitas siue coactio effecit.

Asdrubal Carthaginensium dux, paulo longius ab hac consuetudine abijt. Inflammaturus enim ad pugnam militum animos, excœcari captiuos Romanos, amputari nasos, membrisq; alijs truncari curauit, idq; ad terrendum valde euidens fore credidit, potissimum cum ita mutilatos ad muros sisteret: plane animo persuadens, Punicum grauissimo exemplo territum in pugna mortis periculo vitam expositurum, prius quam in hostis potestatem deuenturum. Sed spe frustratus, immani hoc facto non iniecit sed ademit animum: ita vt tutissimum & firmissimū ad declinandam pœnæ atrocitatem crederent potius fugere, quam in prœlio perseuerando eidem sese quasi exponere. Quod si vero milites consulto & libere, nullo instigante, iureiurando illo coalescunt, nō potest, quin animi magnitudo augescat. Videre hoc est in ciuitate Agria: quæ inuictæ constantiæ & fortitudinis exēplo omnibus, quibus simile quid contingat, esse debet. Ideo operæ preciū facere mihi visus, si rem, vt gesta est, paulo altius pertexuero.

Agria vrbs est Vngariæ, & situ & muris inualida: siquidem montes iuxta eam supereminent, è quib. pssentissima clades inferri potest, mœnia vero

antiquorum more ſtructa. Hæc anno 1562. à Mahomete Baſſa grauiſſima obſidione cincta ſexaginta millibus militum & quinquaginta bronteis ſubinde appetita. Vngari vero, quorum duntaxat erant duo millia, à mœnibus incredibili labore & conſtantia hoſtem arceſſebant, tredecim hoſtiles concuſſiones fortiter ſuſtinebant, Turcæque plurimis ſuis deſideratis ſemper abſiſtere coacti fuerunt. Et quanquam de ipſorum fortitudine ex tot tantisque difficultatibus, quas infractis animis ſuſtinebant, per ſe ſatis conſtabat, eandem tamen illuſtriorem & excelſiorem reddere cupientes vno ore coniuraſſe perhibentur, nullis ſe conditionibus, quantumuis in ſpeciem plauſibilibus, ſe hoſti dedituros; ſecus vero qui fecerit, de capite eius actum iri: proinde non verbis ſed tormentorum ictibus & haſtis excipiendos hoſtes. Sin diuturna nimis futura ſit obſidio, fame ſe prius perituros, quam crudeliſſimam hoſtis tyrannidem habituros. Qui pugnæ inutiles in ciuitate erant, continuis laboribus dirutis vallis reſtaurandis, foſſis egerendis, complosis mœnibus reficiendis, cratibus & aggeribus obfirmandis, alijsve ſimilibus rebus adhibebantur.

Vt autem omnes proditionibus vias obſtruerent, vetuerunt, ne plures tribus colloquerentur. Summatim vt dicam: omnia eo directa, ne quis aliud præter patriæ ſalutem & defenſionem animo ſuo verſaret.

Præterea quoque cautum erat, vt omnia frumenta, tam publica quam priuata, comportarentur, atque in omnes æqualiter diſtribuerentur.

Cibi

Cibi delicatiores vulneratis reſeruabuntur. Conuentum etiam erat inter ipſos, vbi Deus ipſorum cauſæ, quam iuſtam eſſe ſcirent, patrocinaturus ſit, omnes exuuias, omnia ſpolia in vnum congeſta æquali lance diſtributum iri.

Fama eſt, multa egregia pollicente Baſſa, ſi dedant ſeſe; nihil ab ipſis reſponſum, ſed feretrum intra duas lanceas nigro panno velatum in mœnibus collocaſſe: indicaturi nimirum, ſi Turca vrbe expulſos vellet, mortuos efferret.

CAPVT XIX.

Tentandas ſiue periclitandas hoſtis vires.

NON raro milites conſternatos reddit aut accepta clades, aut rumor hoſtilium copiarum. Animoſos vero reddunt, cõflictus & velitationes cum hoſte, aliaq; quibus eius vires periclitantur & mores ediſcunt. Non fugiebat hoc Iulium Cæſarem; atque alte memoriæ infigenda eſt ſolertia & induſtria Marij. Cũ enim Romani aliquoties aduerſus Cimbros, gẽtem efferam & ferocem infeliciter dimicaſſent, atque ob id animis adeo percellerentur, vt non niſi cum gigantibus negotium ſibi eſſe crederent; Marius ſiniſtram perniciosiſſimamque hanc opinionem animis ipſorum exemturus & edocturus, Cimbros non eſſe alios homines atq; ipſi eſſent, aliquot dies velitando cum hoſte & quaſi ludicra tractando inſumſit, donec Romanus barbaræ voci & clamori aſſuetus, geſtusque Cimbricos ferre didiciſſet. Quo ipſo obtinuit Marius, vt metu illis

ademto alacrius atque felicius aduerſus Cimbros dimicarent.

Idem etiam de Turcis conſtat, eos non ſolum in prœlijs vti tympanis alijsq; clangoribus, ad animandos milites inuentis, verum etiam horribili & truci vlulatu, & hoc modo hoſtes, præſertim in velitationibus adoriri ſolere, ita vt inſuetis facile terrorem incutiant. Etſi autem nonnullis audacioribus hic mos Turcicus inanis eſſe videtur, exiſtimantq; illos clamores bellicos ex timiditate potiꝰ proficiſci, id ꝙ etiam communi prouerbio innui videtur, Canes timidiuſculos plus latrare q̃ mordere. Qua de cauſa etiam Regulus quidam Mauritanus inſtructa acie cum Luſitanis pugnaturus his verbis compellat ſuos milites: Non clamoribus, ſed virib. eſt agendum: Non ſunt hi homines, qui vocibus exterreri ſoleant: In virtute, non in vlulatibus eſt ſpes victoriæ collocanda: Cupio nunc nõ eos, qui voces inanes fundant, ſed qui hoſtẽ feriãt, aſpicere, &c. Conſtat tamen ex hiſtorijs, clamorẽ militarẽ bellicoſiſſimis plerunq; nationibus, ſicut Iſraelitis quoq;, ante prœliũ & in ipſo conflictu, fuiſſe olim, & nunc quoq; eſſe vſitatum. Idq; non ignorant Indi occidentales, qui inter ſe cõtinenter bella gerunt. Quamprimũ.n. illi hoſtes cõſpexere, in tantos tamq; editos vlulatus prumpunt, vt etiã tonitru tum vix exaudiri poſſit. Accedentes vero propius, clamores ingeminant, cornibus increpãt, fiſtulis deniq; canunt, minas alij in alios intentãt, oſſaq; mortuorũ hoſtiũ oſtentant. Tacitus quoq; de moribus Germanorũ, paulo poſt principiũ, ita de ijs ſcribit: Ituri in prœlia canunt. Sunt illis hęc quoq; carmina, quorũ relatu, quẽ Barditũ vocant,

accen-

accendunt animos, futureq; pugnę fortunam ipso cantu augurantur. Terrent .n. trepidantve, prout sonuit acies. Affectatur præcipue asperitas soni, & fractũ murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior & grauior vox repercussu intumescat. Vnde Cato senior sępenumero dicere solitus est, Verba plus q̃ gladiũ, & voces plus quam manũ hostes in fugam vertere attonitosq; reddere; sibique inuisum esse militem, qui ambulans moueret manus, pugnans moueret pedes, clariusq; sterteret q̃ inclamaret, Macedones quoq; & Persas clamorib. prœlium incoare solitos, patet ex ijs, qui res gestas Alexandri M. memoriæ tradiderũt. Abari quoq;, teste Suida, statuerunt in belli motu sonitũ excitare cõfusum & agrestem, vnaq; cũ fremitu bellico pulsare tympana, vt tantus tumultus existeret, quo perçellerẽt & terrerent Romanos. Quod Bonus præcognitũ militibus indicauit, ne re subita consternerentur, eosq; iussit pulsatione tympanorũ audita vicissim scuta concutere, & bellicum clamorem tollere, & Pæana canere, & ligneas situlas collidere. Secus autẽ accidit in memorabili illa expeditione & clade contra Parthos, in qua M. Crassus cum filio Publio, optimo & Ciceronis amantissimo adolescente, atq; cum vniuerso fere exercitu fraude hostiũ occubuit. Qua de re Plutar. in vita M. Crassi inter cætera ita scribit: Ille (Crassus) sermone suos ad meliorem spem erigere conatus, paucorum vidit animos incensos. Quin & clamorem militarem tollere cum iussisset, mœstitiam eorum culpauit, quod imbecillam, exiguam & inæqualem vociferationem edidissent. At barbarorum aspera & sonora conclamatio aures perstrepebat, &c.

Ex his apparet, quantam vim tam ad excitandos quam ad perterrefaciendos animos hominis vox & clamor habeat; quæ vis clamore immensæ multitudinis excitata & velut vnita, efficaciſſima eſſe, & latiſſime ſeſe extendere velutique telum obuia quæq; magno cum impetu penetrare ſolet. Sicut ex eodem Plutarcho videre eſt. Scriptum enim reliquit, in vita Pompeii, plebem indignatione motam ita acclamaſſe, vt ſuperuolans cortius attonitus in turbam deciderit. Eodem modo legimus apud Liuium, volucres ad terram delapſas, clamore militum, cum tanta multitudo naues cōſcenderet, vt nemo mortalium aut in Italia aut in Sicilia relinqui videretur. Non raro etiam columbæ volantes tabellariorumque vicem gerentes (poſſunt enim aſſuefieri ad afferendum in aere literas ſub alis corpori alligatas) clamore militum & boatu tormentorum ex alto collapſæ & interceptæ ſunt.

CAPVT XX.

Nullas commoditates eſſe dimittendas.

MAGNI momenti eſt poſſe dignoſcere, qua in re hoſte ſis ſuperior: & qua ratione occaſionibus commodè vti queas. Punici ſæpius à M. Regulo in Africa fuſi ſunt. At qua de cauſa? Quod ignorarent commoditates, quibus Romanis erant meliores. Interea cum ſtipendiarijs aliquot militibus è Græcia venit Xantippus Lacedæmon, eques nobiliſſimus, prudens admodum & peritus. Is omnibus pro-

probe cognitis ocyus aduertit, quid tantam cladem Carthaginẽsibus hactenus attulerit: addens, acceptam hactenus cladem esse non à fortitudine Romanorum, sed à Carthaginẽsium incuria. Carthaginenses enim roborẽ excellebãt quoad equitatũ & elephantos: quia vero nõ in planitie, equitatui accommoda, sed in locis accliuibus Romano pediti opportunis decertarant, facile à Romanis fuerunt deuicti. Xantippus itaque aliter acie instituta in planum copijs abductis & collatis manibus cum Romanis, victoria haud difficulter potitus est.

In secundo bello Punico cum Hannibal cognosceret, equitatum suum Romano esse præstantiorem & ampliorem, Romanos in planiciem prouocauit, ibique cum illis congressus, vbique victor euasit. Cum vero Fabius Maximus, Romanorum dux, suorum clade id animaduerteret, non amplius in planiciem prodijt, sed in iugis & asperis locis hostem præstolatus est.

Ecquæ causæ tot victoriarum, quas à Christianis Turcæ reportarunt? Nullæ profecto nisi equitatus, quo plerique barbari præstant. Itaq; etiam, quoties in plano cum nostris cõgrediuntur, equitatu cum abundent, certam sibi victoriam pollicentur. Quod si vero ac quoties à nostris fauces viarum occlusæ, commeatus interceptus, ex improuiso obruti, aut stationum ordinibus dimoti, assiduisque velitationibus fracti fuere, toties victi semper cesserunt.

Breuibus vt perstringam, nihil est quod maiorem militi animum addat, quam obseruata ocra-

sio,

sio, qua hosti nocere & superior esse potest. Itaq; occasionem diligenter princeps captet, eaque, quoties licet, vtatur. Nota est Portij Latronis sententia, qua L. Catilinam ita appellat: Num in gerendis negocijs ignoras, sequendas temporũ opportunitates, & in occasione rerum desidiam aẽ tarditatem omnem quam diligentissime fugiendam? Mutabilissimæ quidem (inquit) sunt Deorum voluntates, & fortunam cum abire permiseris, frustra postmodum discedentem ac fugientẽ sis imploraturus, &c. Ac sane experientia testatur, quam leuis occasio interdum præter omnem spẽ ad res maximas gerendas, veluti sese ducem præbeat, cum videlicet eo deuentum est, vt permissione diuina aliquid accidere facile possit. Ita vt non frustra à nonnullis occasio anima actionum dicatur.

Iulius Cæsar in acie illa Pharsalica, quam è militum duobus viginti millibus constituerat, cum videret, Pompeium id agere, quo dextrum cornu, vbi Cæsar ipse decima cum legione versabatur, cętero ab exercitu intercluderet (abundabat enim equitatu Pompeius, duploque maioribus copijs) legionibus ex omnibus sex eduxit cohortes, easque post se occulto in loco constituit, ne prospici ab hoste possent. Quibus ita dispositis milites cohortatur monetq; ne aduersus irruentes Pompeianos equites consueto pugnandi more vterentur. Esse enim illos adolescentes, bene cultos, radiantibus instructos armis, minime pugnaces ac prœliorum inexpertos, & infligendi atq; accipiendi vulneris insuetos. Illud vero maxime

ab

ab ijsdem timeri, ne ora fœdarentur cicatricibus. Quòcirca neque confodiendis equis daturos eos operam neq; figendis pectoribus aut coxis equitum, sed ora tantum oculosq; illorum hastis lanceisq; petituros, vibratibusque assiduis obtutum lacessituros. Scirent igitur in hoc solum intentos sese esse debere. Fore enim dum illi ora formamq; tuentur à vulneribus, dum oculorum obrutus ea ratione intercipitur, facile vt repulsi in fugã vertentur. Quod vt prędictum fuerat à Cæsare, contigit. Eo namq; pugnandi genere insolito improuisoq;, deterrito equitatu atq; in fugam verso, reliqua Pompeij acies facile profligata est, castraque haud multo post capta direptaque. Consilium sane quam prudens, vsuq; ab ipso, atq; à multa prœliandi consuetudine summa quoque à consideratione profectum. Ante Cæsarem hunc L. Lucullus cum rege Tigrane conserturus manum, acies ipsæ instructæ atque ad dimicandum paratæ cũ essent, ipse cum parte equitatus ac duabus tantum cohortibus tumulum quendam pedes ascendit, ac superato tumulo contemplatus & hostium ordines, & loci situm, exclamauit quanta maxima potuit voce: Vicimus milites, vicimus, conspicatusq; cataphractos equites, totius robur exercitus sub tumulum collocatos, præcepit equitibus suis, vti in cataphractos maximis incurrerent animis: nihil aliud curaturi pstaturiq;, q̃ vt gladijs illorũ hastas concideren: quib. concisis ac detruncatis, fore, vt illi pugnæ inutiles omnino redderẽtur. Cõuersus hinc ad milites alios: Non pilis hodie aut lanceis opus est, inquit, gladijs tm̃ res agenda. Itaq; strictis simul

ſimul enſibus, ſuris femoribusq; figendis tantum incumbendum eſt: qua parte cataphracti equites exarmati ſunt, æreisque tegmentis nudi. Quod cum ab equitibus peditibusque, vt præceptum erat, ſeruaretur, cataphracti vix prima impreſſione ſuſtentata, terga vertunt, quorum trepidatione reliquus quoque exercitus in fugam coniectus eſt. Cæſis igitur ſupra centum millibus peditum, cataphractisque admodum paucis incolumibus, victor Lucullus caſtris ac præda omni potitus eſt, tulitque hanc prudentiæ laudem, vt diuerſiſſimis artibus ipſe cum parua manu duos potentiſſimos reges, Mithridatem ac Tigranem, illum cunctando, hunc celeritate ſumma vtendo, breui tamen vtrunque fregerit.

Fabij Ambuſti prudens factum minime prętereundum videtur. Is enim Anxur cum oppugnaret ab infima parte, qua in paludes prona eſt, Seruiliũ Ahalam quatuor cum cohortibus circumміſit, qui parte à ſuperiore mœnia ex improuiſo inuaderet. Igitur intra muros irruptum cum eſſet, diuque anceps in vrbe prœlium (nulla namq, cedendi ſpe relicta, cogebantur oppidani pugnam ob deſperationem ipſam eo acrius inire) hoc cognito Fabius pronunciari iuſſit atque edici, ne quis ex hoſtibus præter armatos violaretur. Quo edicto proiectis ſtatim armis & cędes deſijt, & vrbs in poteſtatem Fabij redacta. Quid vltra? Iuſſit ab vrbis direptione ceſſari, donec collegæ Valerius & Cornelius, qui interim Volſcos diſtinuerant, cum exercitibus ſuis adueniſſent. Iudicabat enim ab illis quoque captum oppidum, quod Volſcos interea

à præ-

à præsidijs auertissent, direptionisque participes iure quoque esse debere. Itaque, vt Liuius inquit, ea primum benignitas imperatorum plebem patribus conciliauit.

Quid quod etiam sæpenumero vrgens necessitas contra hostiles insultus inopinatum auxilium præstitit. Atque adeo ea, quæ homines alioqui raro & non sine periculo attingere soliti sunt, neq; sine noxa loco moueri queunt, sed emolumenti aliaue de causa in alios vsus asseruantur, telorum vsum & inopinatum auxilium contra improuisam hostium irruptionem præbuisse constat. Cum Alphonsus I. Vicarum oppidum occupare constituisset, primoque impetu, vallo eruto fossam transgressi milites, alij muros missilibus oppugnare, alij scalas applicare cœpissent: oppidani, quanquam repentino regis aduentu perculsi, nihilo tamen segnius armati subito in muro apparuere, ac transsilire conantes lapidibus repulere. Cum autem regij acrius instarent, nec à muro repelli possent, complura apum aluearia, quæ forte paulo ante ex agris metu hostium intra castellum congesserant in muros, arrepta in hostes deuoluerunt, quorum fragore irritatę apes cum circumuolarent non solum os atque oculos oppugnantium incessabant, verum etiam sese armis & infetioribus tunicis inferentes, eos maiore quadam molestia & malo afficiebant. Atque hoc modo sese & oppidum diu tutati sunt, donec vi maiore subrutis mœnibus in deditionem venirent. Hoc quoque non ita pridem in Africana expeditione contra regem Fessensem Lusitanis accidit. Cum enim Barriga,

Lusitanorum militum dux, Xiatimenses acerrime oppugnaret, ijque se in vltimum discrimen adductos esse cernerent, aluearia apum innumerabilia, quibus abūdabant, incensa è mœnibus deuoluere. Lusitani igitur & aluearium flammis ambusti & apum aculeis stimulati oppugnationem deserere coacti sunt. Idem inopinatum auxilium & quidem felici euētu seruauit ante plusculos annos arcem quandam Hungaricam finitimam Turcis, satis munitam, in ditione Episcopi Agrienſis. Cum enim Turcæ ex improuiso eam occupare conarentur, & perpauci præsidiarij adessent, nec in tanta festinatione, absente præfecto, armis destituti, hostes mœnia & aggerem transcendentes repellere posset, subito aliquot aluearia, quæ incolæ tanquam in tutum locū eo congesserant, in irruētes p̄cipitarunt, quorū mole non tantū, sed magis ab apiculis irritatis, ex fauis agminatim prodeuntibus, & se se sub fluxis vestib. eorum insinuantib. icti & afflicti, non sine clade, infecta re, magna cū indignatione discedere coacti sunt. Non absimilis astus militaris, Annibale auctore, vt Iustinus & alij historici tradunt, olim profuit Regi Prussiæ contra Eumenem, vt nouo commento victor existeret. Nam omne serpentum genus in fictiles lagenas conijci iussit, medioque prœlio in naues hostium misit. Id primum Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed vbi serpentibus naues rēpleri cœpere; ancipiti periculo circumuenti, hosti victoriam cessere. Idem accidit Seuero imperatori, vt refert Herodianus in expeditione contra Atrenos: Obsessi enim à Seueri-

uerianis, non solum sagittis lapidibusque sese audacter defenderunt: sed etiam vasa fictilia, volucribus quibusdam venenatisq; bestiolis oppleta deuoluere, quæ cum aut oculis inuolitarent, aut in apertas corporis partes sensim obreperent, graviter singulos sauciabant. Sic quoq; Pompeius, vt Plutarchus in eius vita testatur, cum victoriam cõtra Mithridatem consecutus, in Hyrcaniam & ad mare Caspium, à quo tridui itinere aberat, ire vellet; multitudine venenatorum reptilium prohibitus fuit. Eodem modo Sapores rex Persarum à Nisibis vrbis, quam nõnulli Antiochiam Mygdoniæ vocant, obsidione, crabronum & culicum multitudine repulsus est.

CAPVT XXI.

Quod hostis sit anteuertendus.

MAGNA spes magnusque animus injicitur militi, vbi iubetur hostem adoriri, non expectare vsque dum lacessatur. Valet hoc vbique multum in omnes casus. Necessarium autem hic est, vt, viribus cum eo hoste inferior, eum aggrediaris. Hæc enim impressio, non tantum reddet copias tuas erectiores & animosiores, sed etiam perculsum hostem dissipabit, ordinemq; aciei soluet, dũ apud animum concludit, te viribus parem esse.

Multa in hac rẽ adducere possem exẽpla, sed vnico cõtentus ero. I. Cæsar vnica naui maiori Hellespontũ traijciẽs Cassio hostilis exercitus duce decẽ triremib, obuiã veniente, noluit, quis hosti viribus

omnino impar esset, fugam capessere, sed nec erat vlla effugiendi spes: quin potius alacri animo recta in hostem concitato cursu inuectus, eundem magno terrore obstupefactum ad deditionem coegit.

CAPVT XXII.

De strategematis.

STRATEGEMATA, id est, sagacitates & consilia militaria tempestiue adhibita, ad res feliciter gerendas, erigendosq; militum animos maximum habent momentum. Quæ tametsi quidem in cæteris actionibus non vsq; adeo præclaram mereantur laudem, in rebus tamen bellicis tantum abest vt improbentur, vt etiam ad famam & gloriam ducis militaris maximum addant decus atque ornamentum. Sic Lysander ille Lacedæmon prudēs & sagacissimus: tantum strategematis suis, quantū robore & copijs effecit. Cuidam id ei exprobranti: Quando, inquit, nihil proficit leonina, induenda est pellis vulpina. Carboni frequens in ore erat: cum ipsi negotium cum leone & vulpecula esset, quæ duo in L. Syllæ corde delitescebant, vulpem se magis quam leonem timuisse.

Nusquam autem, vti dictum est, locus sit strategematis, nisi in solis rebus militaribus. Crassus itaque Lysandri error est, qui sæpe gloriatus fuit, non minus se in negotijs rei militaris, quam in cæteris rebus esse astutum.

Cæterum, inter eos, qui strategematis admirabiles

biles extiterunt, primum fere locum tenet Themistocles. Is aliquando veritus, ne Xerxes, quia male maritimam cedere expeditionem videbat, omni conatu, terrestri bello incumberet, & tandem omnem Græciam opprimeret, cum sciret, parui animi Xerxem esse, Arsacem eunuchum, quem in Persica classe cœperat, noctu ad eum misit, & per ipsum Xerxi significauit, Græcos deliberasse pontem in Hellesponto factum rescindere, vt retrocedendi ademta facultate ipsum cum omnibus Persis in Græcia intercluderent. Quod cum Xerxes ita esse arbitraretur, vehementer territus, Mardonio in Græcia cum exercitus parte relicto, statim ipse cum alijs copijs per pontem in Asiam, atque inde in Persidem regressus est. Exitus autem postea docuit, quantum Græciæ Themistoclis astutia profuisset. Nam ex periculi magnitudine, in quod se coniectos Græci senserunt, cũ profecto rege solus Mardonius cum parte exercitus in Græcia remansisset, facile cogitando assecuti sunt, si Xerxes cum alijs copijs remansisset, quanto grauiora laturi fuissent. Itaque haud iniuria dici potest, Themistoclem Græciæ rebus atque saluti plus consilio atque calliditate, quam reliquos omnes Græcos sanguine atque armis contulisse.

Adathames Cara cum ab Artaxerxe Persarum rege rebellasset, atq; aduersus eum tenderet, monitus est Metrobarzanem socerum suũ ad hostes profugere. Veritus igitur, ne eo exemplo à reliquis copijs desereretur, edixit in exercitu, socerũ iussu suo ad Persas tendere, vt cum ipse cum Persis à fronte manum conseruisset, socer Persarum

terga cederet, vt ita facilius vincerentur. Huius rei facta militibus opinione in hostem pergere continuauit. Cum autem citato cursu Persæ eum venire vidissent, atq; Metrobarzanem cum magna manu antecedere, arbitrati eum vt primus Persas adoriretur, præcedere, aut sub transfugæ specie prodere Persas velle, ipsum vt hostē armis exceperunt. Et cum Adathames retro terga eius cæderet, cum omnib. suis paruo tempore Metrobarzanes cæsus fuit. Dum autem per hoc prœlium turbatæ apud Persas res essent, Adathamesq; vltra cum exercitu in Persas inueheretur, nō ante prœlio destitit quā Persas fudit. Eo igitur astu cū minime cōsilium ac deliberationē in Metrobarzanis fuga distuliſſet, Adathames duo consecutus est, vt & socerū fugiētem vlciſceretur & de hoste victoriam reportaret.

Cui & hæc sequens historia admodū quadrat. Conserta cum Veientibus ac Fidenatibus ab Hostilio Romanorum rege pugna, in ipso pugnandi ardore nunciatur ei, Albanorum præsidia, quibus Metius præesset Suffetius, mōtem capere, nudata ab eo latere Romana acie. Quod eo cōsilio faciebat Metius, vt Fidenatib. sese, inclinante Romano adiungeret. Hoc cognito rex, nec animo nec consilio destitutus, quamuis in maximum discrimen adductā rem cerneret, vultu quammaxime confirmato, vocem ita extulit, vt ab Fidenate audiretur, suo iussu Albanum cœpisse montem, quo aduersarios adoriretur à tergo. Quib. auditis, Romani quidem eo audentius in hostem erumpunt: Aduersarij vero destituti spe, q̄ putarēt se à Metio deceptos, consternatissimis animis dedere terga

atq;

atq; in fugam versi, ingentem eo die cladem accepere. Itaq; vox illa prudentissimo cõsilio animoq; vel maxime cõfirmato, inter acies iactata victoriã Romano peperit, post quam & Metium quadrigis illigatum discerpendum equis rex permisit, & Alba diruta, populum Albanum omnem migrare Romam confestim coegit.

Non minus etiam laudis merita est ea ratio, quã Epaminundas aduersus Lacedæmonios iniuit, cũ vtraq; acies solum expectaret cõfligendi signum. Ipse enim ante aciem magnũ equorũ numerum excurrere iussit, ita vt concitato ingenti puluere hostium conspectus adimeretur. Per id tempus in acie sua ordines immutauit, ita vt cum postea cõfligeretur, ipse à tergo in hostes, qui id minime aduerterant, impetum faceret: quæ res ei victoriam facilime peperit.

Huic fere simile est quod de L. Papyrio Cursore proditur. Cum enim aduersus Samnites diro admodũ prœlio decertaret, ante initam pugnã iussit Spurium Nautium ad hostiũ terga occultis itineribus cũ iumentis ac mulis castrensibus, insidentibus ijs militib. in medio ardore pugnæ, quantum maximũ posset puluerẽ excitare; cumq; Nautius in tempore & affuisset à tergo hostium, & puluerẽ excitasset, mulis ipsis trahentibus frondentes ad caudam ramos, qui puluerem exagitarent multo maximum: hoc viso Papyrius, sublata voce, vt hostes quoq; exaudirent: Captũ est, inquit, Cominiũ, Collega aduentat Caruilius (obsidebat enim tum temporis Caruilius Samnij vrbem Cominiũ) An passuri estis milites gloriã pugnæ huius apud

collegæ exercitum fore? Quo dicto, vt hostium consternauit animos, sic adauxit suis, incendite; gloriæ cupiditate. Confestimque ascenso equo, signum dedit equitibus, vti in aciem se inferrent hostium, quacunque ipsum erectam quatientem cuspidem vidissent. Atque haud multo post arribus his hostium exercitus cæsusque & in fugam versus est.

Q. Fabius Dictator in obsidione illa Satricana, cũ ipse iam obsideretur, hinc ab oppidanis, illinc ab Samnitibus, qui auxilio Satricanis venerant, cum cognouisset, ab Roma C. Fabium, magistrum equitum aduentare cum præsidijs, monuit illum vti secreto aliquo abditoque in loco delitesceret, donec ab ipso signum accepisset. Quo cum magistro equitum constituto, celauit de aduentu illius milites, quo spem in seipsis modo collocatam scirent, ratus illorum animos, quos fortes esset expertus, efficacius proposita necessitate incendendos. Itaque pugnæ signum cum dedisset, sic allocutus est milites, vt diceret, sola in eruptione spem esse, viam ferro patefaciendam, ad commeatum comportandum nullum omnino aditum, cum circa omnia defecissent. Neue illos frustraretur, castra ipsa esse relinquenda, atq; ab se mandatum, vti primum cum agmen vallo excessisset, ignis injceretur, iacturam rerum, quæ incendio concremarentur, hostium è præda resarciendam. Atque his dictis & milites vallum egredi confestim iussit, & in hostem desperatione magis quam ira concitos ferri, & ab altera castrorum parte ignem injci. Quod quidem signum ignorante milite cum magistro

giſtro equitum cõuenerat, qui in inſidijs poſt hoſtem deliteſcebat. Hac itaque ratione hinc milite ob deſperationem acerrime in Samnitem illato, illinc magiſtro equitum repentino adortu inuecto, vehementiusque premente à tergo, hoſtis in medio cæſus eſt, Romanusque non ſolum obſidione liberatus, verum etiam victor caſtris Samnitũ potitus eſt.

In agro Sorano vicus eſt cognomento Albus. Is vicus arcem habet & natura & manu egregie munitam. Eam arcem quidam nomine Ricius, dux impiger, cum obſediſſet diutius, nec aliam potiundæ illius rationem videret, niſi per vanam aliquã formidinem cuſtodum animis territatis, magnam vim lapidum ſub ipſius rupem arcis noctu à militibus comportandam curauit. Interdiu interſtrepi feſtinarique iuſſit, æque ac magna manus effodiendo cuniculo occupata eſſet: idem in ſequente etiam nocte faciundum curauit. Vbi vero dies alter illuxit, magnis ſublatis clamoribus, omnem illam conuectorum lapidum vim præcipitari per decliuiorem rupem, quanto maxima poterat feſtinatione imperauit, ipſe minitabundus arcis cuſtodes territare; ac niſi intra quampauciſſimas horas deditionem feciſſent, fore vt arce per vim occupata, ferro ad vnum omnes cæderet. Confeſtim itaque ſeque arcemque (tantum apud ignauiſſimos homines formido ipſa valuit) dedidere.

Cum vrbe Roma olim capta Galli Capitolium obſiderent, ſolamque potiendi eius ſpem in fame eorum repoſitam animaduerterent, perquam callido genere conſilij Romani vſi, vnico perſeue-

rantiæ irritamento victores spoliauerunt. Panes enim iacere compluribus ex locis cœperunt. Quo spectaculo obstupefacti, infinitamq; frumenti abundantiam obsessis superesse credentes ad pactionem omittendæ obsidionis compulerunt.

Magna quinetiam laude dignus est Canis Scaliger, qui Veronæ atque Taruisij principatum obtinebat. Nam cum discubiturus esset, atroci nuncio perculsus, Patauinos magno exercitu in prima Taruisinorum tecta ingressos esse, magnoque in discrimine vrbem illam versari. Ea re minime territus, statim occurrendi periculo salutare consilium cœpit, abiecta prandij cura vestem mutauit, atque in rusticanum iumentum conscendit, vnoque solo ac fideli comite, magna celeritate Taruisium peruenit. Illic arma induit, atque in bellatore equo ante se hostibus ostendit, quam venturum eum suspicarentur. Fretus id fore, quod accidit, vt hostes ipso conspecto venisse maiorem numerum aut proditionem duplici fraude molitam arbitrarentur. Itaque territi erepta victoriæ spe, cuius se iam compotes putabant: præterea nouo homine terrore perturbatis ordinibus, cum in eos Canis inueheretur, fusi sunt, eorumq; duces à Cane capti.

Astutia etiam singulari vsus est Fridericus Mõtisferrati Comes, cum Verculæ arcem contra Sigismũdum Malatestam Ariminensem principem obsideret. Fictas enim literas, ita vt omni ex parte Sigismundi viderentur esse, noctu per ignotum optime eruditum hominem ad præsidij præfectũ in arcem misit, monẽs se auxiliares copias mittere para-

paratum, si ipsi opus esse videretur. Cum autem ipse verum Sigismundi nuncium ac literas arbitratus respondisset accepturum: Fridericus militibus suis Sigismundi vestitu ornatis, omniq; alia necessaria re compositis ea nocte missis, arcem in potestatem suam redegit.

Nominis similitudo me ad Fridericum II. Imperatorem trahit, qui cum necessarijs de rebus ab Ethruria in Apuliam discessurus esset, & multa eum mouerent, vt Saminiatensem populum ad rebellionem spectare arbitraretur: misit ad eos, qui nunciarent, se captiuos quos habebat, atque thesaurum Saminiatum mittere velle, & propterea hortari, vt fideliter ea vsque ad eius reditum custodire vellent. Populus eo insperato commodo lætus, misit qui renunciarent, ex fide Saminiatenses ea obseruaturos. Fridericus igitur armis pro pecunia onustis aliquot iumentis tectisque, vt ei mos erat, cum pecuniam mitteret; item cathenis iniectis quibusdam ex militum suorum numero fortibus viris, atque ante eos missis nonnullis captiuis: inter quos fuit Petrus Vinea, cui illic postea oculos defodi iussit: Saminiatensis populus arbitratus veros esse captiuos, quia vincula inspexerat, cum sarcinis omnes in oppidum accepit. Illi autem postea arreptis armis statim occupato oppido Friderico defectionis suspicionẽ, quam conceperat, ademerunt.

Inter multa callide à Genuensibus mari gesta hoc vnum connumerabimus. Alphonsus Aragonius, Siciliæ rex in Corsica insula Bonifaciam vrbem obsidebat. Cum Genuæ Thomas Fulgo-

Fulgosus ducatus titulum obtineret, ab eo Ioannes frater adhuc pene adolescens cum quatuor tantum nauibus ad opem ferendam missus est. Cū is ad vrbem penetrare non posset, quod Alphonsi classis simul ancoris connexa, pontibusque inter ipsas naues iactis immobilis, ceu humi magnis firmamentis stabilita manebat. Ioannes vt huic rei occurreret, misso vrinatore, qui supra humanam fidem sub aqua morari consueuerat, in hostilibus nauibus ancorarum vincula desecuit, ita vt naues resolutæ, dum vndis impellerentur, pontes inter se factos confusis rebus omnibus confringerent, nō sine omnium, qui cum Alphonso erant, admiratione, cum eos ipsius facti causa lateret, & nullis spirantibus ventis nullaque vi tentata agitari naues conspicerent; fieri non posse arbitrati, vt viuens quispiam sub aquis tale moliri opus possit. Itaque in Alphonsi classe ob eam rem omnibus confusis territisq; Ioanni ad ferendam Bonifaciæ vrbi opem via patuit, Alphonsusque inde irrito conatu discessit.

Sed & Gallorum regina Fredegunda Childebertum Austrasiæ regem insigni strategemate fudit fugauitque. Cum enim Gilpericum maritum suum per adulterum Landericum occidi curasset, atque simul cum adultero Galliarum regnum administraret; bellum ei intulit Childebertus Austrasiæ rex, ingenti Longobardorum exercitu adiutus: cui audax regina cum impubere filio Lothario, atque adultero, cum magno ipsa quoque exercitu obuiam prodijt. Cum autem non longe à Bruniaco (id oppidum est in ea Galliæ parte, quam nunc

nunc vulgo Campaniam dicunt) hostilibus castris propinqua esset, vt improuisa hostem adoriretur, mira calliditate vsa est. Nam arborũ ramos haud paucos frondosos præparari iussit, quos quadruplici ordine ante agmen præmisit, atque inter eos tintinnabula quædam immiscuit. Quæ cũ sensim procederent, speciem armenti in sylua depascentis præbuere, syluam in qua armenta agerent hostes rati esse (neque enim, quia nondum certa lux erat, discerni fraus poterat) castris eorum Fredegunda, priusquam hostes armarentur, atque prodire in aciem possent, appropinquauit. Inermes igitur atque nihil tale verentes adorta fudit, atq; in fugam cõpulit. In quo fagax mulier clare ostendit, fœmineum ingenium non minus ad omnia mala promtum ac calidum esse, quam ad bona virile soleat esse.

Quis vero satis pro rei magnitudine Annibalis calliditates narrare ac mirari poterit? Is enim, q̃ vere affirmare licet, nunquam manus conseruit, nunquam velificatus est, quin robur & vires astutijs, arma ingenij perspicacitate attẽperarit. Dexterrime ea adhibebat vbique locorum petita ex situ & ratione regionis, loci, montium, vallium, syluarum, solis, ventorum, temporis, aliarumque rerum circumstantia. Sic Cannensem olim Populi Romani aciem speculatus, priusquam ad dimicandum descenderet, compluribus astutiæ complicatam laqueis, ad miserabilem perduxit exitũ; ante omnia enim prouidit, vt & solem & puluerem, qui ibi vẽto multus excitari solet, aduersum haberet, deinde partem copiarum suarum, inter

ipsum

ipsum prœlij tẽpus de industria fugere iussit, quã cum à reliquo exercitu abruptam legio Romana sequeretur, trucidandam eam ab ijs, quos in insidijs collocauerat, curauit. Postremo quadringentos equites subornauit, qui simulata transitione petierunt consulem, à quo iussi more transfugarũ depositis armis in vltimam pugnæ partem secedere, districtis gladijs, quos inter tunicas & loricas abdiderant, poplites pugnantium Romanorum cæciderunt. Hæc fuit Punica fortitudo, dolis & insidijs & fallacia instructa, quæ certissima circumuentæ virtutis Romanorum excusatio est: quoniã decepti magis quam victi sunt.

Extat & aliud àb Hannibale vsurpatum strategema, quod an risu prius quam admiratione dignum sit, dubites. Estque hoc: Cum saltum Casilinatem petere se putans, vt illic commeatus ac pabulationem copiosius haberet, per ducum errorem Casilinum se deductum inuenit; vbi propter loci iniquitatem ac simul sterilitatem infestis à Fabio montibus breui cum exercitu periturus videbatur: quia vallis depressa atq; altis montibus obsessa, in quibus Fabius cum exercitu cõsederat, vno tantum aditu per Vulturni cursum ad mare patebat. Nonne supra humanum ingenium euadendi inde, quam iniuit Hannibal, ratio fuit? Quis enim putasset, alligatis stramentis ad boum cornua, incensisque, Romanos milites, qui fauces eius vallis insidebant, ita terreri posse, vt locum desererent? atque ipsum Fabium Hannibalis ante dolis inuictum tunc hoc ludibrio capi, ita vt inde egrediundi libera Hannibali facultas relin-

quere-

queretur? Hac igitur calliditate, qui spem amisefat armis inde se emittendi, nullo effuso sanguine, ne tentata quidem pugna libere euasit. Et profecto vix quicquam est, quod duci maiorem nominis existimationem adferat, vehementioresq; addat stimulos militi & ad amandum principem & serio iuuandum. Quamobrem maximopere hic desideratur vario rerum vsu exercitata sapientia, ingenijq; dexteritas: vt quamuis ipse ijs vti nolit, hostem tamen qui forte sibi non incommoda duxerat, anteuertat.

CAPVT XXIII.

De peculiari quadam ratione Iulij Cæsaris, qua animosum reddebat militem.

FREQVENS erat Iulio Cæsari peculiaris ratio ad extimulandam & augendam militis fortitudinem: dum tantum aberat, vt famam potentiæ copiarumque hostilium imminueret, vt etiam quoad liceret, eas exaggeraret. Animaduertens itaque aliquando, militum suorum animos regis lubę populosissimo & florentissimo exercitu consternatos esse, cõuocatis indicat, certo sibi compertum, aduentare hostem centum myriadibus equitum, & trecentis elephantis instructum: peditem vero non posse numerari. Ideo autem hoc fecit, vt exercitus, vbi se aduersus tam immensam, fictitiam tamen hostium multitudinem munierit, cognita deinde ipsorum paucitate, animo magis de victoria confirmaretur.

IOAN-

IOANNIS BOTERI DE ILLVSTRIVM STATV ET Politia

LIBER DECIMVS.

CAPVT I.

De exercitus imperatore.

BREVIOR in hac doctrina ero, quam hactenus in cæteris fui. Alexander enim Farnesius dux Parmẽsis omnibus exemplo est, ex quo ipsissima imago boni & perfecti ducis, tanquam ex nitidissimo speculo, peti potest, adeo vt euidentius ea sic appareat, quam si multas præscripsero præceptiones, aut ingentia volumina confeceto. Dum enim dux fuit Hispani exercitus, multas obtinuit victorias, idq; varijs modis: iam vt Q. Fabius: iam vt Marcellus: pericula & incommoditates omnes superauit, loca munitissima occupauit, populos propemodum inexpugnabiles deuicit. Vno verbo vt cõprehendam, nulla est ducis virtus, nulla ars militaris, nulla prudentia, nulla vis fortitudinis, cuius non euidentissima ediderit specimina in tot tantisque bellis & conflictibus: præcipue in obsidione Antuerpiæ, quæ vix vlli cedit.

Vt autem milites sint fortes ac animosi, id potissimum in prudentia & gubernatione ducis siue disciplina bellica situm est, qui pro re nata, prædictis atque alijs rationibus, de quibus suo loco, omnia

omnia moderatur. Vnde communis illa opinio, ſatius eſſe, vt exercitus puſillanimis habeat ducé fortem ac animoſum, quá dux animi abiecti animoſum exercitũ. Imperator enim fortis atq; animoſus exercitum exemto metu alacrem reddit diſciplinæ militari probe imbutum. Fieri tamen etiam poteſt, vt exercitus animoſus reique gerendæ gnarus ducem, à quo & prudentia & rerum experientia abeſt, peritum & prudẽtem reddat. Recte profecto olim Homerus, Exercitũ ceruorum meliorem eſſe duce leone, quam leonum, duce ceruo.

Cum Alexandro Magno nunciatum eſſet, quadraginta millia virûm in monte inacceſſo & ratione ſitus inexpugnabili deliteſcere ſub duce timido & meticuloſo: certo certius ſibi pollicitus eſt victoriam, acſi iamjam in manibus poſitam haberet: plane ſtatuens abiecto ducis animo fore, vt facilis ad montis clauſtra ac propugnacula ipſi cõtingat aditus: quod & breui poſt factum. Numantini Romanos, quod diſparibus gubernarentur ducibus, ſæpiſſime fuderunt: at mutato duce & ſumma rerum Scipioni tradita, fortuna quoque verſa eſt. Vnde Numantini ſenioribus ſuis, ecqua de cauſa ab ijs, quos ſępe fugaſſent, toties nũc funderentur, percontantibus reſponderunt: Easdem quidem eſſe oues, at paſtorem ſiue ducem alium ac diuerſum. Iulius Cæſar in Hiſpaniam ſuſcepta expeditione innuere volens certo ſibi de victoria iamdum conſtare: Exeo, inquit, ad exercitum duce deſtitutum.

Ac profecto inficias nemo ire poteſt, plures

victorias obtineri, plura bella, res difficilimas arduasque vnius ducis arte, quam exercitus Marte finiri. Forte ſuperuacaneum eſt hic inducere Themiſtoclis callidiſſima conſilia, quibus Athenæ incolumes manſere: Epaminundæ, qui virtute ſua Thebas contemtas antea, celebres reddidit: Xanthippi, qui ſingulari prudentia Carthaginenſes antehac à Romanis vinci ſolitos vindicauit: Fabij Maximi, qui cunctando Romanam reſtituit rem; atque aliorum: hic ergo ſubſiſto.

Cæterum non incongrue hoc in loco quæſtio moueri poſſet, An in duce exercitus eligendo potius ſcientia rei militaris quam amor virtutis aut ciuitatis ſpectari debeat? Ad quam quæſtionem citra ambages vt reſpondeam, tenendum eſt, iuxta Ariſtotelem in Politicis, in imperio militari demandando, peritiam vſumque rei militaris potius quam virtutem ſpectari ſolere & debere. Non quod virtus militari ſcientiæ ſit poſtponenda abſolute, ſed comparate demum ac reſpectu quodam, nempe belli. Optandum ſane eſſet, vt duces Themiſtoclem & Scipionem tam in rei militaris diſciplina, quam in vitæ integritate imitentur, hoc eſt, vt non ſolum hoſtes, ſed etiam ſeipſos vincere & moderari contendant, vt facinora egregia edant, & facinora vitæ fugiant. Verum ſi eo res deducta ſit tandem, vt exorta belli tempeſtate, vel ad rem militarem adminiſtrãdam aptus ſed improbus; vel erga Rempublicam beneuole iuſteque affectus, ſed ſcientiæ militaris inſcius ſumeretur, virtutem potius officij in hoc caſu quam animi ſpectare oportet: quippe Antonius

quam

quamuis Cleopatram diligat, imbelli Catoni, qui ſolam iuſtitiam colit, eſt præferendus; non quod Cato nō ſit vir melior, ſed quod Antonius rei militaris longe peritior habeatur: quæ omnia eo tendunt, vt potius leo quam lepus rebus bellicis præficiatur. Cæterum ſi non dux exercitus, ſed quæſtor ciuitatis fieret diuerſa militat ratiō, ibi enim magis ſeu maior requiritur virtus quam ſcientia. Atq; in duce militaris ſcientia, in quæſtore probitas & conſcientia quæritur. Sed quid maior? rem punctis agam: In electione illa maxime requiritur virtus, qua munus ſuſceptum melius pſtatur. Sed munus imperatoris bellici melius ſcientia rei militaris quam virtute perficitur. Ergo in electione imperatoris bellici potius ſcientia militaris quam virtus requiritur. Præterea, ſine rei militaris ſcientia victoria acquiri non poteſt. At ſine vitæ innocentia poteſt. Ergo magis illa quam hæc in electione ducis deſideratur. Inſuper vt leo fortis & tamen rapax, ita dux peritus, & tamen vir malus eſſe poteſt. Poſtremo, Sylla dux nobilis ſed ſuperbus, Coriolanus dux nobilis, ſed furioſus, dux nobilis Antonius, ſed intemperans, dux nobiliſſimus Alexander, ſed crudelis fuit: quamuis ergo optandum quidem ſit, vt in belli ducibus, factis reſponderet vita, in electione tamen eorum potius belli ſcientia, quam vitæ ratio conſiderari debet.

CAPVT II.

Rationes, quibus milites animoſos dux efficere poteſt: & primum, de ducis felicitate.

TAMETSI bona pars prædictarum rationum, quibus fortitudo augetur, à principe proficiſcatur, ſigillatim tamen etiam nonnullæ, non quidem quæ belli adminiſtrationem militaremque diſciplinam, ſed ipſiſſimam ducis perſonam concernant, in medium afferemus. Primas hic facile obtinet ducis felicitas, qua vnice militum animi eriguntur. Felicitas autem nihil aliud eſt, quam incrementum & acceſſio auxilij diuini, quo Deus ter Opt. Max. proſperat interdum eos, qui peculiari ratione vocati ſunt ad executionem iuſtitiæ ac voluntatis diuinæ. Talem Ioſuam fuiſſe legimus: ad cuius preces ſolis curſus inhibitus diem effecit longiorem: Cyrum, quem quamuis incredulum, Deus miniſtrũ ſuum vocat: Alexandrũ Magnum, cui mare Pamphylianum transitum præbuit: Cingum Tártarorum regem, cui mare Indicum transitum dedit: Attilam & Tamerlanem, qui ſibi ipſis, vt Flagella Dei vocitarentur, nomina dederunt: aliosque, quos Deus pro beneplácito ſuo felicibus victoriarum ſucceſſibus ornauit.

Non autem prætereundum hic eſt, felicitatem nõ ſemper ſolius ducis propriam eſſe: ſed aliquando eius, cuius miniſterio funguntur, principis.

——*Dux fortis in armis*
Cæſareis Labienus erat: nunc transfuga vilis.

Remius de Ceri, dum ſtetit à parte Venetorum, feliciſſimus fuit: at ſub rege Franciſco & Clemente VII. neque fortunam (modo Chriſtianis hæc vox digna ſit) fauentem, neque victorias vllas expertus eſt. Andreas Doria, quamdiu Franciſcum

regem

regem modo dictũ iuuit, pauca memoratu digna gessit; plane aduersa vsus fortuna in bello Sardiniano. At contra sub Carolo V adeo felix fuit, vt maximum inde nominis splendorem ad posteros transmiserit. Idem de alijs quoq; dici potest. Quo sane innuere vult Deus, se interdum non quidem duces absolute, sed eos potissimum, pro quibus militant, prosperare. Nonnunquam duces, qui bono proposito piaque intentione pro principis incolumitate militant, felicibus successibus secundantur, quamuis Deo non probetur vita principis, quem postea alijs modis castigat. Sic Narsetes cõtra Gothos splendidissimas victorias Deo ita volente obtinuit, interim non datum vt imperator Iustinianus, sub quo duxerat exercitũ Narsetes, Italiam quiete & tranquille gubernaret: siquidem immissi Longobardi optimam Italiæ partem occuparunt.

Interdum Deus neque principi neque ducibus felices successus largitur, imo datos reuocat, ob populi iniquitates. Hac de causa Iosias rex misera morte misere perijt.

Deo vero approbante vitam & consilia principis simul atq; ducis, neque obstante populi malignitate, non est, de victoria quod dubites. Nihil enim tunc virium habent subdola & astuta hostiũ consilia, debiles sunt omnes machinæ, imbecillaque & inutilis est omnis aduersus fortitudinem atque constantiam multitudo. Victoria enim non in munitionibus operibusque bellicis, sed in causæ bonitate posita est. Tametsi vero euentus felix à virtute nonnunquam seiungatur: siquidem etiã

Turcæ, Æthiopes, alijque infideles à malis Christianis palmam reportant: id tamen accidit ijs ex causis, quas supra commemorauimus. Multis exéplis eius veritatem asserere possem, at res meridiana luce clarior illis supersedere iubet.

Milites autem cognita felicitate ducis, lubentes dato nomine sine terrore sub ipso militant: tá certo sibi pollicentes victoriam, ac si iamjam in manus data esset: neque detrectantes quicquam quamuis arduum & sublime.

CAPVT III.

De alacritate & ferocia ducum, quod bono exemplo militibus prælucere debeant.

DVCES imperterrite se periculis obijcientes suo exéplo milité reddunt alacrem & animosum, suaque animi alacritate integrum exercitum armant. Hinc de C. Mario extat, quod ætate adhuc vegeta & robusta res maximas confecerit: dum ipsemet primo aciei ordini vbique immixtus omnes ad eandem virtutem abripuit. Ingraueſcente vero ætate vigoreque animi vna cum sanguinis calore deficientibus nihil effecit, quod cum pristinis conferri queat: vt ex bellis ciuilibus videre est.

Alexandri Magni maxima fuit audacia: atque hic vno potissimum insigniter conspicuus: magnanimitum animi elatione: & in omnibus felici successu. Seleucus animaduersa suorum fuga in vltimo prœlio, quo cum rege Demetrio conflixit, ipse equo descendens abiecto clypeo, quo facilius agnosceretur, primo cornu se immiscet. Hoc facto

miles

miles confusus animum iamdudum abiectum recollegit, prœlioque integrato item ingenti clade affecit. Proditum est de Iulio Cæsare, ipsum sæpenumero aduersus milites suos fugam parãtes aciẽ conuertisse atq; hoc modo à fuga reuocasse, quinetiam tanto animi feruore rem gessisse, vt signiferi vexilla ipsi interdum reliquerint. Inter Christianos principes prima laude dignissimus est Georgius Castriotta, qui millibus ferme pugnis cum Turcis cõmissis semper prima acie dimicabat: vnde etiam indubie creditur, in diuersis prœlijs circiter duo millia Turcarum trucidasse.

Non vero hæc sic accipi velim, quasi duces & ipsos principes temere quibusvis periculis se obijcere deceat. Non enim eorum est prœliari, sed prœliantes ordinare, instruere acclamationibusq; iuuare. Interim tamen semper sit animo erecto, alacri & forti: & re ita postulante pericula subeat aut ad impediendam fugam, aut milites labore iam ac metu fractos in spem meliorem erigendum, &c. Caute autem admodum in omnibus se gerat, salutis suæ ipsius, quoad licet, nõ immemor; quippe à qua totius exercitus salus dependet.

CAPVT IV.

Duces sint læta & exporrecta fronte.

VIx dici potest quantum ad obtinenda victorias faciat frons ducis serena & explanata: Ea enim ad sui habitum militum animos componit, alacres facit, lætos & erectos: qui alioquin animo consterna-

Digitized by Google

nato & abiecto in prœlium euntes res parum laudabiles gerunt. Exemplo sint Germani, cum eorũ dux esset Marchio Vastensis, in prœlio ad Cerisolem cõmisso. Hac laude præ cæteris claruerunt nõnulli Romani, Papyrius Cursor & Scipio Africanus. Docet enim Liuius non extitisse ducem alacriorem, quam fuit Papyrius in prœclara illa pugna cum Samnitibus facta: & quam fuit Scipio, cum insigni conflictu ab Hannibale & Carthaginensibus victor discederet.

Sic Dion Syracusanus, consilium cum aliquando cepisset liberandæ patriæ ab impotente Dionysij dominatu, Athenis vbi exulabat digressus, Zacynthum venit. Ibi autem conuocatis militibus, patefacto consilio suo, animaduertit illos, qui erant circiter octingenti, ac præcipue præfectos ferme omnes improbare inceptum, neque enim tam exiguis inuadendum copijs maximum atque opulentissimum regem. Siquidem Dionysij opum magnitudinisque ingens inter Græcos per id temporis fama erat atque opinio. Quod animaduertens Dion, cohortatus eos, iussit bono animo esse, atq; vt peractis die dicta sacris in stadio adessent, secum in Apollinis honorem discubituri. Itaque præparatis lautissimis epulis, magnam ex auro argentoque poculorum ac paterarum vim, vasculorum item diuersi generis, artificijque, in abacis apponendam ac mensis curat. Quocirca admirati conuiuæ auri magnitudinem atque argenti, reputantesque animo, Dionem neque fortuito neq; ob desperationem tantas diuitias obiectare casibus, neque etiam iuueniliter, cum ætate esset iam pro-

prouectior, atque eius grauitas admirationi esset Græciæ vniuersæ, omni terrore discusso, maiora etiam animo conceperunt, coniectantes ex ijs, apparatas illi esse in Siciliæ res, paratissimos etiam Siculorum animos, copiasque aduenienti instructas atque armatas in continenti statim affuturas. Igitur è timore ac terrore maximam in spem conuersi, promtissimis ac spei plenis animis naues ascenderunt. Atque hac quidem arte confirmandis militibus vsus est Dion. Et qui frugalitatem præse vbiq; atque in omni vita tulit, ijs in epulis luxum adhibuit, diuitiarumque ostentationem.

Ingentem animi fiduciam Alexander Magnus ostendit, cum antequam in Asiam transiret, immunitates reditusque ingentes in Macedonia donaret. Cum autem Perdicca amicorum vnus ei diceret: omnia dando quid sibi retineret. Respondit, Spem bonaque Persarum. Admirabili fiducia ostendens, se quod adhuc in potestate hostium erat, ceu rem propriam ducere. Ea permoti spe Macedones, spretis muneribus, quæ tunc Alexander repræsentabat, sola ipsa spe cum ipso contenti manserunt, longe pluris eam, quæ nondum venerat, quam præsentia munera facientes.

Lacedæmonij cuiusdam minime spernēda fuit confidentia, qui cum in clypeo pictam (vt vera videretur) muscam ferret, atque ei diceretur, insigne nimis paruum id esse, neque ab hostibus visum iri: Respondit, se ita hosti appropinquaturum, quod longe maior quam esset, ei musca videretur.

Cum aliquando Egdarus Britannorum rex,

reges omnes qui ei parebant, in conuiuium adhibuisset, eiq; esset relatum, Rinandum Scotorum regem (cum eum statura pusillum inspexisset cum alijs) dixisse, non mediocriter se mirari, quod ipse alijque reges viri fortes proceroque corpore, tam paruo homini subiectos se esse paterentur. Nulla prorsus re dicta venatum duxit eum, dataq; opera, vt solus cum eo ab alijs disjunctus esset; Rinando alterum é duobus gladijs, quos secum tulerat, obtulit: dixitque fortitudinis eius periculum facere velle, vt sciret, an verbis in eo facta responderent. Qua re Rinandus vehementer territus errori veniam petens tandem eam impetrauit, cum ei Egdarus generoso facto singularique virtutis suæ fiducia ostendisset, virtute se & non sorte electum regnare, ei vt hoc experiri posset, potestate facta.

Sic Romani olim milites ingentes animos sub Papyrijs, Manlijs, Scipione alijsq; spirabant: cum de victoria quasi certi, ducum suorum fortitudine atque alacritate freti in aciem ducebantur. Sic, cum olim Cimbri omnium animos summo cum terrore in admirationem suorum facinorum bellis gestorum conuertissent, nullum alium postularunt Romani quam C. Marium, in cuius fortitudine & virtutibus omnis fiducia erat locata.

CAPVT V.

Quibus indicijs duces animum suum de victoria obtinenda iam certam prodant.

REQVI-

REQVIRITVR insuper ad serenandum vultum spes & certitudo victoriæ: quæ militibus maiores addit stimulos. Multis autem modis hæc certitudo præ se ferri potest.

Annibal cum Romanis ad Cannas congressurus, paulo ante pugnam cum ascendisset tumulum paulo editiorem, è quo & multitudinem intueretur Romanorum & ordines; quique illi astabat Giscon quasi obstupefactus, cum dixisset, mirari tantam se multitudinem: tum ipse, qui obstupefactum illum de numero intelligeret, ne qui adessent, simili terrore caperentur, conuersus ad illum, contracta admodum fronte, Quanto maius, inquit, mirum tibi videatur Giscon, illud si cogitaueris, in tanta illa hominum multitudine, qui Giscon appelletur, omnino esse neminem. Quod dictum cum statim inter acies emanasset, ad risumque conuerterentur omnes, eam vim habuit, vt singuli existimarent, ijs dictis propterea iocari Annibalem, quod de Romano exercitu putaret iam actum. Effecit igitur maxime cautus imperator ac prudens ex hoc dicto, milites ad capessendam pugnam tum promtiores detracto metu, tum de victoria pene certos, qui viderent tanto in discrimine imperatorem suum iocari.

Ad Scipionem Africanum aliquando nonnulli, à Carthaginensibus Romanas copias exploratum missi, adducti sunt, quos iure belli de medio tollere ipsi fuisset licitum. Verum de iure suo ipse discedens in castris quoquo versum eos circum-

circumduci, postea ad suos reuerti iussit. Hoc facto animum suis adjecit, hosti vero ademit. Idem feciſſe dicitur Gracchus in Hiſpania. Percontantibus enim Celtiberorum legatis, quibus confisus in Celtiberorum fines hostiliter irruisset, respondit, præstantia militis, quem duco. Hinc iussis, qui ordine exercitum disponerent, legatos per ordines transire iussit: id quod ad terrendos legatos, ad confirmandos vero suos facere ratus est. Tanto hoc legatis terrori erat, vt attoniti domum reuersi, nuntiatis ijs quæ vidissent, Panico quasi terrore absterrerent suos, quo minus vrbem tum à Romanis obsessam liberatum exirent.

CAPVT VI.

Ducem prudentem esse decet, solertem, industrium, & in agendo celerem, vt quamvis tempestatem præsenti consilio restinguere sciat.

NON sinit militem ignauum ac timidum esse ducis prudentia, & industria iam cognita. Admodum enim militum animos erigunt duces, qui sunt prudentes & solertes, qui premeditate omnia agunt, vitamq; ac fortunas militum tuendi studio tenentur.

Multum huc omnino facit ingenium prudens ac solers, in agendo expeditum, adeo vt improuisum malum arte consopiat. Hoc ipso enim non modo obtinentur nonnunquam victoriæ, sed etiam maximæ difficultates & pericula auertuntur. Testatum hoc faciunt plurima exempla, Tulli nempe, regis Romani, Ditami, Ferrantis Consalui, alio-

aliorumque. Contra Fidenates & Veientes exercitum ducebat Tullus Hostilius: iunctis Albanis, quorum dux erat Metius Suffetius, qui animo fluctuans relicto Romano sensim ad montem se cõuertit. Consilium erat, qua fortuna rem daret, ea inclinare vires. Romani, qui proximi stabant, vt nudari latera sociorum digressu senserunt, equitem citato cursu regi hæc nuntiatum mittunt. Rex hoc cognito, nec animo nec consilio destitutus, quanquam in maximum discrimen adductam rem cerneret, vultu quammaxime confirmato, minime metuere, claraque increpans voce, vt hostes exaudirent, redire in prœlium iussit, suo enim iussu Albanum cœpisse montem, quo aduersarios adoriretur à tergo. Quibus auditis Romani eo quidem audentius in hostem irrumpunt: Aduersarij vero destituti spe, quod putarent se à Metio deceptos consternatissimis animis dedere terga, atque in fugam versi ingentem eo die accepere cladem. Itaque vox illa prudentissimo consilio, animoque vel maxime confirmato inter acies iactata, victoriam Romano peperit, postquam & Metium quadrigis illigatum discerpendum equis rex permisit, & populum Albanum migrare Romam coegit. Eadem industria inclaruit Ditamus dux Cutianorum. Posteaquam enim à rege Artaxerxe defeciuisset, & à Pisidianis filium suum interemtũ compertisset, infestas copias contra eos duxit. At socero Metabarzane equitum duce metuente, ne generi audacia malo euentu clauderentur, subterfugiens periculum cessit. Ecquis vero socio auxilio recedente non expauescere? At Ditamus

præ-

præsens huic malo excogitauit remedium. Alta enim voce exclamabat, suo iussu socerum discedere, vt nuda hostiũ terga adoriatur, simul adhortatus suos, vt propere opem ferrent. Sic vero Metabarzanes medius inter Pisidianos & Ditami milites, qui ipsi opem latum venerant, incluſus, cum omnibus suis trucidatus est.

Nec minus laudis promeruit industria Ferrantis Consalui, qua tempestiue admodum vsus est: iamjam enim cum duce Namurensi prœlio (quo regi Hispaniæ regnum Neapolitanum obtigit) cõflicturus, cum tormenta emitti iussisset: tristi quidem nuntio certior factus fuit, puluerem Bombardicũ siue proditione siue alio infortunio flammis absumtum, nihilo tamen timidior respondit: Satis bene res habet: certus iam sum de victoria, quę igne triũphali iam indicata est. His verbis magna spe animis militum iniecta omnes reddidit animosiores.

Sylla copias suas à Mithridate repressas à fuga reuocauit his verbis omni memoria dignissimis, Eia, inquit, abite mei milites, ego quidem maneo, vt honeste vitam profundam: macti virtute estis, abite quo placet. At rogati dehinc, vbi dux vester hæreat, mementote, quæso, respondere ab ipso Orcomeni relicto vos decessisse. Tantos autem stimulos omnium animis his verbis iniecit, vt à fuga pede reuocato audentius in hostẽ non nisi parta victoria irent.

In vltimis bellis Turcarum & Persarum inter se, milites mota seditione contra Mustaffam capitaneum Turcicum nõ verebãtur asserere, nolle

se

se fluuium Cancho transire. Mustaffa rebellibus, quoad poterat, ea die demulsis, postero die equo fluuium ingrediens clara voce ingeminauit: Maledictus omnis, qui stipendia nostri regis merens tranantem me non sequitur. Dicto citius certatim omnes sequuti, quisque pro se inter primos transire contenderunt.

CAPVT VII.

De eloquentia alijsque virtutibus, quibus ducem ornatum esse decet.

VERBA quidem iam ante de eloquentia fecimus: at nihil obstat, quo minus & hic eam attingamus. Qua quidem, si dux pollet, maximas res conficit: hac enim militem fatigatum reficit, segnes excitat: timidos consolatur, pusillanimis animum addit. Et summatim vt dicam: Habet eloquentia ad instar pharmaci, cuius vsus vbique potest salutaris esse.

Cæterum lubet hic longius aliquanto de eloquentiæ viribus euagari, & quantum ea ad permulcẽdos hominum animos valeat, exemplis vndequaq; petitis ostendere: præmissis tamen prius veterum de Eloquentiæ viribus sententijs. Sic autem de *communi* ipsorum *Mercurio*, quanquam Ethnico more, Aristides loquitur. Initio, inquit, cum essent recẽs nati homines, magnus inter hos ac reliqua animantia tumultus erat, perturbatioq; super teriã, propterea quod non possent inuicem vti sese: nec enim vlla res intercedebat, q̃ illos cõciliaret: verum qui potentiores erant, opprimebant

bant inferiores, neque satis erant idonei, vt reliquis animantibus resisterent: omnibus enim illis omni ex parte inferiores erant, aliaq; in re ab alijs vincebantur: veluti ab vniuerso genere volucriũ, celeritate: vnde factum est, vt, quod ait Homerus, Pygmæis accidere à gruibus, id tum passim à robustioribus auibus paterentur homines. Rursum quantum ad vires attinebat, longe superabãtur, & à leonibus, & ab apris, & alijs item compluribus: atq; hunc in modum silentio peribant. Iam vero quoad munitionem ornatumque corporis non coruis modo, verum etiam cocleis cedebant, neq; cuiquam ex ipso suppetebat, quod ad tuendam vitam erat opus. Itaque cum ad eum modum interiret hominum genus, ac paulatim dilaberetur: Prometheus (vt est semper hominum studiosus) orator ascendit in cœlum, mortalium homine, nõ ille quidem missus ab eis, neque enim id temporis legatos vllos erat cernere, sed ipse vltroneus abijt. At Iupiter partim in gratiam Promethei, maxime qui iusta postulare videretur, partim negotio apud sese considerato filium suum Mercurium iubet ad homines descendere, Eloquentiam secum adducentem. Edixit autem, vt eam mortalibus impertiret, non quemadmodum Prometheus, omnibus ex æquo sensus reliquiaq; corporis membra, perinde quasi theatralem pecuniam dispertiens, vt omnes ex æquo eloquentiæ essent participes, non aliter quam oculorum, manuum ac pedum: sed vt prestantissimos quosque ingenioq; generosissimo & indole pollentissima preditos deligeret, atque ijs demum munus hoc impertiret;

vt pa-

Digitized by Google

vt pariter & ſuam ipſorum & aliorum incolumitatem tueri poſſent. Porro poſteaquam iam Eloquentia ad mortales peruenisſet, cum negotium, quod habebant cum belluis moleſtiſſimum, licebat effugere, tum vero deſierunt vndequaq; inter ſeſe ſimultatem exercere, reperto commerciorum initio: digreſſique de moribus, alij in aliam orbis partem iungebantur: principio quidem ſub dio viuentes: poſt autem, vbi verbis inter ſe communicaſſent, & ciuitatem condiderunt, ac diſtributi ſunt, non quemadmodum antea, temere, verum in ordines plebis ac belli duces, ſanctisque legibus tum principes, tum Reipublicæ ſtatum inſtituerunt: ijs munera cœperunt offerre, primitias, auſpicantes ab oratione, quibus nunc quoque vel maxime gaudere Deos conſentaneum eſt: quandoquidem hoc contigit, vt primũ eſſe Deos cognoſceremus. Hinc deinceps ita creuit homo, vt qui initio debilis fuerat atque inualidus, poſtea in altum tolleretur: quique antea pro nihilo habitus ac deſpectus erat, deinceps factus eſt omnium, quæ ſunt in terra, dominus: cui, quibus vti liberet, ius eſſet, non alio propugnaculo ſibi parato quam oratione. Hactenus Ariſtides. Extat conſimilis apud Platonem de Protagora. Quibus conſonat, quod Fabius lib. 2. cap. 17. Deus, inquit, ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem ſeparauit à cæteris, quæ quidem mortalia eſſent, animalibus, quam dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate, præſtantiora in illis mutis videmus: Eadem minus egere acquiſitæ extrinſe-

trinſecus opis,nam &ingredi citius,& paſci,&tra-
nare aquas,citra docentem , natura ipſa ſciunt: &
pleraq; contra frigus ex ſuo corpore veſtiuntur:&
arma ijs ingenita quædam,&ex obuio fere victus,
circa quæ omnia multus hominibus labor eſt.Ra-
tionem igitur nobis præcipuam dedit, eiusq; nos
ſocios eſſe cum Dijs immortalibus voluit.Sed ipſa
ratio neq; tam nos iuuaret,neq; tam eſſet in nobis
manifeſta, niſi quæ cõcepiſſemus mente,promere
etiam loquẽdo poſſemus. Quod magis deeſſe cæ-
teris animalibus quam intellectum &cogitationẽ
quandã videmus: Nam & moliri cubilia, & nidos
texere,& educare fœtus & excludere, quinetiam
reponere in hyemẽ alimenta , opera quædam no-
bis inimitabilia(qualia ſunt cærarum&mellis)effi-
cere, non vllius fortaſſis rationis eſt. Sed quia ca-
rent ſermone, qua id faciunt,muta &irrationabi-
lia vocantur. Deniq; homines,quibus negata vox
eſt, quantulũ adiuuat animus ille cœleſtis. Quare
ſi nihil à Dijs oratione melius accipimus , quid tã
dignũ cultu atq; labore ducamus, aut in quo ma-
limus præſtare hominibus,q̃ quo ipſi homines cę-
teris animalibus preſtent,Eo quidem magis,quod
nulla in parte plenius labor gratiam refert,id adeo
manifeſtũ erit,ſi cogitauerimus,& vnde &quouſ-
que iam profecta ſit orandi facultas, & adhuc au-
geri poteſt. Nam vt omittam, defendere amicos,
regere conſilijs ſenatũ,populum,exercitũ, in quæ
vult, ducere,quã ſit vtile,conuenq; bono viro:
nonne pulcrum vel hoc ipſum eſt, ex cõmuni in-
tellectu verbisq;, quibus vtantur oẽs, tantũ aſſeq;
laudis&gloriæ,vt non loqui & orare,ſed q̃ Pericli
contigit,fulgurare ac tonare videaris? Extat apud
Gal-

Gallos inusitata Herculis, quē illi vernacula gentis lingua Ogynium vocant, effigies, de qua Budęus in añot. ad Pandect. ex Luciano ita refert: Senex apud illos est, ad extremū vsq; occipitiū recaluus, reliqs capillis, si qui sunt, canis; cute rugosa, & aterrimū exusta colorem, cuiusmodi sunt nautæ isti senes, Charontē potius aut Iapetū quempiam ex ijs, qui apud inferos versantur, diceres: in summa, quiduis potius, quā Herculem esse conijceres ex imagine. Atq; tali specie cum sit, tamen Herculis ornatum gerit, vt qui tum leonis exuuium indutus sit, tum clauā dextra teneat, tum pharetrā humeris aptatā portet, tū arcum læua prætendat, deniq; modis omnibus Hercules est. Hæc equidem arbitrabar in Gręcanicorū Deorū contumeliam perperā facere Gallos, cū eum eiusmodi fingerent effigie, quo nimirum illum talib. picturis vlciscerentur: q̄ olim in regionem ipsorum incursasset, prædas agens id temporis, cum Gerionis armenta vestigans occidentaliū gentiū plerasq; regiones peruastaret. At nondum etiam dixi id, q̄ erat in imagine maxime nouū atq; mirandū: siquidem Hercules ille senex ingentem admodum hominū multitudinem trahit, omnibus ab aure reuinctis. Porro vincula, catenulæ tenues auro, electroque confectæ, pulcerrimis istis monilibus adsimiles, atq; cum vinculis vsque adeo fragilibus ducantur, tamen neque de fugiendo cogitant, cum alioqui commode possint, neq; prorsus obnituntur aut pedibus aduersus trahentem obtrudunt, sese resupinantes: verū alacres ac læti sequuntur ducentem, admirantes, vltro festinantes omnes, & laxatis vinculis etiam

anteuertere ſtudentes, perinde quaſi grauiter laturi, ſi ſoluerentur vinculis. Nec illud quidem pigebit referre, quod mihi videbatur omniũ abſurdiſſimum. Etenim cum nõ inueniret pictor, vnde cathenularum ſummas anſas necteret, videlicet dextera iam clauam, læua arcum tenente, ſummã Herculis linguam perterebrauit, atq; ex hac religatis cathenulis eos trahi fecit: ipſe nimirũ ad eos, qui ducebantur, vultum ac oculos conuertebat, arridens. Hæc ego cum diutius aſſiſtens eſſem cõtemplatus, admirans, hæſitans: indignans Gallus quiſpiam, qui propius aſtabat, noſtrarum literarũ non indoctus, id quod declarauit, cum Græcanicam linguã abſolute ſonaret, Philoſophus opinor, ex eo genere Philoſophorum, quod apud illos eſſe fertur: Ego tibi hoſpes, inquit, picturæ illius ænigma explicabo; nam videre vehementer ad eam attonitus ac ſtupefactus: Orationem nos Galli nequaquam arbitramur eſſe Mercurij, quemadmodum vos Græci: verum Herculi illam tribuimus, propterea quod hic Mercurio longe robuſtior extiterit. Quod ſenex fingitur, nihil mirere; ſiquidẽ vna facultas dicendi vel facundia, conſueuit in ſenecta demum abſolutum vigorem oſtendere, ſi modo verum noſtri dicunt Poetæ. Hinc videlicet apud nos & Neſtoris lingua melle profluit, & Troianorum cõcionatores lirieſſam educunt vocem, videlicet floridam: Nam liria, ſi ſatis commemini, flores appellantur. Proinde, ꝙ ab auribus vinctos, ad linguã trahit ſenex hic Hercules, qui nõ aliud quam ipſe eſt ſermo, ne id quidẽ debes admirari, qui quidem non ignoras, linguæ cum auribus eſſe cogna-

cognationem. Neq; vero ad cõtumeliam illius illud pertinet, quod ea pertusa est: nam nemini, inquit, & iambicos quosdam versiculos è comœdijs apud vos discere. Siquidem viris loquacibus extrema lingua perforata est omnibus. Quin de eodem hanc habemus opinionem, vt quicquid egit, id oratione facundiaq; cõfeciſſe putemus: vtpote virum sapientem persuadendo pleraq; sibi subegiſſe. Iam tela illius, nimirum rationes sunt acutæ, missiles, citæ, atq; animum sauciantes: vnde pennigera dicta vos quoque appellatis, &c. Vsque adeo verum est quod Cicero libro 1. de Oratore: Neque vero, inquit, quicquam præstabilius est, quam posse dicẽdo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, vnde autem velit, deducere. Hæc vna res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque ciuitatibus præcipue semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exiſtere vnum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus cum paucis facere possit? Aut tam iucundum cognitu atque auditu, quam sapientissimis sententijs grauibusque verbis ornata oratio & perpolita? Aut tam potens tamque magnificum, quam populi motus, iudicum religiones, senatus grauitatem, vnius oratione conuerti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel pro-

uocare improbos, vel te vlciſci laceſſitus? Age vero, ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamque mediteris, quid eſſe poteſt in otio aut iucundius, aut magis proprium humanitati, quã ſermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim vno præſtamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus. Quamobrem quis hoc iure miretur, ſummeq; in eo elaborãdum eſſe arbitretur, vt quo vno homines beſtijs maxime p̃ſtent, in hoc hoĩbus ipſis antecellat. Vt vero iam ad illa ſumma veniamus, quæ vis alia potuit, aut diſperſos homines vnum in locũ congregare, aut à fera agreſtiq; vita ad hunc humanũ cultum ciuilemq; deducere, aut iam cõſtitutis ciuitatib. leges, iudicia, iura deſcribere? Ac ne plura, quæ ſunt plane innumerabilia conſecter, comprehendam breui; ſic enim ſtatuo: Viri eloquẽtis moderatione & ſapientia non ſolum ipſius dignitatẽ, ſed & priuatorum plurimorum, & vniuerſæ Reipublicæ ſalutem maxime contineri.

Cæterum, vt inquit Cælius lib. 1. c. 31. leuia iſta poſſunt cenſeri. At certe, ſi conſideret qs humanæ linguæ incomparabile donũ, in quo bonitas infinita, inæſtimabili munificentia nos, vt legitimos liberos eſt amplexata, mirari an venerari illud cõueniat, addubitabit. Quantam enim in humanis rebus habet excellentiam; vſu linguæ poſſe hominem, quæ minus intelligentia conſequatur, ab altero tota facilitate percipere, quæque noris ipſe, magna tua gloria alijs impertiri? Eximiũ eſt quod inde profluit emolumentum, parturiente ſemper animo, quæ vel obſeruaris intentiſſime, vel ſumo exco-

excogitaueris ingenio. Nescire malumus magna pars, quam in id tantis laborib. & curis profeciſſe, vt abdita illatebrataq; velut in sanctuarijs aut sepulcro verius, tam pretiosa supellectilis munera supprimamus. Quid illa in calamitatibus, tanquã oneris præmolesti alleuatio, cum amicis communicatio? Quid secundis rebus incredibilis & gestiens ille ardor animi eisdem impertiẽdi boni? Deniq; vt rei pretium intelligamus, q̃uam & quanta cõmolita natura est, vt decẽter orationis euaderemus cõpotes? Omnium primũ artifex illa in pulmonibus spirãdi officina nobilitatis huius præstat exordia, mox illa spiritalis fistula, quam etiam arteriam dicimus, ad os producta intimũ velut canali à mente perfectã vocẽ ita subuehit, ac excipientis linguæ ita attudit, vt artifici motu, nũc illa in palatũ surrecta, nunc allisa dentib. alioqui barbaricũ insuauemq; sonũ sic moderatur effingitq;, vt auribus contingat iucundissimus, & vehementia quandoq; detonans altius, imo vero clarius fulgurans, tã potẽter mouet, docet argute, & ad delitias vsq; ita delectat, afficitq;, vt ꝙ de Olympio dictũ Pericle est, nõ Græciã modo, sed vniuersa fere, valeat permiscere. Quid vbi in modulatũ cœlestẽq; exit cantũ, nunc spiritu productiorẽ, nunc inflexo varium, nunc distinctũ conciso, copulatũ intorto, & ꝙ nequeas admiratione consequi, est vbi promittit, reuocat, infuscat, plenius edit aliq̃d, graui⁹, acutius, vibratius, summũ, mediũ, imũ. Propterea ingenioſe ac plausibiliter mihi feciſſe videtur, qui linguã plectri similem prodidere, chordarũ vero dentes, nares cornibus, queis canenti accinitur.

Quid veto labia, nonne & ipſa in homine præſignem in cæteris rationem habent. In brutis quidem dentium modo hæc tegumenta ſunt & velut procæſtria quædam: At nobis etiam in loquendi facultate mirabile ſuggerunt adiuamentū: indeq; mollia carnoſaq; à rerum natura effecta ſunt. Vt igitur humana lingua duplici fungitur munere, conceptus animi nunciando & ſaporum vim præſentiendo, proptereaq; à cæteris diſparatur, nec ſimilis eſt: ita nec in labijs ſimplex functio eſt, ſed dentes quidem cum decore contegunt plurimo, tum locutionem præſtant articulatam, ea namq; conflatur ex literis, quarum enunciatio plurimum obturbata, detruncata, nec intelligibilis præſtaretur, ni ad hanc rationem labra, linguamq; conformaſſet artificis infinita prouidētia. Sunt porro labia, vt ſcienter colligit Auicenna, oſtij vice ori adiuncta: quod brutis comparatum creditur, ad explendam victus neceſſitatē, in homine promtuarium eſt rectæ rationis, vt quæ prudētia corde cōceperit, ea ſenſu promat oratio. Vnde eleganter Apuleius, os eſſe dicit, animi veſtibulū, orationis ianuam, cogitationū vero comitium. Ambroſius in Hexamero, id quod ſupra etiam dictū eſt, linguam, plectrum loquentis appellat, cuius carnē, vt omnia poſſet munificentius præſtare, opifex Deus ſtruxit ratá, fungoſam & mollem, quæ tamen ſola, vt inquit Cic. lib. 2. de nat. deorum, non poteſt per ſe eloquendi munus implere, niſi ācumen ſuum palato illiſerit, niſi adiuta vel offenſione dentium vel compreſſione labiorum. Sed à teſtimonijs ad exempla transeamus.

Pyr-

Pyrrhus dicere ſolitus eſt, plures vrbes Cineam oratione ſubegiſſe, quam ipſe cepiſſet armis. Erat autẽ Cineas Theſſalus vir magni ingenij, qui audito Demoſthene, ad illius æmulationem ſe contulerat; ſed vim præcipue exprimens. Confirmatum itaq; eſt, quod dicit Euripides: Cuncta ſermo conficit, quæcunque ferrum efficere poſſit hoſtium.

Orator Aphthonius ſæuos carnifices ad ſe occidendum miſſos & iam ſtrictis mucronibus irruentes, blanda oratione cõpeſcuit, viciſſetq; crudelitatem eloquentia, niſi vnus ex eo numero, qui eum loquentem non audierat, cæteris iam digreſſis ſuperueniens, velut aſpis incantatoris voce nõ audita, virus in illum ſceleſti miniſterij effudiſſet. Sed quid hominum exempla conquirimus? Vrſos videmus, pardos ac leones, atque alias truces & præualidas belluas blanditijs delinitas, parui domitoris imperium patienter excipere, nexus inſuper & minas & verbera: volucres cœlo vagas contra primæuam naturæ ſuæ legem, humanam ſocietatem anteponere libertati, vitam in vitrulis agere operto capite, præceptoq; etiam patriæ natalis aſpectu famem ſuam nutritoris arbitrio moderari, de illius manibus cibum ſumere, vocem iubentis agnoſcere, clamoribus obedire, ita ad emittentis arbitrium & reuerti, optimasq; prædas non ſibi, ſed domino reportare.

Regibus Roma exactis plebs diſcedens à patribus, iuxta ripam fluminis Acienis, in colle, qui ſacer appellatur, armata conſedit, eratq; non ſolum deformis, ſed etiam miſerrimus Reip. ſtatus à ca-

pite eius, cætera parte corporis pestifera seditione diuisa, ac ni Valerij subueniisset eloquentia, spes tanti imperij ipso pene ortu suo corruisset. Is namque populum noua & insolita libertate temere gaudentem, oratione ad meliora & saniora consilia reuocauit, senatuiq; subiecit, id est, vrbem vrbi iunxit: verbis ergo facundis ira, consternatione arma cesserunt.

P. Rullus Trib. pleb. aliquando agrariam legem laturus erat populo, in qua cum de diuidendis in capita possessionibus ageretur, cui dubium erat, quin ei populus plurimum inhiaret, & omnia enixurus videretur, vt lex promulgari posset: eam rem, cum senatus permoleste ferret, neque tamen ad eam impediendam modum vllum haberet, Cicero vnus, habita oratione, adeo populi ipsius mentes permulsit atque permouit, vt vltro legem populus repudiaret. Quid enim hoc aliud fuit, nisi esurienti populo persuadere, vt cibum, quem pergratum mordicus apprehenderat, iam dentibus commasticatum, in guttur stomachumq; ne recipere vellet. Vnius igitur Ciceronis eloquentia plusquam totius auctoritas senatus ad impediendam eam legem effecit.

Alexander Magnus, interroganti, quomodo tam breui tempore totius orbis imperium obtinuisset, respondit: Consilijs, eloquẽtia & arte imperatoria. Illaturi arma Messenijs propter violatas virgines suas Lacedæmonij ab oraculo Apollinis moniti, opem ab Athenienſibus petierunt. A quibus irrisi nil aliud quam Tyrtæum Poetam, ischia debilitatum senemque retulerunt,

Lace-

Lacedæmones autem vt oraculo parerent, exercitui Tyrtæum ducem præfecerunt. Illatis autem armis cum repulsi essent, domumque reuerti rex decreuisset, Tyrtæus carminibus quibusdam recitatis, quibus ad virtutem constantiamque Lacedæmones hortabatur, atque consilia, quibus bellum gereretur, proponebat; adeo omnium commouit animos, vt mutata sententia vel vincere, vel in acie occumbere decreuerint. Itaque alijs abiectis vnius sepulturæ cura suscepta, omnes lacertis suis inscripta sua atque parentum nomina alligarunt: vt, si mori in prœlio contigisset, nominis inscriptio deformata vulneribus & tabo corpora distingueret, vt à cognatis sepulturæ mandarentur.

Ex quibus omnibus satis abunde constat, maximas esse tam bello quam pace eloquentiæ vires, proindeque in vtrauis potentia requiri viros eloquentes, qui vi vocis potius quam Martis, feritatem morum lenire queant. Hæc enim in bello est causa, quo minus in castris ardeat contentio; hæc in Republica est causa, quo minus in vrbe fiat seditio. Maior enim vis est in voce eloquentis quam in pugnantis manu, vti ex superioribus satis apparet.

Neque tamen hæc eloquentiæ soli & per se absque cæterarum virtutum respectu considerate adscribendæ sunt, siquidem hanc necessario comitantur liberalitas, comitas aliæque virtutes, sine quibus nihil habet virium eloquẽtia. Quodsi enim belli præses priuatis cõmodis nimiũ inhiat, omnia susq; deq; feruntur, nec est, vt de militum

con-

constantia atque in gerendis rebus alacritate, certum quid ac solidum sibi pollicentur. Atq; ex hac causa fortes & egregij olim imperatores & militũ duces, plerunq; gloriam & celebre nomen pluris fecerunt quam opes, spolia & prædas hostiles, dũmodo tempestiue illas colligerent, illaq; contenti militibus suis has reliquerunt. Quo nomine insigniter cõmendatur ab Historicis M. Curius Dentatus, is enim cum interuersæ pecuniæ arguerentur, cadum ligneum, quo vti ad sacrificandum consueuerat, in medium protulisse fertur iurauisseq;, se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse, cum tamen antea in senatu ita dixisset: Tantum agri cepi, vt solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepissem: tantum porro hominum cepi, vt fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepissem. Hunc imitatus est Paulus Æmilius. Is enim cum Perseo potentiss. rege Macedoniæ deuicto, Macedonicis opibus veterem ac hæreditariam vrbis paupertatem satiasset, penates autem suos nulla ex parte locupletiores feciſſet, præclare secum actum existimauit, quod ex illa victoria alij pecuniam, ipse patriæ salutem & gloriam sibi parasset. Eadem de Catone perhibẽtur, Is enim cum Hispaniam citeriorem & in hac quadringentas vrbes cepisset, de præda, quæ fuit ingens, ad se nihil redijsse affirmauit, nisi quæ ederit & biberit. Ipse enim (vti verba ipsius apud Plutarchum recensentur) cum optimis (inquit) de virtute, quam de pecunia cum ditissimis, aut auaritia cum auarissimis contendere malo. Eodem modo, vt ad exempla recentiora perueniamus,

Digitized by Google

mus, apparet ex oratione Tamberlanis Tartarorum principis potentissimi, quam ad captum Baiazetem Turcorum tyrannum habuit, eum tam barbarum non fuisse, quin magis gloriam quam spolia sectatus sit. Ita enim captiuum suum, muliebriter aduersam sortem deplorantem, inter alia compellat: Valeat aurum, valeant vniuersa spolia, magnæ diuitiæ tuæ vndecunq; collectæ, quando abest gloria quam maxime expetebam. Ac scribit Iustinus historicus de Scythis, eos victores præter gloriam nihil concupiscere. Quo congruit, quod de imperatore Turcorum Solimano traditur. Inter alia enim quæ in oratione ad Philippum Valerium Magnum, capta Rhodo, habuit, etiam hæc ipsius verba recensentur: Haud enim, inquit, bella gero, vt diuitias & opes comparem: sed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationē imperij tuendo. Est enim regis sanguine regum orti proprium, rapere arq; inuadere aliena, non quidem auaritia, sed glorioſa cupidine dominandi, cui cum obstat vicinus, armis & vi eum tollere satis habeo, &c. Extat etiam præclara vox Sanctij, Nauarrorum regis, in oratione, quam M. Antonius Muretus in oratione quadam ad Pium IV. Pontificem Rom. nomine Antonij Borbonij, regis Nauarræ habuit. Cum enim deuictis triginta barbarorum regibus, qui Castellæ regnum in Hispania duce atq; imperatore Smaragdo occupauerant, milites omnes vnanimi consensu Sanctiū obsecrarent, vt quantū sibi ipse vellet, ex omnibus rebus sumeret, nemoq; esset in vniuerso exercitu, qui non ita sentiret atque prædicaret: quantam-

tamcunque ſibi partem ex ijs vel depoſceret, vel etiam ſuo iure ſumeret Sanctius, nunquam tantum ad eum peruenturum eſſe, vt non multo plus ipſius virtuti præclarisque factis deberetur. Ille alacri vultu, cum gratam ſibi illam eſſe exercitus voluntatem ſignificaſſet, Non me, inquit, barbaricarum opum cupiditas, vt in hoc bellum ingrederer, aut in prima acie ſtans corpus meum telis hoſtium obijcerem, induxit: Chriſtianæ mihi pietatis ardor, & huius pulcerrimæ regionis, ab iniuſto immanium belluarum dominatu vindicandæ ſtudium, faces ad eam rem & ſtimulos ſubdiderunt. Nunc cum id, quod volui, diuino beneficio, & veſtra, milites, virtute conſecutus ſum, non committam, vt maiori animo videar armatorum & ſtantium copias, quam inermium & iacentium ſpolia contemſiſſe. Ornamenta iſta ſint primum immortalis Dei diuorumque templis ac delubris, vt partim in ſacrarijs repoſita, partim à tholis pendentia propagent in omne tempus memoriam noſtri, poſterosque noſtros ad ſuſcipiendam ſemper magno animo religionis noſtrę defenſionem exſuſcitent: ditent cætera egenos & exhauſtos, pro ſuis quemque meritis, milites, vt cum iuuentutis ſuæ firmitatem in periculis & laboribus conſumſerint, habeant olim, quo ſenectutis infirmitatem in tranquillitate atque in ocio ſuſtentare poſſint. Ego quidem, quod ad me attinet, præter has catenas, quas ſpectantibus adiuuantibusque vobis perfregi, atque perrupi, & præter illam gemmam, quam meis manibus deiectam illic iacentem

tem videtis (hæc autem dicens, oſtendebat illis proſtratum & in ſanguine ſuo exanimem Smaragdum) nullam omnino mercedem, nullum præmium poſtulo aut appeto. Ergo ad conſeruandam tam nobilis victoriæ memoriam, ſimulque & incitandos ſucceſſorum ſuorum animos & ipſe poſtea catenas pro inſignibus geſtauit, & inſtituit, vt ijſdem inſignibus cæteri poſt ſe reges vterentur. Ac quoniam eo in prælio præcipuum, quem dixi, barbarorum ductorem Smaragdum ſua ipſe manu obtruncauerat, eiuſdem nominis gemmam medio illarum catenarum complexu voluit contineri. Recte itaque Bodinus ex ſententia Ariſtotelis, principem inſtituendum putat, vt ſolida veraque laude paſcatur, in eaque ſenſim adoleſcat, qui ſi gloria, inquit, non erit contentus, in tyrannum euadet. Quæret enim opes ac voluptates, hinc ad rapinas & ſtupra conuertetur. Si vero gloriæ cupidus erit, non modo infamiam ac vitæ turpitudinem fugiet, ſed etiam intelliget, verum decus in ſola virtutis actione verſari, qua quidem regat improbos, tueatur bonos, factaque fortium & ſapientium laudibus ac præmijs, cum improborum ignominia ſempiterna, proſequatur.

Pleriq; ſane noſtro tẽpore ita ſunt affecti, vt neglecto ac ſepoſito publico emolumento, priuatæ rei augẽdæ ſolũmodo ſtudeãt. quo fit, vt res Chriſtianorũ afflictior ſit quã exiſtimaẽ; cũ tamen illis in mentẽ venire deberet id, q̃ Pericles apud Thucydidẽ prudẽter ita monet: Nã cũ euertitur patria, is cui priuatim bene eſt, nihil tamen minus & ipſe euer-

euertitur; cui autem male, is in illa prosperе agē-te, multo magis incolumis est. Quo etiam respexit Cæsar in oratione ad suos legatos & cēturiones, apud Dionem: Ac priuatim, inquit, quidem nemo omnium ita potest lætis rebus vti, vt non idem cum republica corruente pereat: at Resp. si prospero successu vtatur, etiam priuatorum omnes potest calamitates subleuare.

CAPVT VIII.

Vtrum potentia mari præstantior sit ea, quæ terra habetur.

HACTENVS ea tractauimus, quæ ad augendum populum & roborandum valent: comparate nunc loquamur cōferentes primum potentiam marinam cum terrestri, deinde vero peditatui equitatum.

An marina præstet terrestri, vt nec quęstione sic nec solutione digna forsitan esset, nisi scrupulum injceret illud vulgare, quo dicitur, eum qui mari dominatum obtinet, facile eundē in arido quoque atq; continenti obtinere posse; id quod tamē neq; cum communi ratione neq; cum experientia consonat, imo plane repugnat. A ratione abit: quia potentia terrestris non indiget marina: hæc vero omnino illam requirit. Terra enim suppeditat arma, populum, apparatumq; bellicum: quid quod potentia terrestris vtiliter adhiberi potest marinæ, marina vero terrestri non item?

Hinc perpetua rerum serie edocti scimus, nullū imperium, quod marina potentia stetit, late se in aridum

aridum extendisse: vt nec ipsorum Candiotarum, qui, vt Aristoteles sensit, natura ad dominium maris videntur facti: siquidem primi fuerunt, quibus inuentum rei nauticæ tribuitur. Idem etiam conuenit in Lydios, Pelasgos, Rhodios, Phœnices, Ægyptios, Milesios, quamuis successiue maris dominium habuerint.

Contra vero planum est, ampla continentis imperia mari, quoties lubuit, potita. Romani terrestribus suis copijs intra quadraginta dies, instructissimam classem in mare duxerunt, & aliam postea, qua Carthaginensibus maris dominium ademerunt. Iulius Cæsar nudus quidem erat ab apparatu nautico: at vrgente necessitate intra biennium tanto erat instructus, vt Venetos tum temporis maris dominos debellatos eijceret: Britanniam maiorem ad deditionem compulsam vectigalem redderet: Pompeiumque, qui copijs terrestribus potens admodum erat, vinceret: quo deuicto nunquam deinceps prælio nauali pugnauit. Ab eo tempore, quo imperium Romanum labascere cœpit, maris imperio inprimis potiti fuerunt Vandali, Saraceni, Turcæ: qui omnes Barbari, procul à mari nati, ventorumq; ac rerum naualium prorsus imperiti fuerunt. Adiuti vero terrestri potentia principio quidem portus, at tẽporis progressu ipsas etiam insulas occuparunt. Vandali enim ex Hispania in Africam sub rege Genserico traijcientes Siciliam adorti: atque irruentes in Italiam, regione illa deuastata nemine resistente Romam, imperij metropolin, deprędabantur. Eodẽ modo Saraceni Africa & Asia domi-

tis facile in omnes insulas incursiones fecerũt, afflictaq; Cõstantinopoli plurima ex parte nostras ditiones deprædati sunt. Turcæ copijs suis terrestribus etiam mari potiti sunt, adeo vt abhinc centum annis naues eorum nemine impediente hinc inde in mari cursitare conspiciantur.

In bello Indico duo erant Portugalensibus duces, ijq; insignes, Franciscus de Almeida & Alfonsus Albukercensis, qui in illis bellis vehementer dissentiebant. Dux. n. de Almeida nõ laborabat in occupandis vrbib. & regionibus: cõsilium enim erat, ingenti copiarũ naualiũ manu dominiũ maris acquirere, & sic omnia cõmercia captare: cogereq, mercatores & principes, quibus mari iter & commercia essent, vt tributa penderent. At Albukercensis re exactius pensiculata animo statuebat vel vnica tẽpestate posse omnẽ illam classem naualem plane interire, aut alio casu affligi, qui nõ tantum partam gloriam & auctoritatem adimeret, sed etiã imbelles maris dominos, vtpote terrestri potentia destitutos, redderet. Occupatis itaque Malacca & Ormus, pollentissimaq; vrbe Goa, ad quam præsidio Portugalensium obfirmatam, tutam nauibus stationem extruxit, infidelium conuersionem mirum in modum iuuit. Iure itaq; fundamenta dominatus, quem in India exercent Portugalenses, ipsi sunt accepta referenda. Nisi enim metropolis Goa lignis, ære, milite, armis & commeatu copijs naualibus opem tulisset, non potuisset fieri, vt tanto tempore Portugalenses in medio hostium inclusi durarent.

Non equidem diffiteor, quin aliquid terrestri poten-

potentiæ ex marina accedat: non quidem ſuppeditando robur & vires: ſed celeritatem expediendi promouendo. Quo enim terreſtres copiæ maiores, eo ad itinera ſunt tardiores & ineptiores. Difficulter exercitus, difficilius frumenta, difficilime vero apparatus bellici coguntur. Itineribus prolixis abſumuntur equi, affliguntur milites, ob continuam aeris mutationem. Quinetiam omnia maioribus conſtant ſumtibus terra quam mari. Exemplo nobis eſt Turca, qui Conſtantinopoli ad Vngariæ limites aut Perſiæ viciniam quoties deuenit, in regreſſu deinceps non tantum fere optimam æſtatis partem inſumit, ſed etiam optimum exercitus florem variis caſibus deperdit: vt lucro damnum ſi non ſuperius, at minimũ par ſit.

Ideo itaque labores alleuat apparatus nauticus, quia facilius omnia transferuntur. Breui enim tẽpore ingens exercitus vna cum alijs impedimẽtis procul aſportari poſſunt: & qui mari dominatur, multis in locis hoſtẽ nihil tale opinantem adoriri, reprimere & conſilij ancipitem reddere poteſt. Hinc illud Coſmo Medices familiare: Non habendum potentem, qui potentiæ terreſtri non ſimul etiam naualem habeat coniunctam.

CAPVT IX.

Vtrum præſtet equitatus an peditatus.

VERE & breuiter vt dicamus, aſſero, peditatum equitatu meliorẽ & vtiliorem: vtpote ad plura negotia cõmodiorem. Primas tamen dabimus equitatui in planitie, quod plerunq; copiæ equeſtres in planitie palmas & victoriam reportant.

Ad oſtendendam aſſertionis veritatem adduco Xanthippũ: qui animaduerſa commoditate Punici equitis & elephantorum, de monte ijs in planitiem deductis victor euaſit. Sic plurimas victorias peperit Annibali equitatus, cum in planitie pugnaret. Hinc Fabius Maximus è montib. alijsq; locis, in quibus ab equeſtrib. copijs minus ipſi metuendum erat, nunquam ſeceſſit.

Immediata quidem cauſa victoriarum Turcæ contra Chriſtianos in eo ſita eſt, quod Deus ſuos caſtigat & punit, proxima vero, quod equitatum ille ex loco plano confligere iubet. Multis perſuaſum eſt heruum rei bellicæ Genizaros Turcis eſſe, ſed fallunt & falluntur. Ante enim, quam imperator Turcicus Genizaros nutriuit; occuparũt Bithyniam, traieceruntHelleſpontũ, Philippopolim & Adrianopolin expugnarũt: Principes Seruia & Bulgaria eiecerunt: Bis potiſſimũ, & rege Sigiſmũdo multoties, Chriſtianos vicerunt. Ab eo autem tẽpore, quo Genizaros alere cœperunt, grauiſſima ſæpius accepta cladẽ attriti fuerũt, à Ladiſlao rege Poloniæ, Ioanne Huniade, Georgio Caſtriotta, Vſuncaſſano rege Perſię, Mammaluchis, Matthia Coruino rege Vngariæ, fœderatis principibus Chriſtianis & hodierno rege Perſiæ.

Dicas quidẽ, à Genizaris pugnas iam collapſas reſtitutas victoriamq; hoſti tanquam è manibus ereptam: at ſurdo fabulam Genizari enim prope ducem ſuum adſtantes hoſtem continuo prœlio iam fatigatũ integri & necdum defatigati interdum fugant: in quo ſane q̃ admiratione dignum conficiant, non video, quippe quod idem etiam quæ-

quælibet ſiue peditum ſiue equitum turmæ, viribus ſuis adhuc conſtantes, æque facili, ſi non faciliori præſtare negotio poſſent. Quid eſt ergo tandē, vt Genizaros, qui numero plerunque duodecim aut quadraginta millia non excedunt, Chriſtianus princeps, qui tot numero milites ſub aexillis ſuis habet, ſiue ij ſint Germani, ſiue Heluetij, ſiue Hiſpani, ſiue Itali, ſiue Guaſcones, extimeſcat? cedat? viribusne corporis an animi? Sane Chriſtianorum peditatus ſemper Turcicum adæquauit. At, inquis, fuſi ſumus, fugati? Factum id eſt per equitatum, qui meliore loci cōditione captata viarum aditus interſepſit, conſilia noſtra interuertit, commeatus aut prohibuit, aut abſtulit, auxilia moratus eſt, fatigauit, trucidauit: id quod viderunt noſtri Varnæ, Nicopoli, Mugacchij, Execchij, Liuenzæ & alibi. Contra vero experti aliquoties ſumus, Turcas, qui plerunq; alios pedites bene inſtructos vicerunt, aut victos aut diſiectos eſſe ab ijs, qui equitatu fuerūt pares, puta, à Mamaluccis, Polonis, Moſcouitis, Perſis, alijsque.

Equitatu itaque peditatus in planitie inferior eſt: ſed nec hic omnino eo carere poſſumus: At ſuperior in ſexcentis alijs, vbi equitatus plane eſt inutilis. Mari enim victoria omnino à pedite dependet. Vtriusq; ſane vſus in pugnis & velitationibus magnus eſt, maior tamen peditatus. Siquidem pluribus in locis, in montibus, ſyluis, vineis, vallibusq; vt & in oppugnationibus & defenſionibus vrbium nullus aut ſane perexiguus vſus eſt equitatus.

Hinc multa experientia comprobatum, copias magno equitatu, at pauco pedite in planitie hoſtem fugaſſe, pauca in cæteris memoratu digna geſſiſſe. Hoſtem enim, qui in vrbes & munitiones tuto ſe recipit, neq; obſidione, neq; alia vi premere vnquam nec expugnare potuerunt. Experti id ſunt Parthi in bello cõtra Craſſum & M. Antoniũ. Senſerunt hoc idem Perſæ olim imperium Romanum debellaturi: & noſtro ſeculo in bello contra Turcas. Nam in vltimis bellis, vt cætera omittam, Perſarum rex vtpote equitatu ſuperior & melior maxima damna Turcis paſſim attulit in planitie: at deſtitutus magno peditum agmine, nihil obfirmatum & munitum coercuit: neque Turcam ex vrbibus nuper occupatis alijsque munitionibus, quo confugerat, eijcere valuit. Quamobrem aio in planitie peditatum equitatui præſtantia longe imparem, at in alijs, vbi equites nullo modo peditatu carere poſſunt, vtiliorem & præſtantiorem.

Finis libri decimi & vltimi.

IOAN.

Digitized by Google

IOANNIS BOTERI DE VRBIVM ORIGINE, MAGNITVDINE ET SPLENDORE, succincta & absoluta Apodixis.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Quid ciuitas, & quæ magna dicatur; & quibus rebus moti homines primum cohabitare cœperint.

CIVITATEM hoc loco intelligi volumus collectam ciuium multitudinem, cui proposita est tanquã extrema ac finis, rerũ omnium satis magna abundantia: cuius & origo ad viuendũ, & institutio ad bene viuendum refertur, vti Arist. 1. Polit. definit. Congregantur enim homines propter acquirenda necessaria, vicissitudinaria inter se acquisitione. Nam bene viuere volentibus plurá exiguntur, quæ tamen per homines vnius ordinis procurari omnia non possunt. Cumque sex potissimum, iuxta Aristotelem, valde necessaria ad omnem ciuitatẽ requirantur,

Digitized by Google

quæ nominatim ſunt, alimonia, artificia, arma, pecuniæ, ſacra, iudicatio. Colligitur, quod in vrbe neceſſario requirantur agricolæ, artifices, milites, opulenti, ſacerdotes & iudices, vt Seſoſtris rex Ægypti primusque auctor huius partitionis olim præciare docuit. Cibi comparatio ad agricolas & paſtores, inſtrumentorum confectio ad artifices, armorum vſus ad milites, diuitiarum ſuppeditatio ad locupletes, ſacrorum procuratio ad ſacerdotes ſolum, iudicatio & ad tribunales iudices, & ad curiales ſenatores conſultoresq; pertinet; nã cõſultare eſt de rebus honeſtis & vtilibus iudicare: hęc, inquã, omnia ſunt adeo neceſſaria, vt ſine illis ciuitas nullo modo conſtare aut florere poſſit. Nã ſine victu & alimento ciues non viuunt, ſine inſtrumentis artes non exercentur, ſine armis nec contumaces & ſeditioſi in ordinem cogũtur, nec hoſtium impetus & iniuria propulſatur; ſine vi pecuniæ nec ſplendor domeſticus, nec decus vrbis, nec ſubſidium rei militaris quæritur; ſine ſacerdotio nulla religio, ſine religione nullus Dei timor, ſine timore Dei nulla iuſta actio, nullus probe viuendi ordo in ciuitate manet: quid multis? Sine iudicio & iudice, tribunalia, leges, nec non ipſa iuſtitia ſilent, omniaq; male ſuccedunt & peruertuntur omnia. Vnde recte Iſocrates, Ciuitatis, inquit, felicitas non magnificis murorum ſtructuris, neque ciuium numeroſa multitudine vel quęri vel contineri poteſt, ſed ſapientibus ac moderatis Reipubl. gubernantibus. Atque ea demum, vt idem Iſocrates de Pace inquit, ciuitas felix nominanda eſt, non quæ ex promiſcua hominum multi-

multitudine multos ciues temere colligit, ſed quæ antiquiſſimas & primas familias maxime conſeruare ſtudet. Hi etiã viri in præclaris habendi ſunt, nõ qui potiti imperijs ſæuitiam in ciues exercent, aut maiores opes ac potentiam, quam par & æquũ eſt, habẽt: ſed qui maximis honoribus digni ſunt, & illis tamen contenti viuunt, qui populi voluntate ipſis contigerunt. Nam tali auctoritate nemo ſiue priuatus, ſiue magiſtratus, neq; honoſtiorem, neque tutiorem, neque pretij maioris aut magis expetendam ſuſcipere queat. Atque hi ordines, quos diximus, diuerſi, ſeu communicationes officiorũ multiplices, quæ nihil aliud ſunt quam pluralitas & diſtinctio partium ciuitatis, ad conſeruationem vitæ factæ ſunt. Habent enim humanæ res ſe inuicem vt catenæ circuli, qui mutuo amplexu hærent, ſeque inuicem ſequuntur: quod ſi vnũ ex eis, quemcunque tandem attrahas, tota catena cum ſuo principio conſequetur: ita etiam quicquid in vitæ negotijs tibi ſumas, reliqua neceſſario ſequi ordine cõtinuo ſuccedentia deprehendes. Verbi gratia, ſi quis agriculturæ ſtudeat, annon oportet prius haberi artem fabrorũ lignariorum, & ante illam æratiorum? quam rurſus metalla fodientium ars præcedat opus eſt: Item qui fodinis vacant, ruri vt degere poſſint, corpore tegãtur neceſſe eſt, ad quod textores ac domus ſtructores requiruntur. Similiter & alia omnia ſi quęras & ſcruteris, inter ſe connecti reperies.

Porro, magnitudinem ciuitatum hic non eam, quæ ſpatioſo mœnium ambitu cenſetur: ſed eam, quæ à numero & præſtantia inhabitantium ciuiũ

nominatur, intelligo. Id quod hoc loco commonefaciendum putaui, hæc enim ignoratio Carthaginensibus olim maximæ fraudi fuit. Nam cum in senatu Romanorum de Carthagine exscindenda decerneretur, peruulgata fama, Carthaginenses legatos Romam miserunt, ne vrbem rerum ante gestarum gloria clarissimam, ac vrbis ipsius Romæ decus, monimentumq; victoriarū illustrium delerent. Nihilominus re diu multumq; in senatu agitata, decretū est, ad imperij Romani salutem deleri Carthaginē oportere, tum propter loci opportunitatem, tum etiam propter Pœnorū perfidiam, qui iam Romanorū socios bello lacessiuerant, & finitimos populos latenter ad defectionem inuitabant. Posteaquam ita decretum esset, legati Carthaginensium in senatum venire iubentur; quib. responsum est à Consule, vt in fide senatus populiq; Romani permanerent, obsidibus trecentis ac nauibus populo Romano datis; ciuitatem Carthaginēsium salua fore, iura, priuilegia, immunitates easdem habituros, quib. antea semper vsi fuissent. Legati accepto responso domum læti redeunt. Interea Scipio Africanus iunior accepta classe Carthaginem mature proficisci iubetur, & vrbē ferro flammaq; delere, saluis ciuibus ac rebus omnibus, quas ex vrbe exportare possent. Scipio Censorinū legatum mittit, qui posteaquam obsides vna cum nauibus Carthaginensium recepisset, iussit populum vniuersum Carthaginensem ex vrbe excedere: sic tamen vt quæcunque vellet, exportare, vrbemq; à portu remotiorem condere liceret. Carthaginenses, imperio ducis perterrefacti, fidem senatus

natus populiq; Romani appellant: quibus respon-
sum est, populum Romanum semper fidem colu-
isse, & quæcunque legatis eorum promissa essent,
præstitisse; ciuitatem vero mœnibus vrbis minime
contineri. Ita Carthaginenses verborum ambigui-
tate decepti vrbem totius Africæ pulcerrimam ar-
dere, & solo æquari viderunt. Ita sæpissime legati
iuris fecialis ac legum imperiti, in pacis actionibus
fœderibusque feriendis grauissime peccant.

Cæterum variæ semper fuerunt causæ, quibus
permoti homines societatem ac cohabitationem
mutuam inierunt. Cum enim humanæ societatis
ratio ita comparata sit, vt homines & ordine & vi-
tæ studio dispares sint atq; dissimiles. Alij enim sa-
pientia & æquitate præstant, diuinaq; mentis acie
& excelso, singulari sapientia & industria prædito
animo donati sunt, quo qd vniuersitati expediat
& videre prudēter & perficere cōstanter possunt.
Alij vero nō tanta virtute excellunt, alacritate ta-
men & inuicto animi robore firmati sunt, aut ad
arma tractanda, communesq; iniurias propulsan-
das, aut ad eas artes persequendas, quib. in rebus
magnis Reipubl. vsui esse possunt. Alij locorum
amœnitate affecti sociantur ac sedulo terram co-
lunt. Alij deniq; fabrili artificio aliquid cōficiunt,
variaue tractant commercia earum rerum, quę ad
communem vitam cultumue pertinent. Sic enim
diuino consilio effectum est, vt dum pro se quisq;
cæteris auxilium fert, & vicissim aliorum artibus
atq; facultatibus seipsum tuetur, ius illud humanę
societatis & coalescat & sanctum permaneat. De
quibus omnib. sigillatim in sequentibus agemus.

CAPVT II.

De ijs, qui ad viros diuina mentis acie atq; excelso animo præditos confluxerunt, & ciuitates atq; oppida extruxerunt.

CAIN absque omni dubio primus ciuitates, oppida atque villas extruere cœpit. Quanquam de hac re Poetæ, quos etiam Cicero sequitur, suos corymbos intexant fabulis, in hanc sententiam scribentes: Olim genus humanum in montibus atque syluis erat dissipatum, cum nullis esset ciuilibus institutis aut domesticis moribus excultum. Excelluit autem maxime tunc vnus & alter eorum, quos natura finxerat ingenio & prudentia præstantes, qui dispersam illam multitudinem vnũ in locum cõgregauit & ex immani agrestique vita ad humanitatem & honestos mores excoluit. Id quod homines doctissimi fictis fabulis memoriæ prodiderunt: Orphei cantu syluas ferasque omnes vnum in locum confluxisse, voluptate illa eximia commotas. Sic etiam traditur Amphion, cantus suauitate lapides impulisse, quo vellet, vnde vellet, deduxisse: quo significarunt, homines illos agrestes atque feros, qui vel ingenij stupore, vel immanitate morum, lapidum atque ferarum instar haberent, paucorum ingenio fuisse moribus humanis & ciuilibus institutos. Hoc opere Theseus, qui primus Athenienses per pagos dispersos in vnum locum compulit, & legibus ac institutis deuinxit, est immortalem gloriam consecutus. Vt nihil interim dicam de illis, qui Theseo longe vetustiores exti-

Digitized by Google

extiterunt, à quibus ciuitates fuerunt initio conditæ & constitutæ. Inde igitur cœperunt homines intelligere, quantum generosus animus & excelsus humilib. anteiret. Tantaq; extitit virtutis admiratio, vt quamdiu in vita manebant ij, à quibus beneficium illud acceperant, omnes illis sui regẽdi potestatem trãderent: mortuos vero diuinis honoribus afficerent: eorumque liberos omni caritate amplectendos statuerent. Primum mouebat homines recens memoria principum, à quib. tam multis obstricti fuerant beneficijs, eorumq; posteritati gratiam referendam esse putabant. Deinde vbi experientia didicerunt, inesse in liberis paternam effigiem, nõ tantum corporis lineamẽtis, quantum animi indole euidenter expressam: iam non solum parentum memoria, sed etiam indolis admiratione, prouocati, gentem illam præcipue coluerunt, eique Reipubl. gubernacula libentissime tradiderunt. Fuit enim priscis illis hominibus maxime persuasum, virtutem paternam in posteritatem infundi, morumque præstantiam esse claræ gentis indicem: quod est ab Euripide sapientissime dictum:

Egregia dignitatis indoles, nota
Insignis est nobis, generis ampliſſimi.

Hæc autem opinio tantum valuit apud antiquos, vt qui maximo loco natus esset, eundem continuo sperarent maxime fore virtutibus exornatum. Quodsi cuiusquam virtus adeo esset admirabilis, vt extra communem hominum sortem posita & collocata videretur: is humana cũcta despiciens, seque longe inferiora reputans, originem

suam

ſuam ad Deos auctores referebat. Hoc autem vt poſſet multitudini perſuaderi, non tantum imperitia atque ſuperſtitio, quibus illa rudis antiquitas obligata erat, quantum virtutis admiratio faciebat. Fiebat enim illis veriſimile, diuino ſemine ſuſceptum eſſe, quem cernerent diuinis virtutibus eſſe cumulatum. Hinc illi priſci Heroes extiterunt, quib. Homeri Ilias referta eſt: inter quos nemo erat, qui non Deorum aliquem in ſuis gentilibus numeraret. Quæ opinio etiam effecit, vt Theſeus, de quo ante diximus, Neptuni filius haberetur; Romulus item Martis. Alexander autem Magnus ſe multis poſt ætatibus Iouis filium dici concupiuit: quod etiam de Scipione Africano exiſtimatũ eſt. Fuit enim de illo viro, rumore quodam vaniſſimo diſſipatum, quod prius in Alexandro Magno vulgatum fuerat: Nempe, anguem immanem perſępe viſum in matris cubiculo: eũq; hominum interuentu repente ex omnium oculis elapſum, neq; poſtea vnquam comparuiſſe. Inde conſecuta eſt opinio eiusmodi, anguis illius concubitu, Scipionis matrem grauidam eſſe factam. Quis vero eſt tam ignarus omnium diſciplinarũ, vt iſta vera eſſe in animum inducat. Verum iſtud ab ea opinione minime falſa natum eſt, quæ magnam virtutem & excelſam magnis & claris natalibus aſſignat. Hinc iam facile poteſt perſpici, quanto in honore fuerit apud priſcos illos homines inclytum genus & excellens. Et merito quidem. Nam ſi quid in illa ætate extitit præclare geſtum dignumque memoria ſempiterna, plurimum ab hoc ordine geſtum eſt, quod ſatis eſt ma-

Digitized by Goos

nifeſtum vetera ſcripta memoria reptenti. Quis neget Heraclidarum gẽtem ita magnitudine animi præſtitiſſe, vt Pelopidarum potentiam copijs exiguis fregerit, & rebus Atticis in vltimum diſcrimen adductis ſæpe lucem attulerit. Quid hic Perſeidas referam? Quid Æacidarum res immortalitate digniſſimas? Iam ſi te Athenas animo conuerteris, vt res memorabiles videas, quæ ab illa ciuitate geſtæ ſunt: omnes maxima ex parte videbis, à viris maximo genere ortis, & maiorum gloria conciratis editas eſſe. Vt enim reges præteream, quos ſingulari virtute fuiſſe conſtat, certe Cliſthenes qui tyrannidis delendæ princeps extitit, Miltiades, Cimon, Ariſtides, Pericles, & multi præterea, quos infinitum eſſet recenſere, à quibus tam multa ſuſcepta ſunt facinora, tum contra Barbaros, tum etiam aduerſum Græcos, omnes iſti ferme in ampliſſima familia nati ſunt. Idem etiam apud Thebanos & Spartiatas, & innumerabiles alias nationes accidiſſe comperies. Hæc vero omnia eo ſpectant, vt appareat, extitiſſe omni ætate viros quosdam egregios, ad quorum nutum & præſcripta omnes ſuas actiones cæteri conformarunt.

In Braſilia hodie adhuc priſco illo ac ferino more victitant incolæ. Ibi enim tenebroſarũ ſpecuum inhoſpita receptacula inhabitant, quas vel arborum ramis aut ſtrue lignorum, vel palmæ arboris frondibus ac folijs, ei regioni nõ ignotæ, ruditer contegunt, atq; ita diuerſiſſimis mapalibus ab inuicem ſegregati, dum occultis ſpelæis, ferarum in morem degũt, in beluinos etiam mores ab incu-

incunabulis degenerant; quo fit, vt tam difficulter rudimenta Christianæ religionis admittant, oleumque fere ac opera in erudiendis ipsis tam in fidei negotio quam etiam in moribus perdatur. Quamobrem Portugalenses ipsique adeo Iesuitæ eos è spelæis quasi protractos in vnum coguut, ac tum demum religione & moribus feliciter imbuunt, id quod antehac præstiterunt Pernambucci, Pyratiningæ, il Santo Saluatore, il Porto Securo aliisque locis pluribus. His annumerari possunt ciuitates à laudatissimis potentissimisq; principibus extructæ, ad quas inhabitandas peregrinos vndequaque populos adsciuere. Sic Græci & Phœnices, Alexander Magnus alijq; reges ac principes quãplurimas vrbes de nouo extruxerunt, certaq; nomina indiderunt. Hinc illæ, Alexandriæ, Ptolemaides, Antiochiæ, Lysimachiæ, Philippopoles. Demetriades, Cæsareæ, Augustæ, Sebastiæ, Agrippinæ, Manfredoniæ, & nostra ætate Cosmopolis & del Sole.

Cæterum post Alexandrum Magnum, qui vltra septuaginta vrbes extruxit, rex Seleucus in extructione vrbium nemini cedit, qui præterquã quod tres illas in honorem vxoris, Apamias, ac quinque in memoriam matris, Laodiceas, quinetiam quinque in sui ipsius monumentum ac memoriam Seleucias, dictas, præterhas vltra triginta vrbes magnificentissime extruxit.

CAPVT

CAPVT III.

De ijs, qui, ad facilius propulsandas iniurias, lares in eundem locum conferunt.

INEVITABILI quandoq; necessitate coguntur homines, modo vitæ ac fortunarum suarum cura eos tangit, alibi sedes suas figere, aliorumque auxilijs se munire, potissimum vero gliscentibus tumultibus bellicis, è quibus plerunque damnum irrecuperabile, vitæque ac fortunarum pariter iactura, nisi mature declinetur, fere imminet.

Atq; huc referuntur potissimum montium anfractus, paludosæ syluarum solitudines, insulæ quamminimum inaccessæ, quippe quæ certissimum afflictis præbent refugium. Post vniuersale illud orbis diluuium, tempore Noæ, cum timerent homines iterum periculum inundationis, solitarios recessus in mōtium fere cacuminibus petierunt, alij altissimas turres pyramidum instar extruxerunt, fore sperantes, vt si qua demo inundatio terram obrueret, ipsi periculum hac ratione effugerent. Cum autem alterius futuri diluuij metus, de quo frustra erant solliciti, ex ipsorum animis paulatim aboleretur, tum demum de cacuminibus montium in planitiem se cōferre cœperunt, vbi ex singularum familiarum radicibus, quas Deus immortalis conseuerat, quasi stirpes primum fuerunt propagatæ, quibus domicilia tectaque sibi, vt ab iniuria cœli ac ferarum animantium, tutiores essent, ædificare necesse fuit: & cum in eam multitudinē excreuissent, vt eadē regione

contineri non possent, quippe domiciliorum cõ iunctione, vicos; deinde vicorum continuatione pagos auxissent; alio proficisci ac nouas sedes quærere oportuit. Itaq; locis ac regionibus, generisq; proximitate disiuncti, cum nullis imperijs ac legibus tenerentur, vti quisque vi ac robore cæteris præstabat, ita finitimos de locis ac domicilijs depellere, aut fontis ac loci amœnitatẽ eripere, aut de pascuis deijcere conabatur. Ea vis à valentioribus illata, fecit, vt imbecilliores loca natura tecta ac munita conquirerent; aut arte ac prudẽtia munirent, vt se, liberos, vxores, familiasque suas ab aliorum iniurijs, fossa, vallo, mœnibus, denique tuerentur: inde oppida vrbesque constitutæ. Sic enim de rege Seruio scribit Dionysius, in locis montanis firmissimisque collibus perfugia quædam disposuisse; quæ Græci pagos appellant, quo se agrestes ex agris per hostiles irruptiones reciperent. Sed ne mœnibus quidem hostium vis arceri poterat, quo minus ij, qui se propugnaculis cinxerant, à potentiorib. obsiderentur. Fuit enim primum genus hominum rapinis, cædibus ac latrocinijs deditissimum, & cui nihil esset prius, quá grassari & occidere, aut imbecilliores seruitute premere, vt verissime Plutarchus in Theseo, cum historia sacra, Genes. 6. congruenter scribit. Ac multis ante seculis Thucydides, historicorum, qui in Græcia floruerunt, longe clarissimus, Græciam vniuersam, ait, paulo ante sua tẽpora potentiorũ latrocinijs ac direptionibus infestam, nec propter latrocinia vllam in familiam contractam fuisse: sed qui terra marique obuios haberent, ab ijs sine

 contu-

contumelia quæri consueuisse, an latrocinium an piraticum exercerent? Nec tantum Plato eiusque discipulus Aristoteles latrocinium inter venationis genera posuerunt: sed etiam legibus Solonis (libro vltimo de Collegijs) latrocinandi causa societatem iure cõtrahi potuisse planum fit his verbis: ἐπὶ λείαν ἰόντων; quod Latinus interpres, cum absurdum ac falsum putaret, alio detorsit: nam quid aliud est, ἐπὶ λείαν ἰέναι quam prædari? Quin & Cæsar sua adhuc ætate de Germanis scribens, Latrocinia, inquit, nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiusque ciuitatis fiunt: atque ea iuuentutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant.

Hæc igitur latrocinandi licentia homines ad amicitias & societates coeundas adegit: nam principio sodalitia contracta fuerunt ab ijs, qui quod ex eodem puteo seu φρέατος aquam haurirẽt, φρατέρες seu fratres sunt appellati: inde quoque φρατρίαι dictæ: aut qui ex eodem fonte, quem Dores πηγὰν appellant; vnde pagi dicti sunt: vt Latini quoque comissari dixerunt eos, qui in ijsdem vicis, quos Græci κώμας vocant, conuictu communi fruebantur, vt Festus scribit. Ex quibus perspicitur, societates hominum inter ipsos vitæ tutius commodiusque degendæ fuisse quæsitas: easque primum ab eo, qui virum inter & vxorem intercessit, amore profectas. Inde fluxisse mutuam parentum ac liberorum pietatem; tum fratrum ac sororum inter ipsos caritatem; post etiam proximorum & agnatorum amicitiam; ac postremo affinium beneuolentiam.

Atque hi cum nullo certo more traducerent, proindeque qui imbecilliores essent affligerentur, latrociniaque atque cædes infinitæ passim fierent, essetq; adeo omnis vita innumeris malis circumuenta: omnes ij, qui iniuriam acceperunt grauiorem, confugiebant ad præsidium alicuius præstantis ingenio viri, in quo lumen æquitatis elucere prospexerant. Is cum miseros & supplices in suã fidem recepisset: studiumque suum extinguendi latrocinij, reprimendæque cædis & iniuriæ vindicandæ declarasset, & potentes cum tenuioribus pari iure retinuisset: euenic bat, vt omnes, qui otiũ & securitatem amabant, omnia vitæ præsidia in eius virtute & imperio constituta putarent, quem animaduertebant esse iustitiæ laude florentissimum. Aut si id non daretur, in tutissima, quæ videbantur, asyla sese recipiebant.

Sic cum Mauri Hispaniam hostiliter inuaderẽt, tandemq; miseræ seruituti crudeliter subigerent, ij, qui ex lamentabili illa strage euaserant, partim in deserta atque imperuios montium recessus, qui sunt in Biscalia & Aragonia, secesserunt, partim in septem ciuitatum insulam (à septem Episcopis, qui sedem inibi cum suis fixerunt, ità dictam) traiecerunt.

Depopulatio illa immanissima, qua magnus Tamberlanes vbique populos crudelissime afflixit, Persas eorumq; finitimos sedibus patrijs (non secus ac fugatas auiculas) excedere coegit; inde alij in Taurum montem, alij in Antitaurum, alij in maris Caspij peninsulam aufugerunt. Atq; vti populi Istrici, cum Sclaui in Istriam irruptionem facerent,

rent, in Caparias insulas soluentes, Iustinopolim inibi extruxerunt: eodem plane exemplo Galli, cum Lõgobardi Italiam hostiliter inuaderent, cis Padum in loca palustria secessione facta, vrbem Cremam constituerunt.

Etsi vero loca hæc, quæ iam diximus, aduersus hostium irruptiones natura satis sunt munita, cũ tamen nec fœcunditate soli, nec amœnitate, nec commerciorum frequentia præstent, nulli hactenus extiterunt, qui nouorum ædificiorum structura accessionem inibi facere concupiuerint. Quodsi vero loca illa, ad quæ rebus, vt supra, stantibus confugitur, nõ tantum sunt natura munita, verumetiam ad varios vsus humanos accommodari possunt, facile incolis, diuitijs atq; domicilijs augentur & locupletantur.

Hoc modo plurimæ ciuitates versus Orientem in Barbaria sitæ, in quibus præcipue numerantur, Salonica & Rhodus, maxima incremẽta sumsere, ab eo nimirum tempore, quo Ferdinandus Hispaniæ, & Emanuel, Portugalliæ reges, Iudæos regnis suis eiecerunt. Sunt vero etiam in Anglia hoc nostro æuo ciuitates non paucæ, quæ ædificiorum & hominum numero intra paucos ab hinc annos mirifice excreuerunt, ab eo nimirum tempore, quo primum Belgæ eo cœperunt migrare, adeo, vt vel saltem Louanij aliquot mille Belgarum familiæ numerentur.

Circa annum Christi nõgentesimum, cum Saraceni Genuam omnemque circa regionem, prædis, incendijs atque rapinis deuastarent, Pisa vrbs propter confluentem eo fugientium multitudi-

nem, incredibiliter accreuit. Vnde vero? Vrbs nempe est nō tantum natura ac ratione situs munitissima, verumetiam præter soli fertilitatem insuper varijs commerciorum generibus commodissima.

Cum Attila impressione in Italiā facta, omnia deuastaret ac crudelissime prosterneret, Longobardi maximo terrore concussi relictis sedibus in peninsulam maris Adriatici traiecerunt, ibique pro ratione loci oppida ac ciuitates, Exquilinum nempe, Heracleam, Palæstinam, Malamocco, constituta simul certa Reipublicæ administrandæ forma, extruebant. Cum vero postmodum à Pipino rege bello impeterentur, nec satis virium ad retundendos hostium impetus sibi esse cernerēt, sponte excesserunt: atque iuxta Rialtum orbem collecti, consilium de Venetijs extruendis iecerunt, cœptum feliciter, felicius continuarunt ac feliciſſime finierunt oppidum illud Venetiarum nobilissimum & laudatissimum, vniuerso orbi decantatum.

CAPVT IV.

Quomodo Romani vrbem Romam deuastatione finitimarum vrbium adauxerint.

ROMANI vrbis suæ gloriæ auidissimi semper omnibus neruis in hoc incubuere, vt æternam posteris patriæ memoriam relinquerent. Vnde & prudentissime potentia sua vsi referuntur. Nam, vt finitimos in vrbem suam cogerent, astute consilio ini-

to,

to, rebellium oppida funditus euertere. Quo pacto Tullus Hostilius, Albam celebertimam vrbem vastauit. Tarquinius Priscus Cornicolo vrbem diuitijs omnibus abundantissimam exitio dedit. Seruius Tullus Pometiam solo æquauit. Libertatis postea tempore Veios vrbem post decennalem obsessionem fraude & astutia non vi occupatam diruerunt.

Itaque priuati vrbibus, & domicilijs pulsi, proinde sedibus destituti proprijs, ne omnino de salute periclitari cogerentur, Romam pro patria profecti incoluere. Hoc modo excreuit Romana ciuitas, & tam opum quam ciuium copia, inter omnes totius terrarum machinæ caput extulit vrbes, quemadmodum Poeta canit.

CAPVT V.

Nonnullos fuisse, qui alienarum vrbium incolas suis adsciuerint, narratur.

IDEM ferme medium, paullo tamen mitius, in amplificandæ vrbis processu, obseruarunt ante dicti Romani: in eo quod populum deuictum suo imperio iam subiugatum vel vniuersum in vrbem receperunt, vel maiorem saltem partem intra mœnia admiserunt. Sic à Romulo Ceninenses, Antennates, Crustumini in ciuitatem pertracti fuere. Nulla autem gens ciuitatem Romanam adeo auxisse dicitur, quam Sabinorum. Quibuscum congressus Romulus, post longum ac diutinum bellum, pepigit fœdus cum ipsis hac

conditione: vt Tatius Sabinorum rex cum populo vniuerso vrbem ingrederetur, & intra mœnia vrbis habitaret. Quam conditionem acceptans Tatius, Capitolium & collem Quirinalem pro habitaculo regio elegit. Hanc secutus viam Ancus Martius, Latinos consimili exemplo, Politorio, Tellena & Ficana vrbibus euocatos ad vrbem associauit, montemque Auentinum attribuit.

Tamberlanes Magnus Sarmacadam vrbem amplissimam mirifice & populis & ædificijs opibusq; adauxit, dum opulentiores ex ijs, quos diuersis prœlijs deuicerat, illuc sedes suas figere adigebat. Quam rationem obseruantes Ottomanni, cum primum Constantinopoli potirentur, multa familiarum millia, ex deuictis vrbibus, earum potissimum, quæ in certis artificijs insigniter excellerent, vtpote Mahometes II. Trebisunda, Selimus I. Cayro, Solymannus è Tauris, alij aliunde oriundos eo transtulerunt.

CAPVT VI.

De his, qui voluptatis gratia societatem habitandi contrahunt.

NON raro contigit, vt loci cuiusdam amœnitate allecti, viuendi coniunctionem inierint homines. Amœnitas autem illa vel per se ac natura loco inest, vel arte comparata. Ad naturalem atq; ingenitam amœnitatẽ accensentur: purus & incorruptus aër, iucundæ conualles, vmbrosa nemora, idonei ad venandum tractus, amœna fontium susurrami-

mina, flumina salubria, & si quæ sunt alia, quę hominis naturam afficiunt & recreant: cuiusmodi præcipue visuntur Antiochiæ in Soria, Damasci, Burſiæ in Bythinia, Siuiliæ in Hiſpania alijsq; locis pluribus.

Ad artificialem locorum amœnitatem referuntur plateæ ædesq; artificioſe extructæ, theatra, fornices, ſtadia, palæſtræ gladiatoriæ, fontes arte diducti, monumenta, picturæ, pontes aliaq; huiuſmodi, quę arte potiſſimum conſtant, ſpectantiumq; oculos ac mentes mire afficiũt. Sic Thesbin vrbem, viſendi artificioſiſſimi Cupidinis ſimulacri gratia quamplurimi vndiq; adierunt. Samum propter templum ibi magnificentiſſime extructum viſerunt innumera hominum caterua. Alexandria propter Pharos inſulam turrimque, quæ ibi viſebatur, arte atq; opere inſigniter extructa, paſſim frequentabatur. Memphin Ægyptiorum vrbem Pyramides in ſummum celebritatis culmen erexerũt. Rhodon gratia viſendę ingentis ſolis ſtatuę, quę Coloſſus dicebatur, excurrerũt innumeri. Eorum, qui Babylonem ierunt, contemplatum mœnia à Semiramide extructa, vix putem iniri poſſe numerum. Si quando olim Romani ſe recreare vellent, Syracuſas, Mitylenam, Smyrnam, Rhodum, Pergamum aliove, vbi ſaluberrima eſſet aeris conſtitutio, cum amœnitate, quam & locorum natura & hominum inuenta exhibebant, ſe receperunt. Atq; vt paucis omnia dicam; quicquid viſum ac reliquos hominũ ſenſus afficit, ad eoq; omnia, in quibus hominum curioſitas acquieſcit, huc referenda veniunt.

Omnium Europæ totius vrbium populoſiſſimæ hodie ſunt Roma & Venetiæ. Etſi enim hodierna Roma ab antiqua illa, qualiter à Publio Victore & ab Hanufrio Panuino ſcriptis exactiſſime demandata eſt, quæ ante annos aliquot in lucem miſſa erat, Clemente VII. pontificatum tenente, quam maxime diſcrepet, atq; ex admirandis ædificijs & ſtructuris nihil hodie ſuperſit, præter exiguas reliquias & fragmenta mutilata, ex quibus antiquæ vrbis ſplendorem, magnificentiamque & profuſos imperatorum principumq; ſumtus, opificum diuina ingenia & induſtriam ſtupere & admirari poſſumus: Certiſſimum tamen eſt; quicunque eam vrbem diligenter & accurate luſtrauerit, ſolertiq; indagatione notauerit omnia, quæ in ea ſeruantur à viris antiquitatum ſtudioſis, animaduertet fatebiturque, nihil vsquam gentium ſpectari, quod cum Roma poſſit merito conferri. Atque hæc omnia magis commendari debent, quod præclari illi patritij & ciues nihil habeant domi ſuæ, q̃ non liberaliter peregrinis videndum permittant, tanta humanitate, tanta comitate, vt etiam credere velint ab eis idem beneficium recipere, quod in eos vltro conferunt. Quis obſecro vnquam literatus excluſus eſt ab ædibus clariſſimi illius patritij Romani Fuluij Vrſini? quis vnquam ab eo ſine aliqua beneficentia dimiſſus eſt? Quis vnquam inuiſit Marium Delphinum, quin ab eo diſceſſerit cum ſingulari fructu & delectatione? Omitto perſonas illas Eccleſiaſticas, Cardinales, Archiepiſcopos & ſacerdotes illuſtriores, qui propter dignitatum quib. funguntur amplitudinem, com-

Digitized by Google

communicare colloquia nō ſemper poſſunt cum hominibus priuatis & peregrinis. Tanta enim in ijs eſt facilitas, vt neminē à ſuis ædibus arceri patiantur, ſed domeſticis ſeuere iniungunt, vt amice & comiter omnia cōmunicent poſcentibus, eosque in cænacula, hortos ſecretioraque conclauia admittant, potiſſimum bonarum literarum ſtudioſos, vt contemplentur, admirentur & notent quicquid ſpectatu dignum eſt: non ſolum marmora exquiſita & pretioſa, vaſa, ſtatuas, tabulas, numiſmata & ſigna gemmis exſculpta, ſed etiam ipſas bibliothecas exacte perluſtrent, libros ex antiqua papyro, membrana, inteſtinis corticibusq; confectos reuoluant, ac ſeſe contemplatione tam excellentium rerum, ſi fieri poſſet, expleant & ſatient. Quis vero eſt tam in Gallia, quā in Germania, qui ignoto forcs ſuę domus apertas eſſe patiatur, vel illi vidēda præbeat, quæ ornamenta poſſideat? Nemo ſane, niſi ſint aliqui viri docti, qui eruditione faciliores redditi ſint, & erga peregrinos manſueti, quib. tamen nō ſine ſupercilio & morositate ſeſe cōmunicant, niſi dignos hoc officio prius iudicent. Et dum de hoſpitum dignitate dedignantur inquirere, indigne à ſe expellūt eos, quorum ſtudio & curæ ſatisfacere eſſet conſultius.

Cæterū quo de humanitate Romanorū ac facilitate in exhibēdis, q̄ penes ſe habēt, monumentis verius cōſtet, referre huc libet Iacobi cuiuſdā Boiſſardi teſtimoniū, quo ſibimet ipſi huiuſmodi humanitatis officia Romę exhibita fuiſſe p̄dicat: Memini, inqt, magnificentiſſimū illuſtriſſimumq; illū Antiſtitē Pium Rudolphū, Cardinalē Carpenſem

(qui,

(qui,quo tempore Romæ eram,in Quirinali poſſidebat hortos amœniſſimos, omnibusque antiquis marmoribus refertiſſimos) ſingulare humanitatis argumentum in me contuliſſe. Dum enim eo veniſſem cum aliquot ſtudioſis, vt admirandá palatij ſtructuram,ſtatuasque, colũnas,obeliſcos & aras antiquas viderem, neq; poſſem illa omnia tam breui temporis ſpatio, quod mihi cõcedebatur,deſcribere(nondum enim tanto viro innotueram) ſocijs relictis abdidi me inter viretorũ vmbracula, latitans donec omnes horto exiuiſſent. Clauſis tandem horti oſtijs,reliquũ diei, quod ſuperfuit, impendi in delineatione priſcarum inſcriptionum, ac totam noctem illic exigẽs ſub arboribus,cum primũ illuxit,ad opus cœptum redij; cumq; illic hærerem attentus in deſcriptione cuiuſdam marmoris, Cardinalis ſuorum aulicorum numero & comitatu ſtipatus, hortum ingreſſus eſt.Illi,cum ex remotiore loco me fuiſſent intuiti, ſubſtiterunt attoniti: neſcientes, qua ratione omnibus inſcijs domeſticis eo irrepſiſſem. Confeſtim ad me duo accurrunt,qui ſciſcitarentur,quomodo & quando eo veniſſem. Ego licet non mediocri formidine percellerer, compoſita tamẽ ad fiduciam fronte, mihiq; nullius doli vel criminis conſcius, rogaui vt tantillum expectarent, donec abſoluiſſem deſcriptionem alicuius monumenti, quod cœperam: qua ad finem perducta,tanquam re bene geſta, ordine explicaui meam hiſtoriam: vt veſpere ſuperioris diei in hortos eſſem exceptus cum alijs peregrinis,à quibus poſtquam paulo longius, quam par erat, ſeceſſiſſem, lecturus & deſi-

deſignaturus quædam antiqua ſcripta, illi me relicto diſceſſiſſent: cumque paulo poſt egredi conarer, omnia clauſa me inueniſſe, coactumque illic pernoctaſſe: Quod tamen absq; vllo tædio mihi accidiſſe dicebam, capto & occupato in perluſtratione tam excellentium rerum, quæ in toto hortorum ambitu latiſſime conſpiciebantur. Illi cum riſu ad Dominum regreſſi narrarunt quicquid mihi accidiſſet; tantumq; abfuit, vt durius excipeperet propter id factum, vt Cardinalis mei miſertus, quod absque cęna ſub dio pernoctaſſem, iuſſerit mihi ientaculum præparari, ne nimia inedia mea valetudo offenderetur: ſummaque cum delectatione reuoluit meas chartulas, laudauit induſtriam meā, & voluit vt deducerer in eius palatium, quod ampliſſimum habebat in vrbe plana, ad campum Martium. Permiſit quoq; vt omnia, quæ illic eſſent, viderem, & pugillaribus ad id præparatis, quæcunq; placerent, exciperem. Ego poſtea, vt gratus viderer erga tam beneficū principem, exemplar omnium, quæ domi ſuę mihi cōmunicata erant, diligenter exaratum illi obtuli libello vno comprehenſum: quem non ſolum hilari fronte excepit, ſed donum dono compenſans, numiſmata antiqua mihi largitus eſt duo aurea, duodecim argentea, & totidem ahenea; cum parua Apollinis ærea ſtatua altero brachio manca. Non abſimilis humanitas mihi exhibita eſt à clariſſimo viro Maria Delphino. Ad eum enim eadem hebdomada cum tertio deduxiſſem ſcholaſticos aliquot Germanos & Gallos (qui Patauio & Bononia ſimul venerant Romam) vt eius ædes

omni

omni antiquitatū ornamēto celeberrimas lustrarent: iterumq; alij aduentassent, meamq; operam flagitarent amicorum literis mihi cōmendati; illis meū officium sine pudore nō audebam recusare, verebar interim grauis esse tanto viro, & illius facilitate abuti. Ad eū igitur me festinus cōtuli, veniamq; humiliter deprecatus, rogaui vt mihi hanc importunitatē cōdonaret, coacto gratificari meis conterraneis: in quorū præsentia petiui, vt ne mihi succenseret, q̄toties repetita reuersione illius grauiores occupationes interrumperē. Vir bonus & candidus meam formidinē ioco excipiens: Quid ais, inq̄t, mi Boissarde? itane me durū & inhumanū existimasti, q̄ tibi officiū hac in re recusarē, in qua beneficium mihi à te non exiguum tribuitur? An es nescius, tua opera Marij nomē extendi vsq; ad postremos septemtrionis terminos, q̄ alioqui coerceretur intra Romanorū mœnium pomœria? nisi hospites isti viri nobiles & literati me inuiserent, mea contemplarentur & admirarētur, domumq; reuersi, quæ apud me vidissent, enarrarent. Fac, mi Boissarde, vt veniant, neq; quenquam à meis arceas foribus, quem potissimum virum bonū modestumque & studiosum antiquitatis agnoueris. Nemo certe est quem non libentissime excipiam, humanissimeq; & humaniter tractatū dimittam. Hæc postquam dixisset, introductis in Musæum hospitibus, comiter vidēdos exhibuit stateres antiquos, & infinitum numismatum exquisitissimorum numerum, sardonychas, iaspides & gemmas singulari torcumate sculptas. Ostendit præterea nobis ingentem cippum marmoreum, qui olim,

vt

vt inſcriptio prodebat, terminus erat vineæ Traiani imperatoris extra vrbem. Hũc vt ſuo loco reſtitueret Gentilis Delphinus Marij pater, ingenti pretio vineam redimere conatus eſt, neq; à poſſeſſore venditionem extorquere potuit. Marius poſt patris mortem eodem ſtudio flagrans fundũ duplici pecunia coemit, & cippum in antiquum locum tranſtulit. Hucusque Boiſſardus; quæ ideo hic memoro, vt oſtendam, quantum humanitate & facilitate Romani ſuperent cæteras quascunq; nationes, dum hoſpites peregrinos tam prompte & comiter excipiunt.

Porro non pigebit huc referre, nec lectorem pœnitebit cognoſcere, quæ hodie adhuc memoratu ac viſu digna Romæ viſuntur. Ac primum, vt ab ea parte incipiam, qua per Hetruriam, Romam itur, occurrit primo Porta Vaticana, quæ Caſtello S. Angeli eſt contermina, iuxta quam prata Quinctia, Tyberi & Vaticalis collibus ac Strozziorum vinea clauſa. Eo ſe frequentiſſime Romana iuuentus conferre ſolita eſt, deambulationis oblectationisq; gratia. Voluptati enim præ cæteris omnibus hic locus tributus eſt. Qua autem ingreſſus in vrbem patet, portâ Æliâ, quam Caſtelli vocant, prope ſe extollit ingẽs illa moles Adriani imperatoris; quam extra Vaticanam vrbem extruxerat, vt in eo ſepeliretur: & in eadem Antoninorum cineres reconderentur. Hodie Caſtellum S. Angeli dicta, & vt fama refert, angelus exerto gladio viſus eſt vrbẽ eo loco defendere: ideo noſtro tẽpore ingẽs ſtatua angeli marmorea in ſummitate molis repoſita eſt, vt nomẽ arci cõfirmaret. Ab hac arce deam-

deambulacra secreta fornicato opere protenduntur vsque ad pa'atium Pontificum, quod in colle Vaticano structum est, vocantque Curritorium: per quod Pontifices vrgente necessitate, dum obsiderentur, occulte se possent subducere, & tuta fuga ex palatio in hanc arcem se recipere.

Castello S. Angeli vicinus est pons Ælius, factus ab Ælio Adriano prope regionem Vaticanam: per quem in suum sepulcrum transitus esset facilior, ad funera eorũ, qui in tam magnifica mole sepelirentur, procuranda. Hodie pons Castelli vocatur, per quem ex vrbe in Burgum via protenditur ad palatium summorum Pontificum. Inde sub Ælio, medio Tyberi conspiciuntur è regione xenodochij S. Spiritus, ruinæ pontis triumphalis, qui olim triumphis sacer fuit. Imperatores enim de exteris nationibus & prouincijs triumphantes, hoc ponte pompas solennes in Capitolium agebant.

Huic proximum est Burgum recte ducens ad palatium Pontificum, quo loco olim ante Alexandri II. tempora sylua fuit, siue lucus Vaticanus, qui erat insignis sepulcrali pyramide Scipionis Africani. Nunc aliquot ædificijs illustribus atque diuersis ornamentis, insignibus nempe palatijs, conspicuum. Quorum illud, quod assurgit prope S. Catharinam, Cardinalis fuit Dandini: in eoq; monstratur caput elegans Agrippinæ matris Neronis pectore vestito: Hadriani Imp. & Antinoi Bithini iuuenis formosissimi; quem Hadrianus in delitijs habebat atq; alia insuper multa. Superius ad dextrã est palatiũ Cardinalis Roberti Strozzę:

vbi

vbi præter infinita ornamenta notatu digna oſtẽditur armamentariũ ſplendidiſſimũ,omni genere armorum exornatum,tam noſtratiũ, quam exterarum nationũ;maxime Indorum & Americorũ: vt ſunt clauæ & gladij lapidei & lignei, quibus etiam chalybs ſcinditur; diuerſa veſtimẽta,pilei,caſſides,perizonia,periſcelides,&balthei clypeique, ex plumis artificioſiſſime cõpoſita omnia,tantaq; induſtria elaborata,vt ſine admiratione nemo eã ſatis cõtemplari potis ſit. Duo etiã ibi mõſtrantur Aleriones ſiue aues Paradiſi, quas Apodes nominamus.Harum corpora ſunt tenuia, quaſi ex xylo vel bombice:plumis oblõgis verſicolorib. & quæ colorem iridis cœleſtis referunt, & mutãt dũ auiculæ corpus inuertitur, nunc aurũ , nunc purpurã viridemq;Smaragdũ,&Saphyri cyaneã repræſentãtes formam,vel eam gẽmam , quam opalam vocamus.Sunt & alia in Burgo palatia , vt Campegiorum,ad dextrã,& ex oppoſito Pariſinũ:vtrumq; picturis & tabulis elaboratiſſimis inſtructum. In domo Petri de Radicibus in eodem Burgo, præter Bacchum integre nudum & tres Muſas longis inſtitis amictas,monſtratur etiam caput ſenis,quod dicunt eſſe Caroli magni: ſed quod longe diſſimile eſt illi Caroli Magni effigiei, quæ in Prætorio demonſtratur Norimbergæ.

Siniſtram ibi plateæ partem prope portam S. Honufrij,Palatium Cæſianũ occupat;ibi mõſtratur effigies Hippolytæ Amazonis, quam Michael Angelus Bonarotus Florentinus, noſtri ſeculi pictor,ſculptor & architectus excellẽtiſſimus, mirifice laudat, vtpote in qua ſummum videatur artificium

ficium & proportio perfectiſſima. Huic areæ ſuccorti adiacent amœniſſimi & ſpatioſiſſimi horti, q in quatuor areas latiſſimas diſtincti ſunt, ac ſingulę fontes prębẽt limpidos, quibus ſtatuę ſupimpoſitę ſunt. Atq; hic effigies & ſculpturę artificioſiſſimæ videtur, vtpote Bacchi, Fauni, Neptuni, Apollinis, Agrippinę, Palladis, Hermaphroditi cuiuſdam nudi, Iouis Hammonis, Pompeij Magni, Demoſthenis, Speuſippi, Veneris, Romæ triumphantis de Dacia victa, aliaq; ſigna antiqua, quæ ſpectantibus ſingularem prębent delectationem.

Paulo altiꝰ attollitur ædificiũ rotundũ teſtudinatũ, qꝑ Antiquariũ vocãt, à diuerſis ſignis & imaginib. marmoreis, q̃ in eo cõtinentur. Vbi p̃ter alia ſimulacrum eſt Satyri, cui aſſidet iuuenis inflans fiſtulam ſeptemplicẽ. Nusq̃ gentiũ videtur ſtatua elaboratiꝰ facta vel venuſtior. Scopæ dicitur opus.

In Palatio pontificũ, in quod relicta Lateranorũ Baſilica propter amœnitatem ſeſe receperunt põtifices (cuius amplitudo tanta eſt, vt oppidi potius iuſtam magnitudinem æquet quam domus) ornamenta exquiſita tanta ſunt ac talia, vt admirari potius quam recenſere ea quis poſſit. Inprimis vero ſacellum xyſti, quod altiſſimum latiſſimumque templum æquat amplitudine, hic annotare & cõtemplari neceſſe arbitror. In hoc ſolet fieri noui pontificis electio, congregatis in hunc locum cardinalibus omnibus, & Eccleſiæ Romanæ p̃fectis, in ſede vacante & interregno, ſententiæ & ſuffragia ab vnoquoq; excipiũtur & referũtur in publicum. In huius ſacelli pariete, qui attollitur pone ſummum altare, videtur pictura illa admiranda

Micha-

Michaelis Angeli Bonaroti, qua extremũ Christi iudiciũ expressum est, tanta arte, tanta ven[illegible]te, vt nihil elaboratius, nihil perfecti⁹, aut absolutius toto mundo videri possit. Sunt etiã in hoc [illegible]rtio horti, qui ꝓpter collium Vaticanorum amœnitatẽ, Beluedere nominantur. E simulacris, quorum infinita ibi visuntur, Michael Angelus summe laudat illud Herculis, quod est ad partem inferiorem statuæ Veneris cum Cupidine colludentis, idq; omnium, quę Romæ videntur, absolutissimum esse asserit. Atq; præter hoc etiam statua Laocoontis, cum duob. filijs, quos gemini dracones implicãt, & flexuosis voluminibus intricant. Hoc opus est omniũ, quę toto orbe videntur, absolutissimum, teste Plinio, atq; hanc statuam Michael Angelus dicit esse miraculũ artis singulare, in quo diuinũ artificũ debeamus suspicere ingeniũ, potius quam ad imitationẽ nos accingere. In adiacente cœnaculo, sub testudinato receptaculo, est alia Cleopatræ statua quasi moriẽtis, tanta arte sculpta & perfecta vt per medias vestes tenuissimas, q̃ ex marmore factæ sunt pretiosissio, videatur corporis forma numeris omnibus absolutissima. Et quid multis? verbis exprimi nõ potest, quanta loci pulcritudo, quantum singulorum, quæ ibi videntur, pretiũ & quantam admirationem spectantibus moueant.

Quid de bibliotheca Vaticana, q̃ Nicolaus V. stabiliuit, memoré? q̃ qui lustrauerit diligẽti⁹, in ea nihil desiderabit, q̃ ad admirationẽ, cuiã, aut studiũ viri literati facere possit. Tã multi sũt in ea libri ex mẽbranis, linteis, corticibus, & antiqua papyro, vt Ægyptiorũ illã Ptolomęi bibliothecam superare non sit dubium.

In platea media, quæ latissima expanditur ante pontificias ædes & S. Petri delubrum, obeliscus ille Vaticanus. integer ex lapide ophite, cuius altitudo est pedũ 170. præter basin, q̃ cõtinet pedes 37. Obeliscus in inferiori parte latus est ped. 12. in superiore vero octo. Fuerat ante paucos annos erectus ad sinistrũ templi Vaticani latus in circo Neronis: sed Sixti VI. P.M. beneficio inde translatus est in mediã platea locũ celebriorẽ, opera Dominici Fontanæ, architecti Comensis: quod contigit anno 1586. nescio an in hoc magis admirari debeamus audaciam architecti, quam artis efficaciam: qua potuit saxum tanti ponderis suo loco mouere, & alio transferre sine ruptione. Solus n. obeliscus præter basim superat pondus 956148. librarum: præter vectes, repagula, cingula, & harpagines ferreas, quib. oportuit tantã molẽ lapideam cingi, vt posset facilius cõprehendi, & alio moueri: quæ omnia decies centena millia quadraginta duo millia octingentas & viginti quatuor libras æquabant.

Non procul ab hinc est xenodochium siue hospitale S. Spiritus, ab Innocẽtio III. primo ædificatũ, postea multis ædificijs ampliatũ Sixti IV. sumtibus, pauperum & hospitum peregrinorum vsib. & necessitatibus dicatũ est. In eo, sicut & in Laterãno, diligentissime ac summa cura tractantur hospites, ægroti maxime: ad quorum cõmoda pharmacopolium omnes generis medicamentorum instructissimũ erectum est, medici expertissimi ac fidelissimi cõstituti sunt, qui ad menarũ vsibus fidelissimam præstant operam. Fitq; sæpius, vt non so-

lum

lum pauperes & egeni, ſeſe eo transferant, ſed etiam opulentiores & ingenui ciues, qui familiam non alunt: vt curentur. Exactius in hoc ſuis ſumtibus xenodochio tractantur, opus Chriſtianæ charitati ac dilectioni proprium.

In monte aureo (qui ita vocatur à fabulo ſcintillante tanq̃ aurũ, q̃ illic naſcitur) ſtructũ eſt templũ S. Petri, omni picturarum elegãtia ornatiſſimum. In quo etiam erectum eſt inſigne Iulij III. P. M. ſepulcrum: quod ſibi dum viueret, ſtruxit. conditus tamen iacet in Vaticano, loco humili & inglorio.

E regione Naumachiæ ſiue Arſenalis, vbi olim omnia inſtrumẽta bellica, q̃ ad claſſes inſtruendas erant neceſſaria, reponebãtur (hodie vero vinum venale ibi proponitur, q̃ ex Oſtia nauigio per Tyberim in vrbẽ inuehitur) paulo inferius pontẽ Aurelium, (hodie Ponte Xyſto) reliquæ adhuc quædã conſpiciuntur põtis ſublicij, qui olim ligneus fuit, quo tẽpore Horatius Cocles impetũ ſuſtinuit hoſtium, dũ pons deijceretur, ne per eũ in vrbẽ irruerent Hetruſci. Hũc poſtea lapideũ ſtruxit Æmilius Lepidus. Ex eo præcipitatus eſt in Tyberim Heliogabalus, ſaxo ad ceruicem alligato.

De inſula Tyberina fama eſt, excreuiſſe eã olim ex ſegetibus Tarquinij Superbi, in alueum fluuij coniectis: ad quas paulatim arenarum cumuli & excrementa vrbis ſunt addita: ſucceſſuq; tẽporis emerſit terra, quę firmari cœpit: & ſolidiorẽ ſumẽs baſim ædificijs in ea ſtruendis facta eſt commoda: Lata quidem non eſt admodum, ſed ſtadia duo ſua æquat longitudine. Æſculapio ſacra fuit antiquitus, hac cauſa: Cũ Romani contagioſa lue labo-

rrent, Apollinis oraculo iussi sunt ex Epidauro Romã Æsculapium accersere: qui in specie serpẽtis ex ara templi prosiliẽs, in naues legatorum Romanorũ, quę in portu erant, tortuosis repẽs voluminibus, magna spectantiũ admiratione conscendit. Cumque ad Ostiam peruenisset, per Tyberim in vrbem appulsa ad hanc insulam consedisse fertur, neq; inde potuit nauis abstrahi: q̃ res argumẽtum Romanis dedit, Deũ velle coli eo loco. Ideo ex senatusconsulto illic templum erectum est: quod hodie S. Bartholomæo sacrum est. Videturque adhuc in fine inferiore insulæ, nauis illius formã, quæ ex lapide formata erat: & quam inundatio fluminis rapidior superioribus annis detexit.

Dignus etiam vel maxime visu est hortus Cardinalis Farnesij in Trástyberina vrbe, varijs statuis illustris. Nec procul abhinc in templo Iouis, quod nunc Ioannis Baptistæ nomen habet, duo adhuc marmorei tripodes triangulares seruantur, qui religiose ad aram Iouis adstabant.

Carceres plebis eo loco fuerunt, vbi hodie est ædes S. Nicolai in carcere: quod templũ erat Pietatis à M. Attilio Glabrione dicatum: propterea quod in eo carcere filia patrem in vinculis arctatum multis diebus aluit proprio lacte.

Pilati domus (si vulgari famæ fidem habemus) ibi fuit, vbi prope pontẽ senatorium (qui nunc est S. Mariæ Transtyberinæ) altissimæ conspiciuntur ruinæ, sed reuera si quis eas contempletur attentius, cognoscet illic fuisse lauacra, siue sudatoria Laconica: quod ex caminorum canalibus frequẽtibus, qui vndequaq; parietibus inserti sunt, facile iudicatur.

Tem-

Templum Fortunę virilis adhuc fere integrum eſt & illæſum, longo vtrinq; columnarũ ordine: nunc S. Mariæ Ægyptiacæ ſacrũ eſt. Quidam hoc aſſerunt fuiſſe Pudictiiæ matronalis delubrum: in quo fuit Bucca veritatis: q̃ ſtatua erat marmorea, exertis labris, in os cuius Volaterrani reguli filia manum inſeruit, vt ſuam virginitatem impollutam probaret, cum ab anu Feſulana de ſtupro accuſaretur. Quod cũ paulo poſt idem tentaſſet alia puella eiuſdẽ criminis rea, ſimulacrum os ſtrinxit, & impudicæ dextram truncauit. Saxum illud amplum & rotundum ex porphyro, in cuius medio leoninus extat rictus, quod ante ſcholam Græcam erectũ eſt, hodie Bucca veritatis appellatur. Quia tamen in vrbe, quamplurima eiuſmodi animaduertuntur, ex diuerſis marmoribus: quare ſtultum eſt ad buccam veritatis hæc applicare, quæ ad ſtillicidia & receptacula aquarum pluuialium ſeruiuiſſe veriſimile eſt. Atque in hac vicinia etiam quædam ſunt domus, in quibus ſpectantur multa egregia antiquitatis monumenta. Oſtenditur etiam poſteriore Capitolij parte præcipitium quoddam, Tarpeia rupes, quæ recta ſpectat Veſtæ aram: ex hac Manlius affectatæ tyrannidis reus, edicto ſenatus præcipitatus eſt.

Domus Ouidij oſtenditur inter eas ruinas, quæ ſunt non procul à templo S. Mariæ della conſolatione: alij dicunt fuiſſe in vico lugario prope portam Carmentalem ad radices Capitolij; prope forum holitorium: vbi quoq; Valerius Amerinus habitauit, vbi Opis & Saturnus ædes habuerunt.

Templum Veſtæ, quod à Romulo poſt vrbẽ cõ-

ditam est ædificatum inter Capitolium & Palatinum, fuit eo loco, vbi nunc est templum S. Mariæ delle Gratie (alij S. Mariæ della Consolatione volant) in eo Vestales virgines ignem sacrũ & inextinctum custodiebant; & Palladium: quod erat simulacrum Palladis ligneum versatilibus oculis: olim ab Ænea ex Troia, cũ penatibus Ilij in Italiam deportatum. Hoc templum Deæ cum conflagrasset, ex incendio ereptum Palladium translatum est in Veliam vbi; est delubrum S. Andreæ in Pallara.

Templo S. Georgij in Velabro adiacet Arcus Boarius, totus marmoreus, artificiosissimis sacrificantiũ figuris insignitus. Erectus olim in honorẽ Septimij Seueri & M. Aurelij Impp. ab argẽtarijs & negociatoribus. Cui vicinũ est templum Iani quadrifrontis, quadratum, & in vnaquaq; fronte porta amplissima, superiusq; duodecim receptacula, quibus olim mensiũ simulacra continebantur. Ianus enim sacrificiorũ princeps apud antiquos est habitus: ob id multa olim fuerunt Romæ templa Iano sacrata, è quibus illud maxime claruit, prope portam Carmentalem iuxta theatrum Marcelli, quod Numa erexerat; habuitq; tantum duas portas, quę pacis temporibus claudebantur, bello autem relinquebantur apertæ. Hoc ter tantum clausum fuisse prodiderunt historiæ. Primo à Numa conditore, Secundo à T. Manlio Consule. Tertio ab Augusto Cæsare, post bellum Actiacum. Suetonius refert, à Nerone quarto fuisse clausum: quod ex eiusdem imperatoris numismatibus probatur, in quorum auersa facie legitur:

PACE.

PACE POPVLO ROMANO VBIQVE PARTA IANVM CLVSIT. Hodie templum hoc S. Catharinæ ſacrum eſt.

Herculis Victoris fuit olim templum è regione ſcholæ Græcæ verſus Tyberim, vbi hodie videtur adhuc ædificium rotundum fornice tectum, dirutum fuit à Sixto IV. P. M. In hoc templum neque muſcæ neq; canes, vt fama prodidit, ingrediebantur: tanta fuit veneratione apud antiquos, & hanc cauſam referunt. Cum Hercules cum victimarijs Ioui ſacrificaturus eſſet, & à muſcis moleſtaretur, myagrium Deum muſcarum rogaſſe fertur, vt muſcas à carnibus arceret: clauum autẽ ſuam ad templi fores appẽdit; quam canes formidabant, neque oſtio audebant appropinquare. Sacris, quæ in eo fiebant, non aderant mulieres, neque ſerui neque liberti, ſed liberi tantum liberisque parentibus nati.

Aræ maximæ, quæ prope ſcholam Græcam ab Hercule fuit erecta: prope quam Æmilius ædificauit Pudicitiæ patritiæ fanum: in quod cum ingreſſa eſſet Virginia nobilis quidem, ſed plebeij viri vxor, à reliquis matronis eiecta eſt: quæ offenſa propter repulſam, in vico longo Pudicitiæ plebeiæ templum erexit: à quo patritiæ quoque matronæ arcebantur. Nulla horum hodie extant veſtigia.

Mons Auentinus diu infamis & inauſpicatus habitus, quod Remus in eo cæſus eſſet, à Sabinis habitari cœptus, hodie antiquum nomẽ retinuit. In cuius vertice, Dianæ templum ab Anco Martio erectum, nunc S. Sabinæ ſacrum eſt. Prope hoc

templum Bona Dea delubrum habuit, nunc S. Mariæ Auentinæ dicatum. Nec procul ab hoc templo domum olim habuit Iulius Cæsar: ex hac Calpurnia Cæsaris vxor, cum se ad sacra nocturna Bonæ Deæ cum reliquis matronis contulisset, illius amore captus Clodius habitu muliebri tectus eo se contulit: cumque loci ignarus huc & illuc vagaretur, vt amicam quæreret, neq; virorum vlli sacris Dei liceret interesse, nescius, quas ceremonias deberet seruare, ab ancilla proditus est. In summo Auentino, Hercules Victor fanū habuit, quod hodie dicitur S. Alexij.

Thermarum Decianarum, Varianarum & Traiani, ingentes hodie adhuc extant ruinæ prope tēpla, S. Priscæ, S. Alexij, & ad munitionem Farnesiam & portam veterem Tergeminam, in vinea Francisci Albertini, ciuis Romani.

Remoria vocatur is locus, vbi Remus cum suis auspicatus est: qui priscum nomen hodie retinet: vocantq; Romani Remoriā viam, quæ à Circo maximo per dorsum Auentini recta ducit ad munitionem Pauli III. Farnesij, in ea cæsus est à Celere Remus, Romuli iussu, & ibidem sepultus.

Spelunca Caci eo loco fuisse dicitur, vbi rupes aspera & exesa, locusq; accliuis cernitur, spectans Tyberim, è regione S. Mariæ Auentinæ. Hunc cum mactasset Hercules, quod boues, quos ex Hispania deuictis Geryonibus captiuos abducebat, aduersis caudis in id antrum traxisset: ibidem arā Ioui inuentori erexit, vbi postea templum erectū est Herculi. Ad hoc præcipitium fuerunt olim Furcæ Gemoniæ, vbi facinorosi & scelerati vncis

tracti

tracti immaniter trucidabantur. Ad has Vitellius imperator furca ſub mento applicata, & veſtibus ad nates vſq; turpiter laceris, Veſpaſiani iuſſu necatus eſt; quod paulo ante Sabinum Veſpaſiani fratrem è viuis ſuſtuliſſet.

Porta Tergemina antiquiſſima ex opere latericio adhuc hodie fere integra videtur ad Auentini radices propè Tyberim, ad vineas, quæ Traiani thermis adiacent. Per hanc portam exiuerunt vrbe Tergemini fratres Horatij, vt contra Curiatios Albanos pro patriæ libertate decertarent: quibus cæſis, ac duobus fratribus amiſſis, Horatius ouans in vrbem regreſſus eſt.

Mons teſtaceus horreis Diocletianis centum & quinquaginta cellis, ſed ruinoſis, conſpicuus adiacet, qui ex vaſta congerie vaſorum fictilium erectus eſt. De hac vrnarum coaceruatione variæ feruntur opiniones. Quidam exiſtimant montem hunc (qui in circuitu ſuo fere duo millia paſſuum continet, & in altitudine plusquam centum & ſexaginta pedes) in tantam vaſtitatem inſurrexiſſe ex fragmentis ollarum, quæ à figulis eam vrbis partem circa flumen incolentibus cõgerebantur, ne ſi in Tyberim proiecta eſſent, fluuij curſum impedirẽt, vel ſi in agros vicinos eſsẽt exonerata, locorum obeſſent fertilitati. Quidã, ſed inepte prorſus, eum vocant Montem d' ogni terra: fabulantes coniectura ridicula erectum fuiſſe ex vaſibus diuerſarum nationum, quibus tributa Romam importabant. Et vaſa in eum locum memoriæ cauſa detrudi iubebantur. Olim Circus Olympicus totum id ſpatium loci complectebatur, quod Teſtaceum montem continet.

Ad

Ad portam Ostiensem adhuc integra conspicitur Pyramis C. Cestij Septemuiri Epulonum. Structa est ex candido marmore, saxis ingentibus & quadratis. Quamuis autem in eius frontispicio, quod Testaceum spectat, maiusculis literis nomẽ C. Cestij referat: volunt tamen doctiores, hanc Pyramidem fuisse sepulcrum commune omnibus Epulonum septemuiris. Erant enim Epulones, qui curam gerebant cõuiuiorum, quæ fiebant diebus festis & solennibus sacrificijs in honorem Deorũ.

Huic Pyramidi vicina est porta Ostiensis, quæ nunc S. Pauli dicitur. Extra hanc portam statim se offert templum illud splẽdidum, quod D. Paulo dicatum est. In quo quatuor sunt ordines columnarum ingentium marmorearum, Dorico & Corinthio opere: præter alias innumeras, Atticas & Ionicas, quæ totum chori sustinent ædificium. Neq; vllum inuenias Romæ templum, quod columnarum frequentiore numero, vel exquisitioribus marmoribus sit excultum quam hoc.

Ostiensi via ad Tyberim relicta, pons se offert ad læuam, riuo non admodum magno superiacens. A quo semita sese extollit in colles vicinos, ducitq; ad eum locum, qui vocatur Tre fontane. Templum est antiquum, ante cuius porticũ porphyriticæ extolluntur columnę preciosissimæ; variegatæ enim sunt venustissime rubro ac cinericio colore. Intrinsecus ostenduntur tres fontium scaturigines: quarum aquæ sacrosanctæ vulgo existimantur, ac morbis multis mederi. In eo loco Paulus Apostolus sub Nerone truncatus capite creditur.

Ad

Ad finem Parionis siue Hyperionis vici, ad quē à Strada Iulia transitur, sunt Arianæ ædes amplissimæ: ad quarum angulum sita est tota illa vrbe, imo toto orbe celeberrima Pasquini statua: cuius factum celebratur toto fere anno, sed maxime in die S. Marci. Ad hanc solent Romani affigere scommata & famosa epigrammata: quibus innotescit omnibus, quicquid ioci aut vitiorum totæ vrbe solet committi inter principes ac matronas nobiliores: plerunque cum infamia ac dedecore multorum: cum Satyrica illa scripta nullius nomini conditionique parcant: imo etiam sæpissime summorum pontificum gesta, ioci ac secretiora dicta in eo loco publicentur. Et cardinalium collegium turpi fanna plerunque sugillatur.

Haud procul inde vastum illud palatium Cancellariæ quadrato ædificio, ac totum ex Tiburtino lapide constructum: Hoc ædificatum est ex ruinis Amphitheatri Titi Vespasiani; quod Coliseum vocant. Ne tamen hæc tam munifica structura prorsus deleretur, pontifices voluerunt aliquam eius partem relinqui superstitem, vt ex ea appareret splendor integri ædificij. Erectum est ibi inter alia egregium Bacchi nudi simulacrum, redimiti pampinis & vuis, & cum Satyro colludentis: Bacchus hic dicitur sculptus à Michaele Angelo Bonaroto, cum primum Romam iuuenis venisset Florentia: eo tempore primum locum inter pictores totius orbis facile obtinebat Raphael Sanctius Vrbinas. Is cum tacite Bonaroti famæ inuideret, & illius honorem crescētem studeret subuertere: Michaelem non latuerunt Sanctij consilia: cumque Florenti-

deambulacra ſecreta fornicato opere protenduntur vſque ad pa'atium Pontificum, quod in colle Vaticano ſtructum eſt, vocantque Curritorium: per quod Pontifices vrgente neceſſitate, dum obſiderentur, occulte ſe poſſent ſubducere, & tuta fuga ex palatio in hanc arcem ſe recipere.

Caſtello S. Angeli vicinus eſt pons Ælius, factus ab Ælio Adriano prope regionem Vaticanam: per quem in ſuum ſepulcrum tranſitus eſſet facilior, ad funera eorũ, qui in tam magnifica mole ſepelirentur, procuranda. Hodie pons Caſtelli vocatur, per quem ex vrbe in Burgum via protenditur ad palatium ſummorum Pontificum. Inde ſub Ælio, medio Tyberi conſpiciuntur è regione xenodochij S. Spiritus, ruinæ pontis triumphalis, qui olim triumphis ſacer fuit. Imperatores enim de exteris nationibus & prouincijs triumphantes, hoc ponte pompas ſolennes in Capitolium agebant.

Huic proximum eſt Burgum recte ducens ad palatium Pontificum, quo loco olim ante Alexandri II. tempora ſylua fuit, ſiue lucus Vaticanus, qui erat inſignis ſepulcrali pyramide Scipionis Africani. Nunc aliquot ædificijs illuſtribus atque diuerſis ornamentis, inſignibus nempe palatijs, conſpicuum. Quorum illud, quod aſſurgit prope S. Catharinam, Cardinalis fuit Dandini: in eoq; monſtratur caput elegans Agrippinæ matris Neronis pectore veſtitor Hadriani Imp. & Antinoi Bithini iuuenis formoſiſſimi; quem Hadrianus in delitijs habebat atq; alia inſuper multa. Superius ad dextrã eſt palatiũ Cardinalis Roberti Strozzę:

vbi

vbi præter infinita ornamenta notatu digna oſtenditur armamentariũ ſplendidiſſimũ, omni genere armorum exornatum, tam noſtratiũ, quam exterarum nationũ; maxime Indorum & Americorũ: vt ſunt clauæ & gladij lapidei & lignei, quibus etiam chalybs ſcinditur; diuerſa veſtimẽta, pilei, caſſides, perizonia, periſcelides, & balthei clypeique, ex plumis artificioſiſſime cõpoſita omnia, tantaq; induſtria elaborata, vt ſine admiratione nemo ea ſatis cõtemplari potis ſit. Duo etiã ibi mõſtrantur Aleriones ſiue aues Paradiſi, quas Apodes nominamus. Harum corpora ſunt tenuia, quaſi ex xylo vel bombice: plumis oblõgis verſicolorib. & quæ colorem iridis cœleſtis referunt, & mutãt dũ auiculæ corpus inuertitur, nunc aurũ, nunc purpurã viridemq; Smaragdũ, & Saphyri cyaneã repræſentãtes formam, vel eam gẽmam, quam opalam vocamus. Sunt & alia in Burgo palatia, vt Campegiorum, ad dextrã, & ex oppoſito Pariſinũ: vtrumq; picturis & tabulis elaboratiſſimis inſtructum. In domo Petri de Radicibus in eodem Burgo, præter Bacchum integre nudum & tres Muſas longis inſtitis amictas, monſtratur etiam caput ſenis, quod dicunt eſſe Caroli magni: ſed quod longe diſſimile eſt illi Caroli Magni effigiei, quæ in Prætorio demonſtratur Norimbergæ.

Siniſtram ibi plateæ partem prope portam S. Honufrij, Palatium Cæſianũ occupat; ibi mõſtratur effigies Hippolytæ Amazonis, quam Michael Angelus Bonarotus Florentinus, noſtri ſeculi pictor, ſculptor & architectus excellẽtiſſimus, mirifice laudat, vtpote in qua ſummum videatur artificium

ficium & proportio perfectissima. Huic areæ siue cortiadiacent amœnissimi & spatiosissimi horti, q in quatuor areas latissimas distincti sunt, ac singulę fontes prębẽt limpidos, quibus statuę supimpositę sunt. Atq; hic effigies & sculpturę artificiosissimæ videtur, vtpote Bacchi, Fauni, Neptuni, Apollinis, Agrippinę, Palladis, Hermaphroditi cuiusdam nudi, Iouis Hammonis, Pompeij Magni, Demosthenis, Speusippi, Veneris, Romæ triumphantis de Dacia victa, aliaq; signa antiqua, quæ spectantibus singularem prębent delectationem.

Paulo alti⁹ attollitur ædificiũ rotundũ testudinatũ, q̃ Antiquariũ vocãt, à diuersis signis & imaginib. marmoreis, q̃ in eo cõtinentur. Vbi p̃ter alia simulacrum est Satyri, cui assidet iuuenis inflans fistulam septemplicẽ. Nusq̃ gentiũ videtur statua elaborati⁹ facta vel venustior. Scopæ dicitur opus.

In Palatio pontificũ, in quod relicta Lateranorũ Basilica propter amœnitatem sese receperunt põtifices (cuius amplitudo tanta est, vt oppidi potius iustam magnitudinem æquet quam domus) ornamenta exquisita tanta sunt ac talia, vt admirari potius quam recensere ea quis possit. Inprimis vero sacellum xysti, quod altissimum latissimumque templum æquat amplitudine, hic annotare & cõtemplari necesse arbitror. In hoc solet fieri noui pontificis electio, congregatis in hunc locum cardinalibus omnibus, & Ecclesiæ Romanæ p̃fectis, in sede vacante & interregno, sententiæ & suffragia ab vnoquoq; excipiũtur & referũtur in publicum. In huius sacelli pariete, qui attollitur pone summum altare, videtur pictura illa admiranda

Micha-

Michaelis Angeli Bonaroti, qua extremũ Christi iudiciũ expressum est, tanta arte, tanta ven[illegible]te, vt nihil elaboratius, nihil perfecti⁹, aut [illegible]o[illegible]rius toto mundo videri possit. Sunt etiã in hoc [illegible]rtio horti, qui ꝓpter collium Vaticanorum ami[illegible]itatẽ, Beluedere nominantur. E simulacris, quorum infinita ibi visuntur, Michael Angelus summe laudat illud Herculis, quod est ad partem inferiorem statuæ Veneris cum Cupidine colludentis, idq; omnium, quę Romæ videntur, absolutissimum esse asserit. Atq; præter hoc etiam statua Laocoontis, cum duob. filijs, quos gemini dracones implicãt, & flexuosis voluminibus intricant. Hoc opus est omniũ, quę toto orbe videntur, absolutissimum, teste Plinio, atq; hanc statuam Michael Angelus dicit esse miraculũ artis singulare, in quo diuinũ artificũ debeamus suspicere ingeniũ, potius quam ad imitationẽ nos accingere. In adiacente cœnaculo, sub testudinato receptaculo, est alia Cleopatræ statua quasi moriẽtis, tanta arte sculpta & perfecta vt per medias vestes tenuissimas, q̃ ex marmore factæ sunt pretiosissio, videatur corporis forma numeris omnibus absolutissima. Et quid multis? verbis exprimi nõ potest, quanta loci pulcritudo, quantum singulorum, quæ ibi videntur, pretiũ & quantam admirationem spectantibus moueant.

Quid de bibliotheca Vaticana, q̃ Nicolaus V. stabiliuit, memorẽ? q̃ qui lustrauerit diligẽti⁹, in ea nihil desiderabit, ꝙ ad admirationẽ, cuiã, aut studiũ viri literati facere possit. Tã multi sũt in ea libri ex mẽbranis, linteis, corticibus, & antiqua papyro, vt Ægyptiorũ illã Ptolomęi bibliothecam superare non sit dubium.

In platea media, quæ latissima expanditur ante pontificias ædes & S. Petri delubrum, obeliscus ille Vaticanus integer ex lapide ophite, cuius altitudo est pedũ 170. præter basin, q̃ cõtinet pedes 37. Obeliscus in inferiori parte latus est ped. 12. in superiore vero octo. Fuerat ante paucos annos erectus ad sinistrũ templi Vaticani latus in circo Neronis: sed Sixti V. P. M. beneficio inde translatus est in mediã plateã loco celebriori, opera Dominici Fontanæ, architecti Comensis: quod contigit anno 1586. nescio an in hoc magis admirari debeamus audaciam architecti, quam artis efficaciam: qua potuit saxum tanti ponderis suo loco mouere, & alio transferre sine ruptione. Solus n. obeliscus præter basim superat pondus 956148. librarum: præter vectes, repagula, cingula, & harpagines ferreas, quib. oportuit tantã molẽ lapideam cingi, vt posset facilius cõprehendi, & alio moueri: quæ omnia decies centena millia quadraginta duo millia octingentas & viginti quatuor libras æquabant.

Non procul ab hinc est xenodochium siue hospitale S. Spiritus, ab Innocẽtio III. primo ædificatũ, postea multis ædificijs ampliatũ Sixti IV. sumtibus, pauperum & hospitum peregrinorum vsib. & necessitatibus dicatũ est. In eo, sicut & in Laterãno, diligentissime ac summa cura tractantur hospites, ægroti maxime: ad quorum cõmoda pharmacopolium omnes generis medicamentorum instructissimũ erectum est, medici expertissimi ac fidelissimi cõstituti sunt, qui aduenarũ vsibus fidelissimam præstant operam. Fitq; sepius, vt non so-

lum pauperes & egeni, sese eo transferant, sed etiam opulentiores & ingenui ciues, qui familiam non alunt: vt curentur. Exactius in hoc suis sumtibus xenodochio tractantur, opus Christianæ charitati ac dilectioni proprium.

In monte aureo (qui ita vocatur à fabulo scintillante tanq̃ aurũ, q̃ illic nascitur) structũ est templũ S. Petri, omni picturarum elegãtia ornatissimum. In quo etiam erectum est insigne Iulij III. P. M. sepulcrum: quod sibi dum viueret, struxit. conditus tamen iacet in Vaticano, loco humili & inglorio.

E regione Naumachiæ siue Arsenalis, vbi olim omnia instrumẽta bellica, q̃ ad classes instruendas erant necessaria, reponebãtur (hodie vero vinum venale ibi proponitur, q̃ ex Ostia nauigio per Tybetim in vrbẽ inuehitur) paulo inferius pontẽ Aurelium, (hodie Ponte Xysto) reliquæ adhuc quædã conspiciuntur põtis sublicij, qui olim ligneus fuit, quo tẽpore Horatius Cocles impetũ sustinuit hostium, dũ pons deijceretur, ne per eũ in vrbẽ irruerent Hetrusci. Hũc postea lapideũ struxit Æmilius Lepidus. Ex eo præcipitatus est in Tybetim Heliogabalus, saxo ad ceruicem alligato.

De insula Tyberina fama est, excreuisse eã olim ex segetibus Tarquinij Superbi in alueum fluuij coniectis: ad quas paulatim arenarum cumuli & excrementa vrbis sunt addita. Successuq; tẽporis emersit terra, quæ firmari cœpit & solidiorẽ sumẽs basim ædificijs in ea struendis facta est commoda. Lata quidem non est admodum, sed stadia duo sua æquat longitudine. Æsculapio sacra fuit antiquitus, hac causa. Cũ Romani contagiosa lue labo-

rrent, Apollinis oraculo iussi sunt ex Epidauro Romã Æsculapium accersere: qui in specie serpẽtis ex ara templi prosiliẽs, in naues legatorum Romanorũ, quę in portu erant, tortuosis repẽs voluminibus, magna spectantiũ admiratione conscendit. Cumque ad Ostiam peruenisset, per Tyberim in vrbem appulsa ad hanc insulam consedisse fertur, neq; inde potuit nauis abstrahi: q̃ res argumẽtum Romanis dedit, Deũ velle toli eo loco. Ideo ex senatusconsulto illic templum erectum est: quod hodie S. Bartholomæo sacrum est. Videturque adhuc in fine inferiore insulæ, nauis illius forma, quæ ex lapide formata erat: & quam inundatio fluminis rapidior superioribus annis detexit.

Dignus etiam vel maxime visu est hortus Cardinalis Farnesij in Trãstyberina vrbe, varijs statuis illustris. Nec procul abhinc in templo Iouis, quod nunc Ioannis Baptistæ nomen habet, duo adhuc marmorei tripodes triangulares seruantur, qui religiose ad aram Iouis adstabant.

Carceres plebis eo loco fuerunt, vbi hodie est ædes S. Nicolai in carcere: quod templũ erat Pietatis à M. Attilio Glabrione dicatum: propterea quod in eo carcere filia patrem in vinculis arctatum multis diebus aluit proprio lacte.

Pilati domus (si vulgari famæ fidem habemus) ibi fuit, vbi prope pontẽ senatorium (qui nunc est S. Mariæ Transtyberinæ) altissimæ conspiciuntur ruinæ, sed reuerà si quis eas contempletur attentius, cognoscet illic fuisse lauacra, siue sudatoria Laconica: quod ex caminorum canalibus frequẽtibus, qui vndequaq; parietibus inserti sunt, facile iudicatur.

Tem-

Digitized by Google

Templum Fortunę virilis adhuc fere integrum eſt & illæſum, longo vtrinq; columnarũ ordine: nunc S. Mariæ Ægyptiacæ ſacrũ eſt. Quidam hoc aſſerunt fuiſſe Pudicitiæ matronalis delubrum: in quo fuit Bucca veritatis: q̃ ſtatua erat marmorea, exertis labris, in os cuius Volaterrani reguli filia manum inſeruit, vt ſuam virginitatem impollutam probaret, cum ab anu Feſulana de ſtupro accuſaretur. Quod cũ paulo poſt idem tentaſſet alia puella eiuſdẽ criminis rea, ſimulacrum os ſtrinxit, & impudicæ dextram truncauit. Saxum illud amplum & rotundum ex porphyro, in cuius medio leoninus extat rictus, quod ante ſcholam Græcam erectũ eſt, hodie Bucca veritatis appellatur. Quia tamen in vrbe, quamplurima eiuſmodi animaduertuntur, ex diuerſis marmoribus: quare ſtultum eſt ad buccam veritatis hæc applicare, quæ ad ſtillicidia & receptacula aquarum pluuialium ſeruiuiſſe veriſimile eſt. Atque in hac vicinia etiam quædam ſunt domus, in quibus ſpectantur multa egregia antiquitatis monumenta. Oſtenditur etiam poſteriore Capitolij parte præcipitium quoddam, Tarpeia rupes, quæ recta ſpectat Veſtæ aram: ex hac Manlius affectatæ tyrannidis reus, edicto ſenatus præcipitatus eſt.

Domus Ouidij oſtenditur inter eas ruinas, quæ ſunt non procul à templo S. Mariæ della conſolatione: alij dicunt fuiſſe in vico Iugario prope portam Carmentalem ad radices Capitolij; prope forum holitorium: vbi quoq; Valerius Amerinus habitauit, vbi Opis & Saturnus ædes habuerunt.

Templum Veſtæ, quod à Romulo poſt vrbẽ cõ-

ditam est ædificatum inter Capitolium & Palatinum, fuit eo loco, vbi nunc est templum S. Mariæ delle Gratie (alij S. Mariæ della Consolatione volant) in eo Vestales virgines ignem sacrũ & inextinctum custodiebant; & Palladium: quod erat simulacrum Palladis ligneum versatilibus oculis: olim ab Æneа ex Troia, cũ penatibus Ilij in Italiam deportatum. Hoc templum Deæ cum conflagrasset; ex incendio ereptum Palladium translatum est in Veliam vbi; est delubrum S. Andreæ in Pallara.

Templo S. Georgij in Velabro adiacet Arcus Boarius, totus marmoreus, artificiosissimis sacrificantiũ figuris insignitus. Erectus olim in honorẽ Septimij Seueri & M. Aurelij Impp. ab argẽtarijs & negociatoribus. Cui vicinũ est templum Iani quadrifrontis, quadratum, & in vnaquaq; fronte porta amplissima, superiusq; duodecim receptacula, quibus olim mensiũ simulacra continebantur. Ianus enim sacrificiorũ princeps apud antiquos est habitus: ob id multa olim fuerunt Romæ templa Iano sacrata, è quibus illud maxime claruit, prope portam Carmentalem iuxta theatrum Marcelli, quod Numa erexerat; habuitq; tantum duas portas, quę pacis temporibus claudebantur, bello autem relinquebantur apertæ. Hoc ter tantum clausum fuisse prodiderunt historiæ. Primo à Numa conditore, Secundo à T. Manlio Consule. Tertio ab Augusto Cæsare, post bellum Actiacum. Suetonius refert, à Nerone quarto fuisse clausum: quod ex eiusdem imperatoris numismatibus probatur, in quorum auersa facie legitur:

PACE.

PACE POPVLO ROMANO VBIQVE PARTA IANVM CLVSIT. Hodie templum hoc S. Catharinæ ſacrum eſt.

Herculis Victoris fuit olim templum è regione ſcholæ Græcæ verſus Tyberim, vbi hodie videtur adhuc ædificium rotundum fornice tectum, dirutum fuit à Siſto IV. P. M. In hoc templum neque muſcæ neq; canes, vt fama prodidit, ingrediebantur: tanta fuit veneratione apud antiquos, & hanc cauſam referunt. Cum Hercules cum victimarijs Ioui ſacrificaturus eſſet, & à muſcis moleſtaretur, myagrium Deum muſcarum rogaſſe fertur, vt muſcas à carnibus arceret: clauum autẽ ſuam ad templi fores appẽdit, quam canes formidabant, neque oſtio audebant appropinquare. Sacris, quæ in eo fiebant, non aderant mulieres, neque ſerui neque liberti, ſed liberi tantum liberisque parentibus nati.

Aræ maximæ, quæ prope ſcholam Græcam ab Hercule fuit erecta: prope quam Æmilius ædificauit Pudicitiæ patritiæ fanum: in quod cum ingreſſa eſſet Virginia nobilis quidem, ſed plebeij viri vxor, à reliquis matronis eiecta eſt: quæ offenſa propter repulſam, in vico longo Pudicitiæ plebeiæ templum erexit: à quo patritiæ quoque matronæ arcebantur. Nulla horum hodie extant veſtigia.

Mons Auentinus diu infamis & inauſpicatus habitus, quod Remus in eo cæſus eſſet, à Sabinis habitari cœptus, hodie antiquum nomẽ retinuit. In cuius vertice, Dianæ templum ab Anco Martio erectum, nunc S. Sabinæ ſacrum eſt. Prope hoc

templum Bona Dea delubrum habuit, nunc S. Mariæ Auentinæ dicatum. Nec procul ab hoc templo domum olim habuit Iulius Cæsar: ex hac Calpurnia Cæsaris vxor, cum se ad sacra nocturna Bonæ Deæ cum reliquis matronis contulisset, illius amore captus Clodius habitu muliebri tectus eo se contulit: cumque loci ignarus huc & illuc vagaretur, vt amicam quæreret, neq; virorum vlli sacris Dei liceret interesse, nescius, quas ceremonias deberet seruare, ab ancilla proditus est. In summo Auentino, Hercules Victor fanū habuit, quod hodie dicitur S. Alexij.

Thermarum Decianarum, Varianarum & Traiani, ingentes hodie adhuc extant ruinæ, prope tepla, S. Priscæ, S. Alexij, & ad munitionem Farnesiam & portam veterem Tergeminam, in vineis Francisci Albertini, ciuis Romani.

Remoria vocatur is locus, vbi Remus cum suis auspicatus est: qui priscum nomen hodie retinet: vocantq; Romani Remoriā viam, quæ à Circo maximo per dorsum Auentini tecta ducit ad munitionem Pauli III. Farnesij, in ea cæsus est à Celere Remus, Romuli iussu, & ibidem sepultus.

Spelunca Caci eo loco fuisse dicitur, vbi rupes aspera & exesa, locusq; accliuis cernitur, spectans Tyberim, è regione S. Mariæ Auentinæ. Hunc cum mactasset Hercules, quod boues, quos ex Hispania deuictis Geryonibus captiuos abducebat, aduersis caudis in id antrum traxisset: ibidem arā Ioui inuentori erexit, vbi postea templum erectū est Herculi. Ad hoc præcipitium fuerunt olim Furcæ Gemoniæ, vbi facinorosi & scelerati vncis tracti

tracti immaniter trucidabantur. Ad has Vitellius imperator furca ſub mento applicata, & veſtibus ad nates vſq; turpiter laceris, Veſpaſiani iuſſu necatus eſt; quod paulo ante Sabinum Veſpaſiani fratrem è viuis ſuſtuliſſet.

Porta Tergemina antiquiſſima ex opere latericio adhuc hodie fere integra videtur ad Auentini radices propè Tyberim, ad vincas, quæ Traiani thermis adiacent. Per hanc portam exiuerunt vrbe Tergemini fratres Horatij, vt contra Curiatios Albanos pro patriæ libertate decertarent: quibus cæſis, ac duobus fratribus amiſſis, Horatius ouans in vrbem regreſſus eſt.

Mons teſtaceus horreis Dioclerianis centum & quinquaginta cellis, ſed ruinoſis, conſpicuus adiacet, qui ex vaſta congerie vaſorum fictilium erectus eſt. De hac vrnarum coaceruatione variæ feruntur opiniones. Quidam exiſtimant montem hunc (qui in circuitu ſuo fere duo millia paſſuum continet, & in altitudine plusquam centum & ſexaginta pedes) in tantam vaſtitatem inſurrexiſſe ex fragmentis ollarum, quæ à figulis eam vrbis partem circa flumen incolentibus cõgerebantur, ne ſi in Tyberim proiecta eſſent, fluuij curſum impediret, vel ſi in agros vicinos eſsẽt exonerata, locorum obeſſent fertilitati. Quidã, ſed inepte prorſus, eum vocant Montem d' ogni terra: fabulantes coniectura ridicula erectum fuiſſe ex vaſibus diuerſarum nationum, quibus tributa Romam importabant. Et vaſa in eum locum memoriæ cauſa detrudi iubebantur. Olim Circus Olympicus totum id ſpatium loci complectebatur, quod Teſtaceum montem continet.

Ad

Ad portam Ostiensem adhuc integra conspicitur Pyramis C. Cestij Septemuiri Epulonum. Structa est ex candido marmore, saxis ingentibus & quadratis. Quamuis autem in eius frontispicio, quod Testaceum spectat, maiusculis literis nomẽ C. Cestij referat: volunt tamen doctiores, hanc Pyramidem fuisse sepulcrum commune omnibus Epulonum septemuiris. Erant enim Epulones, qui curam gerebant cõuiuiorum, quæ fiebant diebus festis & solennibus sacrificijs in honorem Deorũ.

Huic Pyramidi vicina est porta Ostiensis, quæ nunc S. Pauli dicitur. Extra hanc portam statim se offert templum illud splẽdidum, quod D. Paulo dicatum est. In quo quatuor sunt ordines columnarum ingentium marmorearum, Dorico & Corinthio opere: præter alias innumeras, Atticas & Ionicas, quæ totum chori sustinent ædificium. Neq; vllum inuenias Romæ templum, quod columnarum frequentiore numero, vel exquisitioribus marmoribus sit excultum quam hoc.

Ostiensi via ad Tyberim relicta, pons se offert ad læuam, riuo non admodum magno superiacens. A quo semita sese extollit in colles vicinos, ducitq; ad eum locum, qui vocatur Tre fontane. Templum est antiquum, ante cuius porticũ porphyriticæ extolluntur columnę preciosissimæ; variegatæ enim sunt venustissime rubro ac cinericio colore. Intrinsecus ostenduntur tres fontium scaturigines: quarum aquæ sacrosanctæ vulgo existimantur, ac morbis multis mederi. In eo loco Paulus Apostolus sub Nerone truncatus capite creditur.

Ad

Ad finem Parionis siue Hyperionis vici, ad quē à Strada Iulia transitur, sunt Arianæ ædes amplissimæ: ad quarum angulum sita est tota illa vrbe, imo toto orbe celeberrima Pasquini statua: cuius factum celebratur toto fere anno, sed maxime in die S. Marci. Ad hanc solent Romani affigere scommata & famosa epigrammata: quibus innotescit omnibus, quicquid ioci aut vitiorum tota vrbe solet committi inter principes ac matronas nobiliores: plerunque cum infamia ac dedecore multorum: cum Satyrica illa scripta nullius nomini conditionique parcant: imo etiam sæpissime summorum pontificum gesta, ioci ac secretiora dicta in eo loco publicentur. Et cardinalium collegium turpi sanna plerunque sugillatur.

Haud procul inde vastum illud palatium Cancellariæ quadrato ædificio, ac totum ex Tiburtino lapide constructum: Hoc ædificatum est ex ruinis Amphitheatri Titi Vespasiani; quod Coliseum vocant. Ne tamen hæc tam munifica structura prorsus deleretur, pontifices voluerunt aliquam eius partem relinqui superstitem, vt ex ea appareret splendor integri ædificij. Erectum est ibi inter alia egregium Bacchi nudi simulacrum, redimiti pampinis & vuis, & cum Satyro colludentis: Bacchus hic dicitur sculptus à Michaele Angelo Bonaroto, cum primum Romam iuuenis veniisset Florentia: eo tempore primum locum inter pictores totius orbis facile obtinebat Raphael Sanctius Vrbinas. Is cum tacite Bonaroti famæ inuideret, & illius honorem crescētem studeret subuertere: Michaelem non latuerunt Sanctij consilia: cumque Florenti-

rentino esset ingenium elatum & in vindictam pronum, ex aduersarij iudicio sibi famam apud Romanos stabilire cõstituit; opeta multorũ amicorum, maxime Cardinalis Capoferrati, qui illum dum vixit, ppetuo dilexit & fouit. Bonarotus igitur ex antiquo marmore, quanta potuit arte & industria hunc formauit Bacchum, perfectamq; statuam vno mutilauit brachio, quod penes se seruauit: & in basis statua, excauata lacuna suum inscripsit nomen, quod litocolla cooperuit: opusq; quod clanculum elaborauerat, iussit terra recõdi in vinea cuiusdam ciuis, qui in ea domum paulo post structurus erat. Cumq; anno sequente simulacrum hoc esset repertum ab ijs, qui fundamenta domus iaciebant, vt solet Romæ fieri, statim adplaudi cœptũ est, & aductum ante pontificis Palatium, laudari à multis, & cum aliis conferri, ac multis præponi. Solus Michael dissimulatũ suum opus laudare quidem, sed in eo non deesse, quæ possent reprehendi, dicebat. Tunc cõtentione interillum & Sanctiũ orta, inuerti basim iussit, suũ nomen ostendi, & brachium q̃ auulserat nouum applicari statuæ, quã calce cimẽto liniuerat prius, vt hunc situm ex antiquitate cõtraxisse videretur. Factumque est vt Bonarottus summum honorem apud Romanos ex Sanctii sentẽtia fuerit adeptus.

In foro Farneziorum, quod la piazza del Duca vulgo nuncupatur, est amplissimum magnificentissimumq; palatiũ, quotquot in vrbe videntur, à Paulo III. P. M. Farnesio summis impensis extructum, ac multis statuis insigne. Ex cuius opposito sunt ędes Norciarum, diuersis inscriptionibus antiquis

tiquis insignes & elegãtissimo illo Adonide nudo, integro & baculum tenente: alii Meleagrum esse dicunt, propter caput apri adiacentis, & canem, qui spirare videtur. Inuẽtus est in Ianiculo monte in vinea: eius pretium quinq; millibus ducatorũ æstimatur: nulla statua tota Roma videtur magis integra: nusquam gentium antiqui operis statuæ tanti emuntur, quam Romæ. Omnes enim istorum ornamẽtorum ita sunt studiosi, vt in ijs conquirendis videantur inuicem decertare sumtibus & curiositate. Videtur ibidem simulacrum boni Euentus, qui dextra speculum tenet, læua sertum ex spicis. Opus est Praxitelis absolutissimum.

Non procul à Campo Floræ sunt ædes Cardinalis Capoferrati, qui S. Georgij dicitur, Farnesianis multo minores, sed non minoris splendoris & artificij. In frontispicio depingitur tempus vernũ: Veris præses est Venus (quæ ad similitudinem corporis Liuiæ Columnæ principis formosissimæ depicta est) quæcunq; illic repræsentatur, sunt amatoria: complexio hominum est sanguinea, & aeris elemento cuncta signantur. Ita & in reliquis frontispicijs complexiones, cholerica, melancholica & phlegmatica sunt expressæ. Elementa, ignis, aqua, terra: tempora, æstas, autumnus, hyems: Dij præsides, Mars, Saturnus & Ianus. Opus est absolutissimum. Cardinalis hic, vt fuit vir ingeniosus, comes & liberalis, intimo Michaelem Angelum prosecutus est amore, & ab eo imperauit, quicquid à tanto viro potuit artificiosum excogitari. Cui & conclaue pinxit secretum: in quo duodecim Ionis adulteria arte summa sunt expressa.

Præ

Prætereo hic ædes Gabrielis Vallati, in quibus sunt plurimæ inscriptiones, & antiqua marmora. Ædes Marij Delphini, in quibus monstratur Canopi statua ex Simithe lapide facta in hydriæ speciem: in cuius frõtispicio anteriore tabula est proposita literis hieroglyphicis plena, quibus arcana sacrificiorum Canopi mysteria tradi creduntur. Prætereo etiam domus Maximorum, in quibus colossea Pyrrhi regis Epirotarum statua, galeata & armata erecta est. Palatium nouum Cardinalis delle Valle, quod omnibus antiquitatis ornamentis excoluit princeps eruditus & locuples. Palatiũ Valerij Cardinalis Vallæi, ædesque eiusdem Vallæi huic palatio contiguas: in quibus erectum est marmor candidum, altum & quadratum cum horoscopo solari & signis Zodiaci: vbi singulorum mensium dies & horæ notantur; & quicquid obseruare assueti erant antiqui, tam in sacrificijs Deorum, quam in ijs, quæ ad rem rusticam pertinebant; vt hodie nostris Calendarijs factitatur. Domus Bocabellorum, quæ occurrunt in ascensu Capitolij: in quorum ædibus, præter inscriptiones varias & marmora selecta, fons ostenditur venustissimo constructus artificio, ex tophis & conchylijs marinis: vnde limpidissimæ scaturiunt aquæ: & in ijs supernatant pisces artificiales subnixi filis æneis subtilissimis, quæ ad aquarum motum crispantur, & videntur leniter pisces moueri.

Ad partem superiorem Capitolij ad sinistram attollit sese templum Franciscanorum, quod vocatur Ara cœli, ad quod conscenditur gradibus marmoreis octoginta quinque, qui quinq; ordinibus

nibus ſunt diſtincti. Templi teſtudinatum ædificium ſuſtinetur vtrinque duobus columnarum marmorearum ordinibus: quibus tota vrbe non videntur ſumtuoſiores, ſi Vaticanas excipias. Hoc templum fuit olim Ioui Feretrio dicatum à Romulo, poſt bellum Sabinum: quod eo in loco Iupiter tuliſſet auxilium regi oppreſſo hoſtium violentia. In area Capitolina palatium eſt iuſtitiæ; vbi præter alia eſt fragmentum leonis mordicus equum tenentis: cuius artificium Michaël Angelus miraculoſum vſq; ad cælos laudibus extollere ſueuit. Ad ſiniſtram poſitum eſt palatium Conſeruatorum, ad cuius ingreſſum ſiniſtro latere tabula eſt marmorea, cui inſculpta eſt menſura Romani pedis & Græci: ſicut in monumentis Neronis & Agrippinæ excauatæ ſunt menſuræ tritici, calcis, olei & aliorum: ad quarum normam cortiguntur vrbanæ menſuræ, ſi falſæ iudicantur. Atque alia præterea multa memorabilia ibi viſuntur.

Templi Iouis Opt. Max. vbi hodie fiunt funes & rudentes, qua ad Tarpeiam rupem iter patet. Templi Veiouis, (vbi olim fuit arx Capitolina) quod olim fuit aſylum facinoroſorum. Monetæ Iunonis, quod à Camillo dedicatum fuit non procul à domo Manlij. Et Iani cuſtodis, in ea Capitolij parte, quæ forum Romanum ſpectat, vbi hodie carcer & cuſtodia eſt ſceleratorum. Cum horum templorũ deiectæ & fere ſolo æquatæ ruinæ duntaxat hodie conſpiciantur, non opus eſt illis diu immorari. E Capitolio cliuus eſt lapidibus ſtatus, per quem deſcenditur in forum Romanum, vſq;

ad templum S. Mariæ, à radicibus Capitolij & arcu Septimij Seueri, qui ad finẽ cliui Capitolini, marmoreus & integer erectus est. Per hũc arcum triũphales pompæ è foro ad Capitolium ducebantur. Ad radices Capitolij fuit Concordiæ templum, à Camillo dedicatum, cum plebem reconciliasset senatui. Ad sinistram cliui Capitolini partem locus est, qui vocatur S. Petri in carcere: quod illic S. Petrus vinctus fuerit & clausus: ideo illi à Siluestro Pontifice dicatus est: vbi festum vinculorum Petri celebrabatur olim primo Augusti: cuius feriæ Eudociæ imperatricis iussu translatæ fuerunt in Exquilias, ad templum quod illic ædificauit, & dedicauit S. Petro in vinculis. Carceres ij primo structi sunt ab Anco Martio: quibus concameratum locum subterraneum adiunxit Seruius Tullius: à quo Tulliani carceres sunt postea dicti: in ijs strangulatos scribit Salustius eos: qui Catilinæ conspirationi nomen dederant.

Ædibus diuæ Martinæ (ad quarum angulos iacet Marforij Colossus, fueruntque olim sacræ Martì vltori, proximum est Sancti Hadriani templum, quod antiquitus fuit Saturni, à Numatio Planco ædificatum, vel vt alij malunt, restauratum. In hoc fuit ærarium populi Romani, vbi etiam reconditæ erant tabulæ Elephantinæ, quibus continebantur XXXV. Tribus ciuitatis Romanæ. Ibidem quoque reponebantur signa militaria, decreta senatus, acta publica, & quæ ab imperatoribus bellorumque ducibus in triumphis adferebantur spolia deuictarum prouinciarum & populorum.

Ad

Ad dextram vbi ſunt columnæ porticus templi Concordiæ, ſub radice Capitolij, templum eſt hodie dicatum S. Mariæ liberatrici: qꝫ olim fuit Veneris & genitricis. Alti illi parietes, qui ſub Palatini radicibus adhuc conſpiciuntur, pars ſunt Roſtrorum nouorum. Roſtra enim vocatus eſt hic locus, propter ſuggeſtum & pluteum æneum, qui ex roſtris nauium Antiatium ſtructus erat. Ibi leges ferebantur, & habebantur conciones & comitia patrum: ad ea proponebãtur capita cæſorum ſupplicio publico: vt Ciceroni contigit, cuius caput amputatum iuſſu Antonij roſtris affixum eſt, cum eius manibus, vnde Philippicas illas orationes declamaret Cicero, in æternum dedecus Antonij. Noua dicta ſunt hæc roſtra, ad diſtinctionem veterum, quæ ad Curiam Hoſtiliam ſita erant prope Comitium: quod extendebatur à porta Palatij vſque ad eum locum, vbi hodie eſt ſtructum templum S. Mariæ nouæ. In roſtris veteribus nunc ſtructum eſt ſacellum S. Mariæ de inferno.

Forum Iulij Cæſaris occupabat olim eum locum decliuiorem, qui videtur poſt Fauſtinæ porticum, vſque ad templum S. Martinæ. Foro Auguſti adiacet templum S. Laurentij. Templum Caſtoris & Pollucis fuiſſe dicitur inter S. Hadriani & Fauſtinæ. Templum Pacis à Claudio cœptum & à Veſpaſiano finitum, fuit auguſtiſſimum & magnificentiſſimum: cuius altiſſimæ teſtudines adhuc extant, non procul à templo Sanctæ Mariæ: vbi videtur hodie columna integra ſuperſtes omnium, quæ Romæ ſunt, altiſſima & maxima. In hortis S. Mariæ nouæ fornices altæ ac rotundæ

extolluntur, quæ fuerunt olim duo templa contigua, ſacrata ſoli & lunæ, vel vt alij aſſerunt, Iſidi & Serapidi.

Fori Auguſti ſpectatur adhuc portiuncula eo loco, qui l'arca di Noé vocatur, corrupto vocabulo pro Arcus Neruæ. Ad dextram ſunt duorum arcuum reliquiæ, partes palatij Neruæ ſumtuoſiſſimi. Arcus Neruæ reſtant adhuc fragmenta maxima, inter templum S. Baſilij & turrim militiæ.

Via ſacra, quæ ita dicta eſt ab antiquis, quod Augures ſolenni pompa per eam ad ſacra facienda procederent, & in arcem conſcenderent, extendebatur à foro Romano per arcum Titi Veſpaſiani, vſque ad eius Amphitheatrum, quod vocatur hodie Coliſeum. Ad hanc viam ſacram eminentiore loco Titi Veſpaſiani ex marmore erectus eſt arcus: in quo ſunt exſculptæ victoriæ & triumphi pompa, qua ferebantur templi Hieroſolymitani ſpolia poſt deuictos Iudæos; nempe Arca fœderis, candelabrum ſeptem lucernarum, menſa panum Propoſitionis, tabulæ Decalogi, & vaſa ſacra, ex auro puro, quibus vtebantur ad ſacra templi: quæ omnia in eo arcu videntur ſculpta, cum curru triumphantis imperatoris. Prope hunc arcum ſub Palatino ad dextram turris erigitur quadrata, quam vulgus vocat Studiolo di Vergilio: fabulanturque ridicule, ex ea fuiſſe Poetam appenſum in corbe à quadam meretricula, ac toto die ſpectaculo fuiſſe populo: ꝙ vt vlciſceretur Vergilius, qui Magicam callebat artem, effecit vt ignis tota vrbe extingueretur: vniuerſusq;

popu-

populus candelas & lucernas incenderet ex flammis, quæ in pudendis meretriculæ fuerant excitatæ. Fabula pingitur hæc vbique, sine auctore. Non est verisimile, tale aliquid magno illi Vergilio cõtigisse, qui propter continentiam Parthenius vocabatur. Si quid in hac fabula verum est, de alio Vergilio Mago scriptum puto: de quo Neapolitani quoque dicunt plurima fuisse facta: inter cęteras Pausilypum montem excauatum fuisse arte Magica, & peruium factum: nam Vergilij sepulcrum prope hanc celebrem cauernam erectum est.

In monte Palatino, qui olim fuit celeberrimus, propter augustas Cæsarũ ædes, quæ in eo fuerunt superbissimæ, hodie nihil admodum notatu dignum videas, cum omnia sint inculta & deuastata: neque locus est tota vrbe desertior. Inter has ruinas templum exiguum S. Nicolai adhuc extat, cum aliquot ædiculis, reliqua occupantur vineis, hortis & vepribus. Ad huius radices, prope Pacis delubrum fuit olim Curia Hostilia, eo die, quo Clodij à Milone cæsi corpus cremebatur, tota igne combusta, cum Basilica Portia illi vicina. Fuerunt etiam in monte Palatino multa templa diuersis Dijs sacrata; ex quibus vnum fuit Victoriæ; ex cuius ruinis patet aspectus ad hortos S. Mariæ nouæ. Apollo quoque ibi habuit templum, fulmine postea dejectum, cuius adhuc quædam vestigia videntur. Penates quoque suum fanum ibidem possederunt, ad Veliam, quæ spectat forum Romanum: in eo reposita erant simulacra, quæ Æneas ex Phrygia deportauerat in Italiam

euerſo Ilio: hęc in ſumma veneratione ſemper habita ſunt à Romanis. Multaq; alia in eodem monte fuerunt templa, quibus certus aſſignari non poteſt locus propter ruinarum implicatas ambages & confuſionem. In eodem quoque Palatino multæ fuerunt ſplẽdidæ domus, vt Tarquinij Priſci, Ciceronis, qui ſuas à Craſſo quinquaginta millibus ducatorũ emerat, Germalus domus Fauſtuli, à germanis fratribus Remo & Romulo, qui illic fuerunt à Fauſtulo nutriti, qui caſam incoluit, nõ procul à Græcoſtaſi; Summa Velia, quod illic præſtores ſoliti eſſent vellere lanas ab ouib⁹ antequã tonſurę modus innotuiſſet: vnde lanæ auulſæ vellera vocantur; Palatium Scauri. Græcoſtaſis, vbi diuerſabantur legati diuerſarum nationum, qui Romam mittebantur; domus Valerij Poblicolæ, quam vna nocte ſolo æquauit, quod ſuſpectus eſſet populo, Palladium, delubrum, in quo Palladiũ cuſtodiebatur, ſimulacrum ligneum verſatilibus oculis, quod Æneas cum penatibus ex Ilio transtulerat in Italiam, quod in templo Veſtæ repoſitum eſt poſtea, & traditum cuſtodiæ Veſtalis virginis. Fuit quoque ibi templum Cybeles; domus Auguſti Cæſaris, in qua ipſe natus eſt, cuius ruinæ adhuc ſpectantur altiſſimæ; Bibliotheca palatina, item balnea palatina, in q̃ deriuabatur pars aquæ Claudiæ per aquæ ductus, qui adhuc hodie videtur in vinea Fędriæ Patricij Romani, verſus Circũ maximum; veſtigia portæ veteris Palatij, quæ & porta Romuli dicta eſt. Ad radices montis Palatini, nempe ad columnas porticus Liuiæ, vicinum videtur templum S. Theodoſio dicatum: id olim con-

conditum dicitur à Romulo, quo tempore bello Sabino Romani perterriti fugerent, eorumque fugã voto ſuſcepto rex cohibuit, poſtea Ioui Statori conſecrauit.

In deſcenſu ad Circum Maximum occurrit ſtatim locus depreſſior & excauatus: vnde ſub fornicibus amplis emanant aquæ copioſæ; ad quas mulieres ſuos pannos & lintea lauant, & hæ dicuntur eſſe fontis Nymphę Iuturnæ in Velabro. Fornicatũ vero illud opus, q̃ ſubterraneo ductu longe protenditur, pars eſt cloacæ maximæ, q̃ à Tarquinio ſtructa eſt, vt eſſet receptaculum omniũ ſordium vrbis, quæ per ſubterraneos meatus ferrentur in Tyberim. Incipiebat enim hæc cloaca ex Foro Romano ad Iouis Statoris ædem, deinde per Velabrũ porrigebatur in Tyberim. Cuius amplitudo tam lata fuit, vt facilime ſub eius fornicib. currus onuſtus ageretur. Legimus Cenſores aliquando vendidiſſe cloacæ huius immundicias, ad ſtercorationem agrorum, ſ. xcẽtis ducatorum millibus. Quod cum obiectum eſſet imperatori, reſpondit, Odor lucri bonus ex re qualibet. Chiauica nunc vocatur. Illi vicinus erat Lacus Curtius; à Curtio dictus, qui ſe in voraginem præcipitem dedit armatum cum equo, vt auerteret peſtilentem aerem, qui ex ea exhalabat, & Romam contagio malo infeſtabat. Prope cloacam maximam locus fuit Numæ Pompilio ſacer & myſticus, in quo ne ſpuere quidem licebat vlli. In hoc loco Gallorum Senonum cineres reconditi erant: nunc Dolioli vocatur: propter dolia ſiue vaſa fictilia, quibus cęſorum cineres continebantur, ſepulta.

Ex omnibus Circi maximi ornamentis nihil fere superest præter loci circumscriptionem integrã, qua eius amplitudo facile cognoscitur, longitudo nẽpe trium stadiorũ cum dimidio, latitudo vero trium iugerum; capax erat hic Circus ducentorũ & sexaginta milliũ hominum, alij restringunt ad numerum C L. millium. In eo loco Romulus primos edidit ludos Circenses in raptu Sabinarum. Versus Palatinum restant crebri porticuum fornices, quib. sedilia erant reposita, & testudines plurimæ secundum Circi ductũ: quæ putantur fuisse officinæ negociatorũ, quibus venales merces exponebantur populo, qui frequens cõueniebat ad spectacula. Alij existimãt, fuisse lupanaria, in quibus habitabant meretriculæ corpore quæstum facientes. Huic Circo templum habuit coniunctum Neptunus, ad Palatini radices, post S. Athanasiæ delubrum: cuius adhuc aliquæ videntur ruinæ, incrustatæ conchylijs marinis. Fuerunt etiam in hoc Circo erecti obelisci duo, quorum maior, præter basin, longus erat pedes centum & triginta duos, omnium, qui Romæ erant, maximus.

Naumachiæ locus, vbi Romana iuuentus se in exercitijs naualib. exercebãt, hodie ostenditur, vbi crebræ aquarum lacunæ sunt & arundinum carecta. Vbi & aquæ illæ, quæ super Circo per canalem circa murum fluunt, pars sunt aquæ Claudiæ.

Ad lævam viæ Appiæ partẽ ingens Septimij Seueri moles attollitur. Nullum hoc ædificio fuit altius Romæ. Septisolium vocat Plin. quod septem solaria cõtineret; nunc Septizonium dicitur. Hoc ab imperatore fuit erectũ in tantam altitudinem,

vt

vt nauigantes ex Africa in Italiam hoc ſpectare poſſent è mari, & eius cineres (qui in apice ſupremo huius molis erant repoſiti) adorarent: erat enim Seuerus natione Afer. Ex tanto ædificio Septiſolij, quod olim ſeptem contignationibus in altum extollebatur, tres tantum noſtro tempore reſtant contignationes: quæ longa antiquitate videntur nutare, & ruinam minari.

Viæ Appiæ, quæ ab Appio Cæco ſenatore, lapidibus duriſſimis primum ſtrata eſt, reliquiæ quædam monſtrantur in via præcipue, qua itur Neapolim prope Priuernum & Circæum promontorium. Via noua autem dicitur ea pars viæ Appiæ, quæ à Thermis Antoninianis ducitur vſq; ad portam Capenam: propterea quod id totum ſpatium pauimento nouo ſtratum eſt ab Antonino Caracalla, dum ſuas extruxit thermas; quæ ſub Auentino è regione Piſcinæ & templi S. Sixti ſitæ ſunt. His nullæ videntur Romæ magis integræ præter Diocletiani.

Via noua ab Antoninianis thermis, qua reditus patet ad viam Appiam, eſt porta Capena, à Capena vrbe vicina Albę longæ. Alij Camœnam portam nominarunt à delubro Camœnarum, quod non procul fuit ab hac porta. Dicta eſt triumphalis, quod per eam olim duo Scipiones triumphis ſolennibus Romam inuecti ſunt: & nouiſſime Carolus V. Rom. Imp. Paulo III. regnante triumphans deuictis Afris vrbem ingreſſus eſt. Porta hæc hodie dicitur S. Sebaſtiani: à templo eidem Sancto conſecrato, quod abeſt à porta duobus paſſuum millibus ad cæmiterium Calixti. Erecta

quoq; ſepulcra magnificentiſſima ad hanc viam, magno numero vtrinque, adhuc fere integra. Ad dextram Almonis riui, qui Romam influés ſub Auentino Tyberi inſinuatur, ædificium altum eſt & rotundum, quod ex inſcriptionibus inde erutis probatur fuiſſe ſepulcrum Scipionum.

Appia via ad dextram relicta occurrit ſacellum rotundum, quod vocatur Domine quo vadis, Eo loco diuo Petro Roma fugienti metu perſecutionis occurriſſe Chriſtus dicitur: cui cum Apoſtolus dixiſſet, Domine quo vadis? Romam, Chriſtus reſpondiſſe fertur, vt iterum crucifigar. Iuxta hoc ſacellum multæ ſunt ſepulcrorum ruinæ, vbi, vt & in alijs plurimis locis, ſub fornicibus integris cellulæ conſpiciuntur, in quibus ordine concinno plenæ cineribus mortuorum vrnæ repoſitæ ſunt. Ad hanc viam etiam paulo vlterius ad ſiniſtram adhuc extant parietes ex coctilibus lateribus: qui pars ſunt templi Fauni & Siluani. Atque in eadem via ad dextram partem non procul à Sancto Sebaſtiano, aliud templum, olim Apollini ſacrum, viſitur, integrum quidem ſed ornamentis vacuum, in quod opiliones ſuos noctu aut per æſtus recipiunt greges. Hinc ad ſiniſtram in vicinos campos ſeſe extendit via: in qua vix quadraginta paſſibus ab hac Apollinis æde, inter ſentes & dumos obſcuro loco cauerna eſt ſubterranea, cuius aditus, propter arbuſta & lapidum aceruos vix conſpicitur: ſed poſtquam in interiora huius loci fueris ingreſſus, videbis fornices arte diligenti conſtructas, quæ vtrinque habent repoſitoria oblonga, decem aut duodecim

cim pedum, in quibus olim recondebantur mortuorum Christianorum corpora, quibus solenniter aut aperte non licebat suos funerari. In harum fornicum subterranearum recessu remotiore sunt adhuc crebræ cellulæ, & quasi locorum receptacula lampadibus applicandis idonea. Sub his cauernis obscuris & amplissimis, vulgo asseritur Christianos olim habitasse, & secreto latuisse; dum sub imperatoribus persecutiones crudelissimæ excitarentur: & hodie hęc loca dicuntur Santie di Christiani.

In templo S. Sebastiani, quod est ad viam Appiam, descenditur per gradus in speluncas subterraneas, quæ Catacombæ vocantur, in quibus olim tyrannorum metu Christiani latebant, dicunturque illic quadraginta pontifices martyrium sustinuisse, ac cum ijs centum & septuaginta quatuor millia martyrum mortem pro religione Christiana toleraſſe: vti ex inscriptione appareret, quæ ad principium descensus applicata est. Locus summa veneratione colitur, plenusq; est pauore propter profunditatem & tenebras. In eũ subire sine facibus aut lucernis nõ est tutum: neq; vltro citroq; vagari sine periculo quis potest: tam diuersi videntur vtrinque cauernarum anfractus, & cuniculi sese in omnem partem protendentes, vt labyrinthi speciem præ se ferant. Adhibitis tamen facibus & accito cõductore loci perito, tuto licet per spatiosiorẽ meatum ad exitũ peruenire. Sepulcrum vocatur Calixti. Inter cætera, quæ ibi videntur, notabis, ad altare sacelli læui ostẽdi vestigia pedum Christi in lapide: quæ dicũtur relicta

esse

esse in monte, cum Dominus noster spectantibus Apostolis in cœlum est assumtus. Huic S. Sebastiani templo vicinum est templum Gradiui Martis, centum ingentibus columnis marmoreis sustentatum; in eo olim hostiũ legati audiebantur, quibus in vrbem introitum non permittebat senatus. Huius templi pars maior corruisse scribitur precibus Stephani pontificis, cum iussu Galieni cogeretur illic Marti sacrificare. Prope hoc templum seruabatur Manalis lapis, quem Romani solenni pompa & ceremoniarum veneratione in vrbem importabant, vt elicerent pluuias. Inferiori loco super via Appia videntur amplissimæ ruinæ arcis prætoriæ, vt putãtur. Ad huius arcis ingressum videntur sepulcrorum moles quadratæ, pyramides obtusæ & solidæ. Inter has quæ est celeberrima, forma rotunda ex quadratis facta marmoribus candidis instar amplissimæ turris, intus concaua, & parte superiore aperta, cuius muri crassi sunt circiter pedes viginti quatuor: ea mœnium angulo adiacet, in cuius circuitu incisa sunt marmorea boum capita, cute ac carne nudata, vt in sacrificijs fieri solitum erat, quæ continentur lemniscis & fasciarum inuolucris, cõiungentibus fructuum, florum ac foliorum congeriem (festones vulgo dicuntur) & in interuallis patinæ repositæ sunt sacrificiorum. Capita boum fere sunt ducenta, ideo Capo di Boi vocatur: voluntq; antiquarij geminam Hecatomben factam esse in funere celebri Cæciliæ Metellæ. Ad radices collis, in quo turris hæc ædificata est, si quis integrum versum heroicum pronuntiet, Echo admiranda eun-

dem

dem reddet integrum & articulatum sæpius. Octies ad minimum integre & postea aliquoties confuse. Nusquam gentium eiusmodi Echo auditur: quæ ideo tanto dicitur excitata artificio, vt in funere huius Cæciliæ plorantium, eiulatus, exclamationes & planctus funebres in immensum multiplicarentur, dum Hecatombe illa celebraretur duplex, & ludi funebres in honorem matronæ præberentur.

Sub hoc colle, loco depresso, sunt adhuc ingentes circi Hippodromi ruinæ, omnium, quæ hodie videntur, integerrimæ, vbi sese curru, equitatione & quadrigis quotidie exercebant milites. Extollunturq; hic altissimi muri, suis interuallis distincti, vbi erant stabula, quibus equi claudebantur, edocebanturque ad certamina equestria, quæ in hoc Hippodromo exhibebantur. In planitie superiore super circo templum est integrum quadrata structura, cum suis columnis & porticu anteriore, id fuit olim sacrum Deo ridiculo. Quod Hannibal post stragem Cannensem, qua cecidерunt ciuium quadraginta millia, cum ad vrbem obsidendam copijs victricibus properasset, eo loco castra posuit: audito risu effusissimo perterritus abiuit, & obsidionem vrbis reliquit: in qua si pertinacius institisset, vt erant omnia metu ac pauore consternata, sine magna difficultate potuisset Roma potiri: Romani post eius discessum Deo ridiculo consecrarunt fanum.

Non procul à porta Latina erectum est templum rotundum in honorem S. Ioannis Euangelistæ: qui dicitur eo in loco cruciatus oleo & igne.

Inde

Inde ad portam Gabiusam itur, quæ, sicut & Latina, muro clausa est & obstructa. A dextra conscenditur ad Cœlium collem; qui olim Querquetulanus dicebatur, à quercuum frequentia, antequam illum inhabitarent Hetrusci. In Cœliolo templum Sancti Ioannis Euangelistæ olim Dianæ sacrum fuit; hic Cœliolus appendix Cœlij est. In summitate Cœlij templum est rotundum, Sancto Stephano dicatum à Simplicio pontifice, quod fuit olim Fauni sumtuosissimum delubrum: sed temporis iniuria semidirutum, restauratum est à Nicolao V. P. M. in ea forma, qua videtur hodie. Curia Hostilia fuit olim, vbi nunc est templum SS. Ioannis & Pauli versus Septizonium Seueri. Albanorum mansiones in ea parte Cœlij fuerunt, quæ spectat Auentinum, vbi hodie situm est templum Sanctæ Mariæ in Dominica, prope quod videtur aquæductus aquæ Claudiæ. Castra peregrina, ita dicta (in quibus diuersabantur sub Augusto natales copiæ, quas imperator ad Misenum detinebat) olim fuerunt, vbi hodie est templum quatuor Coronatorum. Palatium Constantini magni, cuius adhuc magnificentissimæ supersunt ruinæ, fuit inter portam Gabinsam & Cœlimontanam, nunc S. Ioannis dicitur. Lateranorum Basilica nomen suum retinet, sedes olim pontificum Romanorũ, cuius se vocant Episcopos: sed postea ducti amœnitate collium Vaticanorum, in eũ locũ se contulerunt, vbi palatium celeberrimum incolunt, cum templo S. Petri coniunctum. In hac Lateranensi Basilica locus ostenditur orbiculato ædificio &

Digitized by Google

altiſſimis fornicibus. Locus hic vocatur Baſiliſcus Conſtantini. Fama eſt Conſtantinum Magnum lepra laborantem, ſuaſu medicorum voluiſſe lauari in ſanguine puerorum, atque ideo ſumtuoſum hoc ædificium præparaſſe; ſed monitum ab Angelo in ſomnis, vt aqua baptiſmi ablueretur in nomine Ieſu Chriſti Dei veri, quem Helena eius mater colebat, imperatorem obtemperaſſe monitis cæleſtibus & baptizatum fuiſſe in eo labro porphyritico, quod adhuc medio Baſiliſco videtur. Sed fides ſit penes lectorem: neq; enim veriſimile eſt, ad tam barbarum nefas patrandum tantis ſumtibus extructurum fuiſſe eum hoc ædificium, quod potius tegi & celari oportuit, quam vana oſtentatione publicari; quid quod ab Epiſcopo Nicomedienſi baptizatum tradũt hiſtoriæ, cum in Aſiam veniſſet. Puto itaq; fuiſſe balneum Laterani Palatij quod eouſq; protendebatur.

Huic ædificio vicina ſunt ad dextram ſacella ſacra, in quibus multa marmora precioſiſſima, quibus parietes inſtructi ſunt, conſpiciuntur, & columnæ Hieroſolymis adportatæ Romam. Ad ſiniſtram duæ ſeſe attollunt columnæ marmoris Hauí Miſchij: quæ manu veſtibus confricatæ & attritæ, ſuauiſſimum emittunt odorem; qualis eſt violarum cum lilio. De ijs diuerſæ narrantur fabulæ; à Regina Æthiopum Salomoni donatas, & alia plurima pleraque inepta & ridicula.

In templo Lateranenſi ſummorum Pontificum oſſa ſunt recondita: vbi omnia ex marmoribus precioſiſſimis facta ſunt tanto ſtudio & induſtria,

vt ni

vt nihil vſquam gentium videri poſſit abſolutius. Ad ſummi chori latus ſiniſtrum parieti applicata eſt tabula ænea, characteribus antiquis leges & ſenatuſconſulta ſub Veſpaſiano referens. Sub hac tabula eſt tumba ſepulcri Laurentij Vallæ, qui canonicus erat huius templi. Ante chorum erectæ ſunt quatuor ingentes columnæ æneæ: opere concauo, ſed quæ repletæ ſunt, vt vulgus aſſerit, terra ſancta, quæ ex ſepulcro Chriſti Romam aduecta eſt. De his columnis diſſimilia narrantur.

In Baſilica Laterana, quę integra eſt & antiqua, cænaculum eſt Rotæ ampliſſimum: in quo pontificum & ſenatus Eccleſiaſtici, cardinalium & archiepiſcoporum habebatur conſeſſus, cum de rebus magnis tractandum eſſet. Tres illæ portæ altiſſimæ & marmoreæ, quibus in cænaculum patet ingreſſus, ex prætorio Hieroſolymitano ſunt aduectæ. Inde per ampliſſima deambulacra relicto S. Mariæ Gratiarum ſacello, ſuper ſcalis ſanctis duæ ſunt cathedræ ex porphyro pertuſæ, de quibus non parui equidem nominis auctores tradunt pontifices eligendos (poſtquam Ioanna mulier ſexum virilem mentita, pontificatum adepta fuerit) antehac in illis conſedisſe; quibus admota manu ſub cathedra per exploratorem virilia tractata fuerint: cumq; compertum eſſet marem eſſe alta voce exclamarint: *Teſticulos habet, dignus eſt papali corona.* Quinetiam pompas ſacras, quæ quotannis ſolenni ritu ducebantur ex Vaticano in Lateranum templum, propterea nunc diuertere ad templum S. Clementis, declinantes locum illũ, in quo fama eſt, Ioannam peperiſſe, ſacellum nempe

Digitized by Google

nempe exiguum illud, prope xenodochium Lateranum ad muros hortorum constructum. Ridicula sunt hæc: fides ergo est penes lectorem. Inde descenditur per gradus marmoreos summæ reuerentiæ ac deuotionis: erant enim gradus Prætorij Hierosolymitani, per quos Christus virgis cæsus Pilati iussu sanguinolentus populo est propositus: & in ijs craticulæ aliquot æneæ deauratæ videtur applicatæ marmori, quæ guttas sanguinis seruatoris tegunt. Tanta in veneratione habentur, vt piaculum morte dignum haberetur, eos pedibus contingere: Geniculatim per hos ad altiora loca conscenditur: suntq; ita excauati vestimentorum attritu, vt cum difficultate maxima cõsistere quis in ijs possit: propterea ad latus alij gradus lapidei sunt erecti, per quos commode ascenditur & descenditur. Eodem in loco super gradibus sanctis columna albicantis marmoris demonstratur, in duas partes diuisa ab epistylio ad basim: ea parieti adhæret: & creditur fuisse ad ingressum Sanctuarij templi Salomonis, quæ Christo in cruce Spiritum Deo patri reddente, cum velo templi rupta est & in partes separata. Vbi patet ingressus in Sancta Sanctorum, sacellum est summa veneratione cultum, in quod nulli licet mulieri introire: in eo seruatur arca fœderis, virga Aaronis, mensa cœnæ Dominicæ, Manna sacrum, vmbilicus & præputium Christi, eiusq; sanguinis phiala vna, spinæ aliquot ex eius corona, clauus vnus integer, quo Christus affixus est cruci, frænum equi Constantini Magni, quod confectum fuit ex duobus pedum clauis, nam ex quarto con-

ſtata eſt lamina, quæ diademati aureo imperatoris appoſita eſt. Eodem in ſacello oſtenduntur plurimæ reliquiæ, quæ ſumma deuotione à Romanis obſeruantur.

In vltima montis Cœlij parte templũ eſt S. Crucis in Hieruſalem: olim ſacrum Veneri & Cupidini: in eo ſeruatur pars crucis Dominicæ, & crucis titulus ſcriptus linguis tribus; denarius vnus ex triginta, quos Iudas proditor recepit pro precio venditionis domini, & alia plurima. Ibidem eſt ſacrum ſacellum ſubterraneum, ab Helena Conſtantini matre conditum, in quod ſemel tantum quotannis patet ingreſſus matronis.

Prope ductum aquæ Claudiæ, verſus Cœlium, Xenodochium eſt Lateranũ opulentiſſimũ & rebus omnibus, quæ ad excipiendos hoſpites, cuiuscunq; conditionis aut ſtatus ſint, inſtructiſſimum. In eo ſunt cubicula, quibus principes & nobiles excipi poſſunt cõmodiſſime. Pharmacopolarum apothecæ refertæ ſunt omni genere medicamentorum exquiſitiſſimorum: neq; quicq̃ poteſt excogitari, quod ad ægrorum neceſſitatem conducere poſſit, quod ibi non inueniatur, & officioſe omnibus præſtetur. Idq; in cauſa eſt, vt multi nullius rei indigentes, cum in morbos inciderunt, eo ſe deportari curent, ac proprijs impenſis curari.

Paulo vlterius ſe offert ſtupenda illa & admirabilis Amphitheatri moles. Hoc Coliſæum vulgo vocatur: à Coloſſæa ſtatua, quam Nero illic erexit centum & viginti pedes altam. Huius Amphitheatri tanta fuit altitudo, tanta amplitudo, tã cõcinna ſtructura, vt nihil admirabilius Romæ videri

ri posſit. Triginta ſeruorum millia tantum opus perfecerunt ſpatio vndecim annorum. Capax fuit octoginta ſeptem milliũ hominum, qui commode in gradib. & ſubſellijs poſſent ſedere & ſpectare ludos, qui media cauea quotãnis exhibebantur. Ad ſiniſtram erectus eſt Cõſtantini Magni triumphalis arcus, à Romanis poſitus poſt deuictum ad pontẽ Miluiũ, Maxentium. Extat adhuc integer cũ ſuis victorijs & ſtatuis. Ante Coliſæũ ſuper via, qua itur ad arcũ Titi Veſpaſiani, ædificiũ eſt altum & arctũ, teſtudinatum & acutum in ſpeciem pyramidis rotundæ. Hoc vocabatur Meta ſudans: q̃ inde manarent aquæ copioſæ & vberes, ex quib. bibebat populus, qui in Amphitheatrum ad publica ſpectacula conueniebat. In palatio Maffœorum, quo ab Amphitheatro, Capitolio ad læuam relicto, recta itur, plurima videntur antiquitatis monumẽta, epitaphia, inſcriptionesq;. & eiuſmodi reliquiæ priſcæ venuſtatis, quę mirifice delectãt peritiorum artificum, & literatorum hominum oculos, & ingenium excitant.

A poſteriori parte templi S. Apollinaris antiquiſſimi prope domum Cardinalis Pąceci Hiſpani, quod olim Apollini ſacrũ fuit, templũ eſt S. Auguſtini, in quo Monicæ eius matris ſepulcrũ oſtenditur. Ampliſſimum illud forũ, quod à templo Apollinaris, & palatio duciſſæ Parmenſis, vſque ad Gallorum templum, quod S. Ludouico dicatum eſt, extenditur, nunc in Agone dictus, circus fuit Agonalis; in quo Agonalia certamina, & agonales ludi, in honorẽ Iani à Numa Põpilio celebrari cœpti ſunt. Thermæ Alexandrinę, Hadriani & Neronis ibi poſtea extructæ ſunt.

In ædibus Episcopi Sauli prope Agonem, in cænaculo ostenditur caput M. Tullij Ciceronis. Apud Alexandrum Ruffinum, prope templum S. Aloysij, simulacrum est Iulii Cæsaris armatum & quasi colossæum: cuius crura sunt ocreis antiquis eleganter circũducta: è regione est Octauius Cæsar eiusdem altitudinis & vestimenti. His duabus statuis vix Romæ quicquam spectatur rarioris artificij. Inter templa S. Eustachij & Mineruæ videntur ruinæ quadratæ & longæ: reliquias quidam asserunt esse templi boni Euentus: qui colebatur ab antiquis, vt consiliorum & rerum, quas homines peragendas aggrediebantur, felicem & expectatum finem largiretur. Eius statua formabatur habitu plebeio, læta facie, dextra tenebat craterem, sinistra sertum ex spicis.

Fornices illæ rotundæ & altæ, quæ spectantur eo loco, qui Ciambella dicitur; partes sunt reliquiarum thermarum M. Agrippæ. Propè quas Nero quoq; thermas ædificari curauit sumtuosissimas: quarum vestigia cernuntur satis ampla à posteriore parte templi S. Eustachij.

M. Agrippa prope suas thermas construxit templum architectura & sumtibus admirandum. Nullum in vrbe antiquius, nullum integrius aut splendidius extat hodie. Hoc quia Dijs omnibus sacrauerat Agrippa, Pantheum vocatum est: hodie dicitur S. Mariæ rotundæ delubrum. Estque omnino sphæricum seu rotundum: caret fenestris: lucem admittit ingenti orbe, qui apertus est in summitate fornicis. In medio locus est profundus, & crate ænea tectus, ad excipiendas aquas

aquas pluuias. Fuit olim laminis argenteis coopertum; ſed Conſtantinus Heraclij nepos eas abſtulit cum reliquis vrbis ornamentis: quarum loco reſtitutæ ſunt plumbeæ à Martino VII. P. M. Aditus olim ad portam patebat gradibus ſeptem, qui templum in circuitu cingebat: nunc vndecim ad eam deſcenditur. Vnde apparet, quantum ex ædificiorum ruinis ſolum vrbis accreuerit. In hoc Pantheo ſepultus eſt Raphael Sanctius Vrbinas, pictorum noſtri ſeculi princeps.

Non procul à Pantheo Minerua ſuum habuit templum, quod occuparunt hodie Dominicani, retento nomine antiquo: vocatur enim S Maria della Minerua. In eo pauca videntur antiquitatis monumenta, præter paucas inſcriptiones, quæ in repoſitorijs aquæ luſtralis & altaribus leguntur.

A poſteriore parte S. Mariæ rotundæ, cum deſcendis à via lata, eo loco, vbi Ieſuitæ habitant, erectus eſt arcus antiquus, rudis, & omni ornatu nudus, qui Camillianus vocatur. Hunc à Camillo extructum putant, ſed falſo: nam primum ſub imperatoribus hæc opera publice ſunt excitata.

In domo Nicolai Stagni, prope arcum Camillianum, retro Mineruæ tẽplum, eſt Herculis ſtatua nuda, cuius caput tectũ eſt leonino rictu, corio circa collum inuoluto: quæ niſi pedibus careret, poſſet reponi inter præſtantiſſimas, quæ tota Roma ſeruantur. In domo Pauli de Caſtro demõſtratur caput Socratis, cũ toto pectore, & alia multa notatu digna, quæ ſpectatorem mirifice recreabunt. Prope arcũ Camillianum ſuper platea iacet

pes colloſſeus ingentis magnitudinis: qui indicat altitudinem mõſtroſam, & artificium ſtupendum ſtatuæ, cum eſſet integra. Omnia illá, quibus olim forum Neruæ erat exornatum, aut vetuſtate perierũt, aut alio trãſlata ſunt; proinde parua admodũ eius hodie extant veſtigia, ſicut & Fori Traiani, quod fuit inter Capitolium, Quirinalem & Forum Auguſti. Ex quibus ornamentis Fori Traiani ſola columna cochlis ſupereſt, quæ notas manifeſtas præbet imperatorij ſplendoris. Alta eſt pedes 128. præter baſim, quæ cum columna efficit 140. ſtructa eſt lapidibus viginti quatuor, tantæ vaſtitatis, vt opus videatur non ab hominibus ſed à gigantibus perfectũ: ſinguli lapides ſiue partes colũnæ, cõtinent gradus octo: per hos patet aſcẽſus ad ſuperiora, per interiorẽ partẽ concauã: Lumẽ p̃bent aſcendentibus fenieſtellę 44. Nihil poteſt vsquam gentium videri admirabilius, nihil magnificẽtius. Erecta eſt in honorem principis, vt oſtenderetur, quantæ altitudinis mons egeſtus eſſet in eo loco. Hanc columnam non vidit erectam bonus impetator, qui tunc occupatus detinebatur bello Parthico: & in reditu, ſanguinis fluxu mortu⁹ eſt apud Seleuciam in Syria; eiusq; corpus Romam translatũ eſt; & in ſummitate columnæ pila aurea eius oſſa recondita ſunt. Duæ illæ columnæ, quæ videntur prope S. Mariæ de Laureto templum, reliquiæ ſunt porticus Traiani.

Suburram, vicum patricium, Exquilias, arcum Galieni & macellũ Liuianũ ſtudio hic omittimus, quamminimú. n. de eorũ ſtructuris hodie viſitur.

Templum Iſidis, nũc S. Mariç maioris (ad quod

à tem-

à templo S. Viti ſurſum itur) inſigné habet ſtructuram auro & marmoribus peregrinis ſelectiſſimis exornátam. Suſtentatur enim altiſſimis columnis marmoreis Ionicis. In eo ſepultus eſt S. Hieronymus. ibi oſtenditur imago Mariæ virginis, quę creditur depicta à S. Luca Euangeliſta. Prope hoc tẽplum ſacellum eſt S. Lucæ ſacrum, verſus fanum S. Potentianæ: in cuius colle decliui fuit olim lucus Iunoni ſumma religione ſacer.

A tẽplo quadraginta martyrũ ad templũ S. Clemẽtis verſus Amphitheatrũ ruinæ ſunt ingentes, Thermarũ Titi Veſpaſiani, ac eius Palatij, in quib. adhuc ampliſſima ſpectant ędificia ſubterranea, q̃ dicuntur lé ſetté Salé. Erãt n. caſtella ſiue aquarum receptacula, q̃ ad lauacra thermarũ erant neceſſaria. In vineis adiacẽtibus Feliciorũ viſuntur adhuc integri fornices, in quib. picturę Groteſcorũ apparẽt venuſtiſſimę. Pertinebãt n. cõcamerata hęc loca ad palatiũ Titi. Et in his repta eſt illa Lacoontis ſtatua, cũ duob. filijs, q̃ in palatio Vaticano Põtificũ cũ tanta ſpectantiũ admiratione demõſtratur.

Prope tẽpla SS. Iuliani & Euſebij, moles quædã lateritia & altã extollitur, in qua fuerũt caſtella aq̃ Marcię: in huius molis ſuperiore parte erectæ ſunt trophęa, hoc eſt, armorũ & ſpoliorũ cõgeries alligata trũco arboris. Hęc omnia sũt ex marmore poſita bello Cimbrico in honorẽ C. Marij: q̃ cũ Sylla euertiſſet, à Iulio Cęſare ſunt reſtituta in integrũ.

In vineis ꝓpe S. Euſebiũ, à poſteriore parte trophęorum Marij, magnæ ſunt ruinę thermarũ Gordiani: ꝓpe quas idẽ imperator ſplendidũ erexerat palatium; quod ducẽtas habuit in duplici ordine

columnas marmoreas. Sed de ijs omnibus, præter ingentes murorum ſpondas nihil videtur admodum notabile: tum ex ijs poſtea ad nobilium domos tranſlata ſint omnia ornamenta.

Per portam Tiburtinam ſiue Exquilinam, quæ nunc S. Laurentij vocatur, ſumtuoſo aquæ ductu introducitur in vrbem aqua Martia: quem primũ Q. Martius extruxit, poſtea vetuſtate conſumtum reſtituit Agrippa: deducebatur hæc aqua per millia triginta quinq; antequam vrbem contingeret: & per campum Exquilinum deriuabatur ad thermas Diocletiani, & ad loca vicina: ſalutifera enim fuit, ideo potui ciuium maxime accommoda.

Paulo vlterius pons eſt Mammeus: ſic dictus à Mammea Iulia matre Alexandri Seueri imperatoris: cuius impenſis pons eſt reſtauratus: nunc vulgo vocatur Ponte Mammolo. Via Prænestina ab hac porta Exquilina ducebat Prænestę: & ab hac quoq; oriebatur Labicana via, quæ ad Labicanos, hoc eſt, ad Valmontonem ferebatur.

Pars illa Exquiliarum, quæ eſt prope templum S. Laurentij in Fontana, vocabatur Cliuus Virbius: prope quem Faguralis erat lucus: ad quem Seruius Tullius habitauit: ibiq; dictus eſt vicus ſceleratus, quod in eo Tullius à genero cæſus eſt, & per patris mortui corpus filia currum agere iuſſit aurigam. & hic ſceleratus vicus habebat ſuum principiũ ab hoc loco plano, & extendebatur vſq; ad buſta Gallica: vbi Galli Senones cęſi, cremati & ſepulti ſunt p Camillũ; locũ hodie vocãt Portogallo: vbi ſtructũ eſt templũ S. Andreæ ad buſta Gallica: vicus hic ſceleratus vocatus eſt & Cyprius. In ſummitate

mitate vici ſcelerati, Telluris templum antiquitus ita dictum, hodie S. Pantaleoni dicatum eſt. Ex ruinis arcus triumphalis Gordiani cõſtructum eſt templum S. Gregorij in Damaſo. Veſtigia templi Siluani prope S. Agathæ templum, ampla hodie videntur. Porta Viminalis hodie porta S. Agnetis vocatur. Remotius aliquanto in via Numentana, pons eſt Numentanus, à Narſete Eunucho ſtructus, vt docet inſcriptio. Nero imperator inter hanc portam Numentanam & Salariam, habuit ſuburbanum ædificio ſingulari, quod Liberto donauit: & in eo ſupplicium publicum metuens, pugione ſub papillam adacto, adiuante Sporo liberto, ſibi mortem conſciuit. Huius ſuburbani aliquot ruinæ ſunt adhuc ſuperſtites.

Porta Querquetulana hodie clauſa eſt; extra quam videntur mœnia erecta forma quadrata: reliquiæ ſunt caſtelli, in quo diuerſabantur milites, qui cuſtodiæ Diocletiani imperatoris erant deſtinati.

In dorſo Viminalis admirandæ vaſtitatis & ſumtuoſitatis videntur Diocletiani thermæ ſemidirutæ: nullæ tamen in vrbe ſunt magis integræ. In his conſtruendis quadraginta Chriſtianorum millia, per annos quatuordecim ſeruili more dicuntur eſſe vexata. Hodie vocantur allé Terminé: & locus ille ſubterraneus (qui dicitur la botta di Terminé) caſtellum eſt ſiue receptaculũ aquarũ, quæ ad lauacra erant neceſſariæ. Ad has thermas magnificentiſſimum ſtruxerat palatium Diocletianus: quod teſtantur ruinæ teſtudinataque ædificia adhuc fere integra: & ingentes columnarum

baſes, quæ ibidem inuentæ ſunt. In eo fuit illa celebris Bibliotheca Vlpia, in qua libri ſeruabantur Elephantini. In harum Thermarum parte dextra, Bellaiani ſunt horti amœniſſimi: in quibus videntur plurimæ ſtatuæ artificioſiſſimæ ſuis loculis applicatæ, & in deambulacris diſpoſitæ. Muri fere oẽs, Punicis & Medicis arborib⁹, cedris, cypariſſis, myrtis & lauris in ſpeciem periſtromatum concinne tecti, nõ mediocrem voluptatem præbent. In alia thermarum parte poſtrema, vbi eleuata ſunt ædificia concamerata & ampla (quæ vocantur le Botté) templum eſt S. Suſannæ, quod olim fuit ſacrum Quirino. In eo enim loco Romulus in cœlum antea translatus, Proculo Iulio Alba redeunti creditur apparuiſſe: propterea illi à ſenatu diuini ſunt honores tributi, & templum poſitum. Totus ille cliuus vocabatur olim Vallis Quirinalis, quod in ea Romulus Proculo venit obuiam, & varia cum eo communicauit.

Vallis illa, quæ eſt inter Diocletiani thermas, & templum S. Mariæ maioris, continuit Olympiadis balnea, quorum adhuc veſtigia demõſtrantur non procul à templo S. Laurentij in Paliſperna. Iuxta delubrum S. Pudentianæ ſunt adhuc multæ ruinæ balneorum Nouati. Vbi vero ædes eſt S. Vitalis ad principium montis Quirinalis, olim fuerunt balnea Agrippinæ matris Neronis; cuius ibi adhuc extant ruinæ. In templo S. Laurentij in Paliſperna, demonſtratur marmor ingens ſumma veneratione & religione cultum, in quod S. Laurentij corpus aſſatum & vſtulatum repoſitum eſt poſt eius mortem.

In

In via ad mõtem Quirinalem, quem hodie vocant Monte Caballo, occurrunt horti cardinalis Carpensis, qui omni ornamento antiquitatis pleni sunt: His enim nihil tota Roma, imo si ausim dicere, tota Italia, videtur amœnius, nihil magnificentius. Neapolis multos habet hortos insignes fontibus, herbis & arboribus, maxime Toletanos, qui Chiaiæ vocantur, sed p̃ter amœnitatem situs & aquas vberes, frigidas & salubres, pauca habent antiqua. In his Carpensibus nihil desiderari potest, nihil excogitari ab homine, quod non reperiatur: tanta magnificentia ædificiorum, tanta marmorum peregrinorum varietas, statuarum excellentia & pulcritudo, inscriptionum numerus & diuersitas (quarũ plusquam CXXXVI. numerantur diuersis figuris artificiosissime sculptæ) vt omnia ad miraculũ & delitias tanquam in Paradiso aliquo proposita esse videantur. Ante cætera fontis illius congrua concinnitas, & artis admirandæ singularis perfectio, reliqua omnia, quæ ibi spectantur, videtur præcellere. Quæ etsi à diuersis auctoribus summis laudibus celebrata sint, præsentia tamen famam videtur superare.

In monte Quirinali sunt horti magnificentissimi cardinalis Ferrariensis, quibus nulli videntur Romæ arborum diuersarũ cultu splendidiores, & ædificio mirabilis artificij, ꝙ ex arboribus cõsertis simul & implicatis labyrinthũ efficiunt. In dorso Quirinalis colosseę sunt duorum virorum statuæ, quæ frænis duos ingẽtes equos marmoreos impediunt. Ab his equis mons Caballinus vocatus est.

Et

ſunt reliquiæ; Domus Corneliorum, hodie, il vico de Cornelij: & templum S. Saluatoris de Cornelij, quod olim fuit Saturno & Baccho ſacrum; Alta Semita, hodie porta S. Agnetis. Fuit & ibi Suburra plana, & paulo remotius templum Siluani. In apice Quirinalis, fuit templum Apollinis & Clatræ: & ſacella Iouis & Iunonis, Capitoliumq; vetus: horum nullæ fere ſuperſunt reliquiæ. Forum & domus Saluſtij non fuit procul à templo S. Suſannæ, eo loco, qui dicitur hodie Saloſtrico. Videtur ibi adhuc obeliſcus paruus literis Ægyptiacis ſignatus, qui dedicatus fuit Lunæ. In deſcenſu Quirinalis verſus forum Neruæ, turris alta ſe extollit, quam Torre meza vocant hodie. Ea pertinuit ad Mœcenatis domum: ad quam hortos habuit cultiſſimos: & ad hos ſæpius ſe conferre ſolitus erat Auguſtus Cæſar, vt cum amico ſe oblectaret, dum ſe à curis grauioribus vellet extricare.

Non procul à turre di Comti ſunt domus Aſcanij Magarozzi & Euryali Silueſtris antiquitatum memorabilium monumentis inſtructiſſimæ.

Fanum Neptuni, quod olim dicebatur ſitum in eo loco, qui dicitur Ripeta: in eo naufragi tabulas ſuæ fortunæ ſoliti erant appendere, & vota ſuſcepta pro ſua conſeruatione ſoluere: nunc dicatum eſt S. Blaſio.

In valle Martia ad templum S. Rochi videntur ingentia ædificia Mauſolei Auguſti. Hoc Mauſoleum ſtructum eſt ab Octauiano Cæſare, vt in eo ſepeliretur, ac poſt eum reliqui imperatores ex familia Cæſarum: eodem in loco prius erectum fuit Amphitheatrum ſiue Circus à Iulio Cæſare, quem Augu-

Augustus in sepulcretum cõuertit: huius circumferentia cernitur adhuc fere integra & superstes, opere per rhombos distributo. In domo Fr. Sonderini ostenditur statua Pasquini spectantis Anteum mortuum: hanc maxime commendat Michael Angelus. In hac mole Mausolei duo fuerunt erecti obeliſci, singuli pedes XLII. longi: quorũ vnus iacet fractus in via Flaminia ante templum S. Rochi; alter semipultus terra cernitur in hortis posterioribus. In hoc tractu fuerunt olim: Circus & porticus Augusti, lucus Deorum Manium, sepulcrum Marcelli, naumachia Domitiani, vallis Martia, & via Flaminia.

Extra portam Flaminiam inter hortos Franciscus Ragaterius habet cultissimum & elegantibus simulacris ornatum. Ad hãc viam Iulius III. P. M. vineam extruxit, cuius ornamenta sumtu & magnificentia superant ea omnia, quæ Romæ cõspiciuntur. Ad principiũ huius vineæ erectæ sunt, in palatio magnificentissimo, multæ imagines senatorum & patritiorũ virorum. Fons quoq; positus est in eodem loco: in quo nescias an magis ingenium artificum, quam sumtuositatem & splendorem pontificum laudare debeas.

Sunt & alia ędificia in collibus vicinis extructa, ad deambulationes æstiuas: quorum quod est celebertimũ, in montis cacumine, duos habet obeliscos erectos cum pyramide altissima: cui sphæricum horologium superimpositum est: In eo vẽtorum omnium signa summo notata artificio designantur, & discrimina singulorum cognoscuntur: Ad hoc palatiũ hortus est amœnus, spatiosus, & al-

& alto muro cinctus, quem inscriptiones antiquę & marmora diuersis sculpta figuris exornant, numero centum & vltra. Ibidem sunt duæ statuæ precij maximi, vna Termini, alia Suriæ siue Naturæ. Huic ædificio vicinus est alter hortus superiore paulo amplior: vitium concamerationes altissimæ sulciuntur & sustentantur terminis marmoreis antiquis octodecim, qui vice columnarum seruiunt: Ex Græcia Romam adportati sunt fere omnes. Paulo vltra Pons Tyberi superpositus videtur, quem Ponte Mole vulgus vocat; erat antiquis Pons Miluius: ad quem habito conflictu cum Maxentio Romæ tyrannidem occupante Constantinus Magnus victor euasit: tyrannus vero in fluuium cum equo se dedit præcipitem, ne in hostis potestatem veniret, & in triumphum duceretur, ludibrioque populi ad supplicij pœnas traheretur. Hac victoria salus & libertas vrbi restituta est: & in rei memoriam imperatori bene merito, victori ac triumphatori, conditus est ille arcus, qui adhuc integer supereſt inter Coliseum & Septizonium Seueri.

In summitate vallis Martiæ occurrit arcus Tripoli, vel di Portogallo. Fuit hic arcus olim Domitiano sacer, incultus & rudis, neque vllum habet ornamẽtum, præter Domitiani imaginem, quam tamen nonnulli asserunt esse Claudij Imp.

Templum S. Laurentij in Lucina fuit olim sacratum Iunoni Lucinæ, nomenque antiquum retinuit: in hoc antiquitus puerperæ & prægnantes post partum vota soluebant; quod Deæ beneficio liberatæ essent, & infantibus superstitib. vita esset seruata.

In

In via Flaminia, quæ vocatur Strada del Popolo, domus ſunt aliquot, in quibus multæ videntur ſtatuæ antiquæ, vt: Domus Pauli Pónti, Franciſci Aragonij, Card. Sarmoneti & Ambroſij Lilij.

Campus Martius planitiem eam totam complebat, quæ à Quirinali protendebatur vſque ad pontem Xiſtum & Tiberim. Non procul à templo S. Laurentij in Lucina, in cellis vinarijs multarum ædium, videtur ingens obeliſcus, qui medio campo Martio fuerat erectus, literis & notis hieroglyphicis illuſtris: quem ex Hieropoli transferri Romam iuſſit Auguſtus Cæſar, cum duobus alijs, quos ſtatuit in Circo maximo. Hunc longum centum & decem pedes ſcribit Plinius: atque in eo interpretationem philoſophiæ Ægyptiorum contineri.

In ea campi Martij parte, quæ vocatur hodie la piazza di Sciarra, Antoninus Pius erexit altiſſimã columnam cochlidem, altam pedes CLXXV. feneſtellas habet LVI. quæ lucem præbent intrinſecus. Quidam aſſeruit eſſe confectam ex XXVIII. lapidibus. Pars illius exterior continet res geſtas Antonini ſculptura figurarum excellenti: ab hac vocatur ille locus in Colonna.

Vndecim illæ columnæ altiſſimæ, quæ ad templum S. Stephani in Truglio conſpiciuntur erectæ, ſunt reliquiæ porticus, quam Antoninus Pius ſtruxerat in ſuo foro, coniunctam cum ſuo palatio. Inter columnam cochlidem Antonini, & fontem æquæ virginis erant ſepta campi Martij. Erat autem is locus vallatus tabulato denſo, in quem conueniebat populus ſuffragia laturus, quando magi-

magiſtratus erant eligendi. Collis ille qui aliquantulum eminētior tollitur in Campo Martio, inter Antonini columnam & S. Laurentij in Lucina (quē hodie Monte Acitorio nominant) fuit antiquis mons citatorum: in quem ex ſeptis ſe recipiebant ſingulæ tribus poſt lata ſuffragia. In eodem colle fuit Curia, quæ Villa publica dicebatur: in qua recipiebantur hoſtium legati, quibus non licebat vrbem ingredi, vel in Græcoſtaſi diuerſari.

Haud procul hinc eſt fons aquæ virginis, humili & depreſſo aquæductu per Campum Martium influens: hodie fonte di Treio dicitur. Et hæc ſola ex omnibus aquis, (quas tantis ſumtibus & aquæductibus tam ſumtuoſis antiqui principes in vrbem introduxerunt) remanſit ſuperſtes ad vſum ciuium. In hoc Campi Martij tractu ſunt ædes aliquot, vt: Pompilij Nari, Gaddiorum, Deſiderij Vrſati, Antonij Gabrielis, in quibus multæ viſuntur antiquæ ſtatuæ. Inprimis vero palatium cardinalis Carpenſis: in quo tot ſtatuæ, tot inſcriptiones videntur, vt mirari nemo ſatis poſſit ſtudium tanti viri in exquirēdis ijs, quæ ab antiquitate peruenerunt ad noſtra tempora, magna omniū doctorum vtilitate & voluptate. Inprimis repoſitum eſt ibi in quodam cœnaculo Veneris nudæ corpus, cuius artificiū ſuperat reliqua omnia, quę Romæ ſunt: Id ſi eſſet integrum, nulla eſſet toto mūdo ſtatua, quæ huic conferri poſſet: neque abs re creditur eſſe Veneris Cnidiæ toto orbe celebratæ. Prope hanc Venerem eſt iuuenis non minoris artificij: in quo tanta eſt membrorum proportio, tam elegans & pulpoſa muſculorū conuexitas, vt

sculptorum & omnium artificū oculos cum summa admiratione fixos detineat. In alio Musæo huic cænaculo contiguo statuæ duæ sunt, Satyri & pueri plorantis: quibus nihil perfectius tota vrbe conspici potest, nihil elaboratius aut artificiosius; multaque præterea omnis generis, quibus Roma nihil possidet magnificentius, nihil admirabilius.

In colle Pinciano, à Pincio senatore ita dicto, fuit sepulcrum Domitiorum, in quo Nero sepultus est. In elatiore collis parte videtur arcus siue concameratio fornicata, quæ olim fuit pars templi Solis. Prope quam est templum S. Trinitatis, à Ludouico XI. rege Galliæ structum. Non procul abhinc iacet obeliscus ex lapide Thasio factus cum hac inscriptione: *Soli sacrum.* Prope Colliniam portam non procul à templo Susannæ Salustiº habuit hortos amœnissimos & splēdidas ædes: quarum ruinæ adhuc sunt superstites in ea valle, qua itur ad portam Salariam. In media hortorum parte videtur obeliscus non adeo magnus, literis signatus Ægyptijs hieroglyphicis, qui Lunæ sacratus est. Locus adhuc hodie vulgo dicitur Soloſtrico. Campus sceleratus siue via scelerata (in qua Vestales virgines, quæ stupro violatæ erant, viuæ defodiebantur) complebat id totum spatium, q̄ est à porta Collinæ, sub ædibus & portis Salustianis, vsque ad portam Salariam.

Extra portam Quirinalem, ad sinistram viæ Salariæ partem, sunt ruinæ templi Veneris Erycinæ: cuius festum solennibus ceremonijs celebrabant matronæ pudicæ, Augusto mēse, ad simulacrū Veneris Verticordiæ, q̄ maritos vxorib. credebatur

reddo-

reddere placabiles & beneuolos: ad hoc templum fiebãt ludi agonales, vnde porta nomẽ sortita est.

Paulo remotius, super Aniene pons est adhuc integer, quẽ longa inscriptio docet à Narsete structum fuisse. Ad hunc pontem Annibal imbrium inundatione vehemẽti vexatus, obsidione soluta, castra remouit ab vrbe & discessit. Paulo inferius Tyberi miscetur Anien: ibiq; Torquatus Gigantẽ Gallum superauit, & ab eius collo torquem aureum detraxit, à quo nomen postea cepit.

Cętetum (hoc obiter) prope Tybur inter Aniensis arenas, leguntur amygdala, anisum, feniculũ, & alia plurima petrificata, quę circumferuntur pixidibus in conuiuijs, vt matronæ & conuiuæ deludantur, existimantes esse ex saccãro facta tragemata, quæ vocantur passim confette da Tiuoli, & superioribus annis corpus hominis interfecti & coniecti in Anienem adhæsit radicibus arboris, quæ fluuij ripam ingrediebãtur, factumq; est longo temporis interuallo, vt còrpus à putrefactione conseruatum, in lapidem sit conuersum.

Ad portam Salariam demonstrantur reliquiæ templi antiqui, quod Honori sacrũ fuit: & domus illius siue suburbani, in quo Nero Imp. adiuuante Sporo, cuspide sub papillam adacta se interemit, ne in manus & potestatem senatus veniret, qui illum poscebat ad supplicium.

Sub hortis Carpensibus plurimæ sunt cameræ & fornices obscuri, & longo ordine producti: hos nonnulli volunt esse officinas, in quibus conficiebatur & elaborabatur minium: alij malunt eum locum adsignare habitaculis meretricum, quæ eo

se recipiebant tempore Floralium ludorum, qui celebrabantur in circo Floræ fornicibus his adiacente.

Sub Quirinali monte sunt ædes Buffalorum, paruæ quidem, si conferantur cum maioribus illis palatijs cardinalium & principum virorum, sed q̃ cæteris non cedunt omni ornamẽto antiquitatis. Hortulus est consitus diuersis herbis tariſſimis, & arboribus, palmis, cedris, malis Punicis ac medicis, myrtis & alijs. Palmæ enim videntur Romæ multis in locis; sed nullæ gerunt dactylos præterquam eæ, quæ sunt in horto S. Mariæ del popolo, & S. Mariæ in Transtyberi. Huic hortulo fons est additus, ex tophis marinis efformatus affabre in speciem rupis naturalis, tantæ pulcritudinis, tantorum sumtuum, compositionis tam raræ, vt nihil speciosius vsquam videri possit. Disposita sunt diuersis in locis conchylia pretiosa, quæ margaritarum referunt splendorem, & ingentes cochleæ Indicæ lucidissimæ, colore iridis & vnionum. Totaque hæc rupes artificiosa venustissime tegitur lauris, cedris, tamariscis, & altis arboribus, quæ præbent vmbram fonti subiecto: sub quibus simulacra sunt tria Musarum elegantissima: & Caracallæ imperatoris, qui pallio marmoris cotognitis tectus est. Disposita sunt vndiq; signa, quæ suis è loculis extant, vt Demetrij, Maximini, Philippi, Claudij & aliorum. Ex rupe fontis eiaculantur aquæ limpidissimæ, per tubos & canales æneos mirando artificio. Litostratum ex marmoribus cõpactum est exquisitissimis, opere tessellato, ex chalcedonico, porphyro, alabastro, thasio, pario, ophi-

ophite, Marmaridum & Æthiopum lapidibus. Opus summa admiratione dignum: quodque, licet multo minus sit, pulcritudine tamen & artificum inuentione potest conferri cum fonte Iulij P. M. qui ad portam videtur Flaminiam. In summa, quicquid in domo patritij huius ciuis spectatur, dignum rege & opulentissimo puta principe.

En habes hic, Laconica quidem breuitate, vrbis Romæ monumenta ac memorabilia pleraq;, partim integra adhuc, partim eorum ruinas. Consulto autem omisimus statuas atque effigies pictas aut sculptas, nisi quæ singularis alicuius essent artificij, ne videlicet nostra in immensum excresceret narratio, ob id etiam potissimum, quia pleręq; statuæ, quæ passim in patritiorum aut aliorum ciuium primariorum ædibus cernuntur, quos nimirum repręsentent, nō possunt dignosci. Hoc enim malum semper fuit Romæ, propter nimium rerū antiquorum studium, vt qui statuas non potuerunt emere integras, partes earum maxime capita sacrilege confracta & à corporibus auulsa sibi vendicarint. Hinc fit vt passim non agnoscantur corpora sine capitibus, & raro quoq; capita sine corporibus. De conclauibus quoque multorum cardinalium, nobilium & ciuium opulentiorum, in quibus seruatur infinitus numismatum aureorū, argenteorum & æneorum numerus: toreumata excellentium artificum ex diuersis metallis; Onyches, Sardonij, Cornalini, Lazulij, amethystæ, topazij, Berylli, cyani, pyropi, hyacinthi, saphyri, crystallini lapides cælati & signati capitib. Deorū,

imperatorum, virorum illustrium, diuersorum animalium, herbarum & arborum, variaque emblemata continentes, hæc prætetire satius putaui, cum impossibile sit singula annumerare, vel enumerata explicare: quod prætetea hodie (propter fraudes multotum malorum, qui clanculum multa furto turpissimo subtraxerunt) paucis aditus præbetur ad huiusmodi secretiora loca. Multique timent ignotis ea communicare, quæ coniuncta sunt cum multis statuis, tabulis ac picturis nudis & lasciuis: quæ etiam à viris ecclesiasticis seruantur, propter artificium & operis venustatem & excellentiam. Nonnulli autem sunt, qui malignitate deprauati seculi, post reditum in patriam proterue suis enumerant & narrant, scriptisque publicant quæ viderunt, vt inuidiam, dedecus & contumeliam concitent possessoribus, à quibus comiter & perhumaniter sunt excepti: beneficiorum immemores ingratitudinem pro gratia referentes. Hæc malignitas in causa est, cur hodie domibus nobilium pauci admittantur, nisi commendatione amicorum id cõtingat, aut longa familiaritate, & vsu communicationis quotidianæ eos, quorum fidelitatem & ingenium perspectum habent, in musæa sua admittant, & amice communicent quæ habent pretiosa. Hinc fit vt virorum malorum ingratitudo viris bonis sit opprobrio & damno inæstimabili: impediaturq; studium iuuentutis, & comitas caritasq; omnium refrigeretur, aut plane extinguatur.

Cæterum de Venetiarum vrbe, quæ & ipsa ædificiorum structura, rerumque memorabilium splen-

splendore ac magnificentia insigniter eminet, sigillatim omnia, quæ ibi visuntur, memoratu digna, percensere, nimis longum foret. Sufficiat dixisse, naturam ipsam vires ac potentiam suam in illam effudisse, imo vrbis domus extruxisse, vndasque cohibuisse, ne in perniciem Venetiarum maris fluctus altius assurgant aut euagentur. Omnium vero maxime memorabile, quicunque illic videre desiderat, petat is sibi monstrari ipsorum armamentarium, quod lingua sua Arsenale vocant. Locus is patet ad duo millia, in quo bellica omnia instrumenta seruantur, triremes nauesque incredibili numero, indiesque construuntur, planeque ego crediderim, Venetos omnibus præferendos in instruenda numerosa ingentium triremium ac amplissimarum nauium classe; munitiones ac tormenta bellica infinita. In immensum excresceret oratio, si altissimas turres, splendidissima templorum ædificia atque ornamenta, magnificas palatiorum atq; ædium structuras, areas siue planities amplissimas iuxta atque iucundissimas, ne quid dicam de multifarijs artibus & commercijs, quibus vrbs hæc facile totius mundi vrbes præcellit, legibus ciuilibus sapientissime constitutis, decore vtriusque sexus, aptitudine morum ciuilium. Tempus & oratio me deficerent, si singula pro dignitate persequi oratione conarer.

CAPVT VII.

De vtilitate, propter quam aliquando homines in vnum locum coeunt.

MAXIMVM momentum ad promouẽdam atq; conciliandam hominum cum hominibus adeoq; loci alicuius habitationem, habet vtilitas, quæ vel maxime spectatur ab ijs, qui locum aliquem incolere, secũ deliberant, proinde hac deficiente, non est quod speres, te multitudine incolarum vrbem aliquam amplificaturũ. Nullius siquidem auctoritas tantæ apud homines est existimationis, vt, nisi proposita vtilitatis spe, vnius hominis auctoritatem atque arbitrium sequantur.

Sed neq; necessitatis tantum est protelum atq; incentiuum, siquidẽ collectio hominum talis coalescit duratq; in plurimos annos. Necessitas vero cum violenter agat, nihil producit durabile atque perpetuum. Quo fit, vt non solum ciuitates, q̃ vi coactæ primum confluxerunt, verum etiam principatus ac dominationes violenter constitutæ, nõ diu durẽt, aut certe accessione ciuium ac incolarũ minime augeãtur. Proinde haud incommode cõferri possunt torrẽti è cliuis syluarum agrorumve defluenti, nec habenti scaturiginem vnde continuum habeat effluxum. Vt igitur facile succrescit, ita etiam facile decrescit; facile itinerantibus incutit timorem, facile etiam vicissim eximit. Exemplum satis luculentum præbent Tartari, qui Asiã diuersis vicibus hostiliter inuaserunt, Alexander Magnus, Attila, Tamberlanes Magnus, Carolus VIII. & Ludouicus XII. rex Galliæ.

Causa

Causa enim harum vicissitudinū talis assignari potest. Natura nostra sic comparata est, vt in rem suam cum sit intenta, suiq; emolumenti studiosa, illa coactionis vincula, quibus vi metuve cōstringuntur homines, facile disrumpat. Consimiliter enim vt plantæ, tametsi telluri satis alte defixæ, nisi tamen ventorum spiramine, pluuiarumque humiditate foueantur, arescunt atq; intermoriuntur: sic cohabitationes hominum vi coactæ, nulla emolumenti alicuius spe proposita, facile flacceſcunt ac dissociantur.

Sed neq; sola loci amœnitas tanti est momenti, vt ob eam tantum, multitudo hominum coaleſcat, homo enim ad labores natus est, ac natura aliquid operatur, hinc est vt plures negocioſi quā ocioſi vbique reperiantur; atque horum otium in negotiantium artibus & scientijs fundatur, laboreque ipsorum fruitur. Amœnitas enim nisi habeat adiunctam comitem, lucri aut emolumenti alicuius fruitionem, nihili æstimatur.

Cum itaque vtilitas principalis imo principalissima causa sit, propter quam homines coaleſcunt, hominumque multitudo facile succreſcit, & vero diuersimoda vtilitatis ratio sit, videndum nunc est, quænam ad multitudinem inhabitantium cogendam atque conciliandam accommodatissima sit: dicendumque, eam in loci situs opportunitate, soli fertilitate, atque apportandi auehendique commoditate sitam esse. De quibus omnibus sigillatim deinceps ordine tractabitur.

CAPVT VIII.

De locorum situs aptitudine.

GONGRVAM locorum rationem eam appello, quæ ita disponit apportandi deportandiq; facultates, vt plurimis gẽtibus idonea fiat in commercijs, quorũ copia est, auehendis, quorum defectus apportandis, conditio. Eiusmodi locus, qui æque his opportunus atq; illis, de vtrisq; æque participat, quorum æquam seruat proportionem, ita vt exinde opum affluentia pari vtrinq; ratione mire excrescat & dilatetur. Quod si vero neutrum horum contingat, tametsi locus auehendis apportandisque mercibus commodissimus simulque perneccssarius sit, nisi tamen ibi sint, qui commercijs dent operam, illac quidem peregrini transibunt, neutiquam tamen commerciorum gratia, cum nulla ibi vigeant, commorabuntur. Derbentum, in mari Caspio vrbs sita, accommodato loci positu ita conuenit in Tartariam & Persiam nauigationi, vt an magis possit competere, quis dubitet: neque tamen vnquam laudis nomen aliquod egregium hæc vrbs adepta fuit. Hoc qui fiat, merito quis quærere possit. Non aliam profecto causam inuenio præter eam, quod nulla ibi vigent commercia: sed transitum duntaxat præbet mercatoribus, qui non vt negocioſi institores, sed vt viatores illac transeunt atq; hospitantur. Et vt vno verbo dicam, necessaria quidem, at sibi parum vtili, reb. ita stantibus loci aptitudine sitaest.

Propter eandem causam, in alpium angustijs, quæ maiori ex parte Italiam cingunt, media nunquam

quam, multo minus ampliſſima ciuitas coaluit, quam crebertimum mercatoribus Gallis, Heluetijs, Germanis atq; Italis illac fit iter, & nuſquam fere viatoribus vacet.

Idem dici poteſt de pleriſq; alijs locorũ opportunitatibus. Quam enim accommodam arbitraris Suſam ex India ſoluentibus & per mare rubrum Cayrum nauigantibus? Quam neceſſarias D. Iacobi inſulas, Palmam, Terzeram, Portugalenſium & Hiſpanorum transfretationibus in Indiam, Braſiliam, Americam &c. putas? In prædictis tamen locis nulla vnq̃ ætas hominũ laudati oppidi mentionem fecit. Ipſum quoq; accidit Daniæ & Suediæ interiectis inſulis, idem quoque inter mare Germanicum & lacũ Subſolanum interpoſitis, Vlyſſinga loco ſituq; Anglis ac Flaminijs reliquisq; non paruis nationibus tam idonea ſita eſt, vt eius ope nullatenus ad cõmerciorum hinc illinc transportationes carere poſſint: Nunq̃ tamẽ quatũuis commoda, vrbs hęc celebritate cõmendata fuit, ſed in priſtino ſemper ſtatu permanſit. Cõtra Venetorum & Genuenſiũ vrbes paſſim inclaruerunt, quoniã exterarum gentium opes ignotas ſibi copioſiſſime apportatas cõmercantur, & non vt tranſitus peregrinis, ſed vt nobiliſſima emporia variarum gentium ſunt, & frequentiſſime inuiſuntur. Eadem ratio eſt Lyſabonæ, Antuerpiæ & aliarum vrbium. Concludimus itaq; ad incrementum ciuitatis alicuius ac populorum, nõ modo eam opportunitatem, cuius carentia eſſe nequit: verum etiam quæ finitimis nationibus ac populis magnopere proſit & congruat, requiri.

CAPVT

CAPVT IX.

De fœcunditate ſoli.

CAVSAM etiam inter alias non exiguam ciuitatum incrementis prębet terrę fertilitas, in qua ſitæ ſunt. Cum enim hominis vita duabus potiſſimum ſuſtentetur rebus: victu ſcilicet & amictu: & vtriusque horum æquum ex terra comparetur ſubſidium: non poteſt non ſoli fertilitas eximium ad hęc emolumentum conferre. Quo autem ipſius terræ fœcundior gleba, eo potior ad noſtrum inſtitutum fiet acceſſio. Et cum non omnis ferat omnia tellus, ea demum feliciſſima, atque ad conciliandam acceſſionem accõmodatiſſima eſt ratio aut ciuitas, quæ rerum plurium abundat copia; hinc enim fit, vt minor ſit eorum, quibus abundant alij, indigentia. Quæ ſola cauſa ſæpe permultos mouet, vt patria relicta ſedes exteras quærant. Hinc finitimis facilius ea, quorum apud nos copia ſuperfluit, ſuppeditantur, qua re ducti alij populi relictis ſuis ſedibus eo ſe conferunt, vbi omnium rerum affluentia conſtat atque percipitur.

Sed neque ſibi fertilitas per ſe & ſimpliciter ad ciuitatum populorumque incrementa ſatis eſt. Multæ ſiquidem ſunt regiones, eæque fertiliſſimæ, quæ tamen oppidorum incolarumq; numero minime abundant. Sic Piemontum, quamuis omnibus Italię regionibus, frugum, vini, iumentorum aliorumq; eſculentorum fertilitate, facile ſuperior ſit, incolis tamen minus abundat. In Anglia,

glia, excepto Londino, nulla est ciuitas memorabilis, licet ea natio omnium rerum copia atq; vbertate abundet. De Gallia idem verum est; sola Parisiorum vrbs & amplitudine mœnium & multitudine ciuium præstat, quantumuis non in vsque adeo fertili aut commodo sola sita sit; non enim tanta ibi est amœnitas, quanta Toureyne vrbe; non tanta rerum abundantia, quanta Xantonge aut Poictiers: nec tanta fructuum varietas quanta Landedocke: nec tanta maris commoditas, quanta est apud Normanos: nec tanta vini copia, quanta apud Burgundos: nec tanta frumentorum vbertas, quanta apud Campanos: nec inuenio, in quo sit æquiparanda ciuitati ac prouinciæ Orliens: quinetiam iumentorum multitudine Britannis ac Burges prouinciæ facile cedit.

Ex quibus perspicuum euadit, fertilitatem solam ad conciliandam incolarum multitudinem minime sufficere. Cuius ratio hæc est. Siquidem incolæ, qui omnium rerum vbertate fruuntur, eaque soli fertilitate gaudent, vt si non singularum rerum ad sustentationem vitæ humanæ affluentiam, sufficientiam tamen penes se habeant, de aliarum nationum frugibus, adeoque ijs, quæ in commercia veniunt, parum sunt solliciti, ijsque, quæ patrium suppeditat solum, contenti, alienarum mercium rerumq;, quorum in vita communi vsus est, asportandorum curam plane abijciunt, ac potius intra, quam extra patriam victui student, omneque extrauagantiæ studium intermittunt. Nam quorsum Anticyras nauiget ad consequendas gazas, quibus patria vberrime affluit?

Omni-

Omnium autem eorum, quibus abundamus, precium eo præstantius, quo hominum moderatior est affectio, & quo minus voluptatum illecebris sunt dedita gentium ingenia.

Itaq; exinde consectarium est, bonorum affluentiam non sufficientem esse causam ad societatē populorum contrahendam: sed requiri insuper singularem congruentiam, modum ac rationem in vnum locum cogendorum: ꝙ per idoneam facilemq; adportandi deportandiq; conditionem, de qua in posterū dicemus, fieri aptissime poterit.

CAPVT X.

De apta aduehendi deportandiq; opportunitate.

HÆc aptitudo partim terra, partim mari haberi potest. Terra quidē, quo superficies eius magis est plana, eo facilior: quandoquidē merces & quidqd demū mercatorium est, exiguo negotio huc illucve possunt transportari: quod fit varijs vehiculorum generib. aut. n. essedis, quę equorum gestatoria sunt, aut petorito, aut id genus alijs adminiculis aduehūtur deuehunturq;. Idonea quoq; profectio hominum magis tum est pedibus, caballis, rheda, alijsq; modis, vbi nempe iter est planum.

Cęterum Portugalenses memorant, maximam in regno Chinę esse cāporum amplitudinē, in quibus soleant aurigari incolæ expansis velis, nō secus acsi nauigijs veherētur; id ꝙ & in Hispania quidam paucis abhinc annis tētauit. In aqs vero aduehūtur deuehūturq; merces atq; adeo ipsi institores, quādo remigiorū pōdus sustinere aquæ moles potest.

Inter duo hæc vehēdi cōmoda, vtrum præferendum

dum sit, docet vsus. Absq; dubio nauale iter terrestri multo ꝑualet: non propter facilitatem modo, sed & pp velocitatem. Nam appense breuiori mora, parcioriq; impensa ac minore negotio, onerosiora quęq; de loco in locum maritimo transuehuntur nauigio, quam plaustrali in terris rota.

De aquis nauigabilibus iam vt dicamus: Primo sciendum non eodē pariter modo se habere aquas: nam aut natura sic cōstituit & ordinauit eas, vt sunt mare, flumina & lacus, aut opera artificioq; humano huc illucq; sunt deductæ magno labore & impensis: eiusmodi sunt canales & alicubi stagna à stando sic dicta, quale erat Mireum Ægyptium, cuius ambitus quadringenta & quinquaginta milliaria parua continebat.

Ex quib. satis cōijcere licet, quantā omnium rerū conditor Deus opt. Max. in omnibus rebus, hominum rationem habuerit, & ꝑcipue in vsu aquarum. Est. n. aqua elementum omnium maxime tum ad vitā, tum etiam ad victum necessarium. Nā etsi aer magis præcordia spiritusq; animales & vitales fouet, naturales tamē partes ac regiones corporis, aquarum fontes magis desiderant, eorumque vsum maiorē in omnicibo acpotu sentiūt; quin etiā Deus ter opt. max. aquas noxias ab iñoxijs, certis quibusdā notis distinxit. Aqua. n. q̄ est motu velocissima, limpidissima aspectu, leuissima pondere, facilima cōcoctu, ab ortu solis ad occasū incitata, habetur omniū saluberrima; quę vbi deest, ingeniū humanū, instillāte omniū rerū opifice, excogitat artes, quib. aqua insalubris, ꝑ fistulas arenosas aut alio modo diducta & quasi decolata, purior & subtilior ad eoq;

salu-

salubrior redditur. Sed & præter hunc vsum, etiã alium maxime necessarium aquarum vsum esse, nempe ad transportandas omnigenas merces, ex superioribus satis liquet. Sic enim diuina ordinauit prouidentia, vt cum hominem animal sociale omnesq; homines vnius; tanq̃ vniuersalis cuiusdã corporis membra esse voluerit, sua dona sic dispertitus sit, vt non omnibus ex æquo nationibus omnium rerum affluentiam concesserit: sic enim fit, vt dum alter alterius eget adminiculo, mutua illa animorum connexio coalescat. Id autem quo fieret compendiosius, aquarum fluctus ita diuina sua & inscrutabili sapiẽtia ordinauit: vt ad onera sustinenda adiuti ventorum flatibus & rudentum velorumque adminiculis facilime quæcumque transportare possent. Hoc medio facta est orientis, occidentis, meridiei septentrionisque apta dispositio atque amica conglutinatio. Parum ergo obstat, quo minus dicamus, omnem tellurem omnia æque producere, propter commodam illam auehendi aduehendique huc illuc oportunitatem.

Nunc, vt ad aquarum descriptionem propius accedamus, affirmandum censemus, mare ad ante memoratas commoditates esse aptissimum, & mercibus hominum de loco in locum transmittendis maxime congruum, secus vero lacuum reliquorumque fluminum nauigationes: idque non modo ob immensam eius magnitudinem, sed & propter grauitatẽ & ponderositatẽ tantæ aquarũ molis. Admodum tamen parum in mari proficies, nisi habeas portus amplissimos, nauiumque

ſtationes tutiſſimas. Illos quidem, vt minus nauis illidatur: has vero, ne procellarū turbinumq; impetuoſitatibus percellatur concutiaturve.

Cæterum omnium fere concors ſententia eſt, Fauonium omnium ventorū eſſe placidiſſimum, minusque ab eo nauigantibus imminere periculum, atque ad eius compoſitionem ac ceſſationem, omnem maris tempeſtatem ſubito conquieſcere. Contra vero Aquilonis impetuoſiſſimum eſſe flatum didicerunt, quibus aliquando marinæ tempeſtates exploratæ fuerunt: in tantum enim, aiunt, ſeptemtrionales hoſce ventos concitare fluctus, vt requieſcente etiam earum flatu, aliquandiu tremant, fluctuentq; huc illucve vndę: quod ſummo ſalutis cum periculo in Venetiani maris ſinu ſæpenumero nauigantes experti fuere.

Porro portus marinos aut natura ipſa, artificioſiſſima operum conditrix, primitus ſtruxit, quales viſuntur Meſſinæ & Marſiliæ; aut ars ſiue induſtria humana obices quaſi, contra ventorum impetus ſtruit, quales viſuntur Genuæ ac Palermi.

Sed & lacus, qui quaſi exiguorum marium numero atq; appellatione habentur, vel maximum poſſunt cōferre ad cōciliandā incolarū multitudinē; pro ratione nimirū cuiusq; loci amplitudinis variarumq; cōmoditatum, q̄ ibi ſpectantur. Sic ad lacū Mexicanorū, in noua Hiſpania, q̄ ad nonaginta miliaria parua extēditur quadraginta plus min⁹ vrbes populoſiſſimę ſitę ſunt, ē quib. ampliſſima vrbs Themiſtitan, potētiſſimi huius regni metropolis, ambitu ſuo tria miliaria magna cōprehēdit.

Fluminum p̄terea vſus nō mediocris eſt, eorum

pſertim quorũ lata eſt deriuatio, pſertim peropulẽtaſ regiones, quales ſunt: Padus in Italia, Scaldis in Flandria, Ligeris & Sona in Gallia, Danubi⁹ & Rhenus in Germania. Atq; pari ferme modo, quo lac⁹ cũ marinorũ ſinuũ cõuallib. quarũ fabricatrix natura eſt, cõparantur: ita canales & aquagia, vt vocãt, q̃ ex vno lacu ſiue flumine in aliũ deducuntur; veris fluminibus opera humana æmula aſſimulantur. Antiqui Ægyptiorum reges foſſam è Nilo adusq; Heroũ vrbem quam dixerunt, diduxere. Conati etiã ſunt è mari rubro ad mare Meridianum canalẽ ſtruere, atq; ita noſtrum cum Indico mari cõiungere: quod cum in finẽ inſtitutum, vt commoda nauigatione mercimoniorũ fieret trãsportatio, quo augeſceret regni potentia. Nec ſemel ſcopulorũ inter Tenedũ & Chiũ perruptio & Ægei maris cũ Ionico cõiunctio attẽtata fuit. Sic Satrapas quidã Cayrin⁹ aquarũ ductus cõſtrui fecit, ab Euphrate fluuio in ciuitatẽ Alepo dictã. In Flãdria huiusmodi paſſim viſuntur multis impẽſis, & maximo labore cõſtructi canales, quorũ tñ impẽſas, opportunitas atq; immẽſa emolumẽta exinde fluẽtia vberrime compẽſant.

In Lõbardia plurimę ciuitates hãc occaſionẽ ſummo ſtudio & labore nactæ fuere: Omniũ vero cõmodiſſimã ac fructuoſiſſimã Mediolanẽſes. Etenim canali quodã, Romanorũ haud inferiori ex Theſino & Verbano lacu aqua ad ſe traducẽtes, maximas diuitias, & innumeras exterarũ nationũ opes acquiuerũt. Alio deinceps canali ex Adda diducto quidq̃d frumẽti eatellus germinabat, facilime in horrea cõuexere. Quorũ cõditio potior adhuc foret, ſi Pauiæ & Iureæ canales tandẽ aliquando ſordib. atq; impedimẽtis euacuarent. Inter autem huiuſmodi aqua-

aquarum ductus,& flumina,ea tandē ad deportandas merces maxime cōuenire cēſentur, quorū non modo p varias regiones eſt defluxus,quēadmodum ſupra dictū,ſed & quorū maxima ꝓfunditas, cōpoſita lenisq; fluctuatio,ęqua latitudo, & deniq; ſpiſſitudo&dēſatio eſt aquę. Profunda eſſe cōgruit. Aquę.n.ꝓfundæ maiora ferūt onera,minusq; iminet ab ijs nauigantib.periculū. Lenis nō concitatus eorum æſtus ſit oportet;ſic.n. facili labore, quocunq; libet, nauiū curſus dirigi queunt. Proinde aquagia ex Theſino in Mediolanū traducta, nō ſunt tantopere cōmendanda:ſiquidem ob velociſſimum eius decurſum ,quē aquæ præbent ſinus, multo labore atq; opere nautico remigib. in regreſſu opus eſt, & ſępiſſime longiſſimum tempus in aduerſo cū nauſea & diſpendio rerū teritur. Quod ad flumina attinet,artificis naturæ mira apparet lenitas, Galliæ Celticę & Belgicę exhibita. Tā maſueta.n. fluminū in Gallia Celtica & quieta eſt decurſio, vt incredibilē nauigantibus prębeat delectationē: pleraq; .n. eorum in planitie ſcaturiunt, ꝓinde minus cōcitato ferūtur curſu.Sed neq; intra montiū conualles decurrunt,nec breuioribus curſibus finiūtur; verū aliquot centū milliaribus mira ſuauitate per planū defluunt.Quo fit vt amœniſſimū ſpectantibus prębeāt ſpectaculū. Hic.n. extenduntur, illic cōtrahūtur aut contorquentur, nonnunquam antrorſum, ſæpiuſcule retrorſum cōcinno curſu fluunt, adeoq; exercēdi veluti atq; afficiēdi nauigantes ſpeciē prębent:& ꝙ maximū eſt, hac flexione decurſuq; vario,innumeras vrbes atq; prouincias aut fœcundāt, aut victualia vſibus humanis accōmoda importāt.

Omniū vero Europę nationum tractus ille Gallię

Belgicæ, Flādria dictus, aquarū commoditatibus atq; vſibus maxime gaudet. Sunt.n. ibi fluuij Scaldis, Moſella, Tenora, & Rura: quiq; trib. ramis diffluens in Rhenum effunditur. Hi totam illā regionem vndiq; circumfluentes, immēſis opibus propter idoneā nauigationē, & incredibilem cōmerciorum frequentiā nobilitant. Hac vna re ſupradictis regionib. multo eſt inferior Italia. Italia enim in longitudinē protenditur, anguſtus vero eius latitudinis cōplexus montibus Apenninis in medio finditur: q̄ cauſa eſt, quod intempeſto curſu immoderate decurrant ibi flumina. Fluuiorū Lōgobardicorū cōmunis fere ſcaturigo eſt ex alpibus, vt ſunt Theſinū, Adda Laber, Serio, & Adiga: vel ex Apenninis mōtibus, vt ſunt Tarro, Lenza, Panarus, Rhenus. Tam breuiuſculo autem feruntur curſu, vt torrētes potius, riuulive ſylueſtres, quā fluuij appellandi ſint: repente .n. in Padū qui Apēninum atq; Alpes interfluit, effunduntur. Exinde Solus Padus nauigabilis hanc regionē vniuerſam p̄terlabitur ſecundū longitudinē, atq; hac ratione nempe reliquorū fluuiorū alluuie excreſcit, & lōgitudine ſua, dum cæteros violento influxu illabētes excipit, intēpeſtos eorū curſus moderatur. Sciendum & hoc eſt, antedictos fluuios ob breuē decurſum, maxima cū æſtuatione ſeſe in Padū quandoq; euacuare, quorū affluxu velociore vſq; adeo Padus excreſcit, vt etiam munitiſſimæ ciuitates in vicinia ſitę ſibi eius impetū ſummopere metuant.

Verum flumina, q̄ intra Romanorum fines aliasq; Italiæ partes ex Apennino mōte inſtar torrentium ſylueſtriū vtrinq; decidunt, recto curſu in Adriaticum Tyrrhenūve mare feruntur; vnde nulla

mora

mora ſiſtendi curſum ſuum ſubitum illis datur, quo fit vt nauigabiles nunquam efficiantur. Nauicularũ enim vſus, q̃ in Arno fluuio aut Tiberi exiguo admodum decurſu cernitur, nullius fere eſt momenti.

Cęterum plurimũ etiam confert ad ferẽda onera nauigiaq; transportãda ſpiſſitudo quaſi ac denſitas aquarum. Negari ſiquidem nõ poteſt, ad ferẽda onera fluuios alios alijs eſſe aptiores. Senna, Galliæ fluuius, mediocris amplitudinis, tãta ſuſtinet onera, vt qui nõ viderit, incredibile exiſtimet: certumq; eſt ac indubitatũ, nullum toto terrarum orbe inueniri fluuiũ, qui magnitudinis proportione huic correſpondens tanta ſufferre poſſit onera. Etſi enim mediocris duntaxat magnitudinis ſit, omnia tamen quibus Pariſiorũ vrbs ædificiorũ ſimul atq; inhabitantiũ numero ampliſſima atq; inſtructiſſima, opus habet, hoc mediante illuc inuehũtur apportãturq;.

Verum hoc loco non incommode quæri poſſet, quęnã cauſa ſit, q̃ ferẽdorum onerum in aquis diſpar ſit ratio: alię.n alijs ferunt maiora atq; grauiora. Nonnullis ea placet ſentẽtia; quod nimirũ eę aquæ multũ ex materia terrea habeãt admixtũ, per quam fluẽtes ſpiſſentur craſſæq; fiant. Sed horũ opinionẽ redarguit Nilus, qui tantũ materię terreę ac limoſæ ſecũ trahit, vt in S. Scriptura nõ niſi fluuius turbidus appelletur: quapp & vnda eius nõ eſt potabilis, niſi prius in ciſternis bene perpurgetur: adhęc humiditate ſua terrã nõ modo perfundit & humectat, ſed etia pinguedine ſua, inſtar culturæ fertilẽ facit, atq; excolit, neq; tamẽ fluuius hic quantumuis ampliſſimus, ad ſuſtinendũ inuecta vsqueadeo eſt accõmodus. Cui ſententię aſtipulatur etiam Plinius loquẽs de obeliſco ſub imperio Caij Romam delato.

Potius ergo dixerim requiri ad hanc rem aquæ viſcoſitatem magis, quam lutoſitatem. Illa enim quaſi conglutinatur atq; conſpiſſatur: & per conſequens ad ferenda onera fit aptior.

Vnde vero, (quęrat porro aliquis) hęc aquarũ diuerſitas oritur? Reſpõdetur, ex duabus cauſis eam prouenire. Primũ ex ipſa ſcaturigine, quando nimirum è loco pingui, putri ac viſcoſo ſcaturiẽs per locũ eiuſdẽ naturæ ac qualitatis decurrit. Fluuij enim naturam ſoli q̃ perfluunt, imitantur atq; ad ſe attrahunt, q̃ vbi fuerit pingue ac viſcoſum, etiam aqua perluens viſcoſa ac pinguis redditur, fereq; olei naturam induit. Hæc ergo viſcoſitas à decurſu aquæ, lentiore tamen atq; breuiore, exiſtit. Quodſi enim aquæ curſus fuerit concitatior, omnis viſcoſa materia diſſipatur, vndaque ſubtilis ac rara efficitur. Ad cuius comprobationem vel vnius Nili defluxum in exẽplum traxiſſe ſufficiat. Is enim in bis mille milliaria (iuxta mẽſuram lineæ rectæ, iuxta obliquam enim lineam longe plura cõputarentur) extenditur ſubinde per ſcopulos atq; altiſſimas rupes perlabẽs, quo fit, vt frequenter ſpuma aut guttulæ inſtar pluuialium ob impetuoſum decurſum in ſuperficie aquæ cõſpiciantur. Hoc modo Nili vnda in tantum attenuatur, vt ſubtilis prorſus reddita omnem viſcoſitatem penitus deperdat, quam tamen Germaniæ atq; Galliæ fluuij retinent: quippe qui vt plurimum è locis amœniſſimis ſcaturiunt, ſolumq; pingue ac viſcoſum perluunt, quo fit etiam, vt neque impetuoſo ferantur curſu. Hanc veram eſſe & neruoſam cauſam, declarat aquæ ſupra citati fluminis Sennæ: quod ſi manibus lotricibus ad faciẽ atteratur,

tur ad instar smigmatis adhæresçit & admirando ferme modo omnes nævos & maculas eluit.

Cæterum & de aquarũ latitudine dicendum aliquid restat. Ac primo quidẽ, vt fluuij siue canales, de quibus hic sermo est, satis amplam habeãt latitudinem, id vel maxime requiritur. Sic enim naues cõmode possunt huc illuc moueri, sic inuicem sibi obuiantes cedere, violentasq; collisiones declinare possunt. Hoc tamẽ addendũ, ad hanc latitudinem necessario etiam requiri profunditatẽ. Hæc enim si desit, ad institutum nostrum minime quadrat, nec vllũ nauium vsum admittet latitudo absq; profunditate. Huius exẽplum præbet Plata fluuius, qui ob nimiam latitudinẽ, ob vagum alueum inæqualiter profundus est, quinetiam salebrosis rupibus & paruis insulis abundat. Hanc ob causam flumina in Hispania minus nauigijs frequentantur, quoniam lata est quidem eorum aluus, verum & plurimum salebrosa, proinde nauigijs minus sunt accommoda. Atq; hæc de fluuijs dicta sufficiant.

Cum itaq; aquarũ cõmoditas tantũ habeat momenti, ad cõciliandam in locum aliquẽ hominum multitudinẽ, cõsequens est, eas etiã vrbes esse præclarissimas, q̃ fluuios habẽt nauigabiles. Ac sane infinitus hic foret sermo, si de imensis cõmodis ac beneficijs dicerẽ, quæ vrbes ꝓpe mare aliosve fluuios nauigabiles sitę prẽstant. Nã ꝓter facilitatem exportandi atq; importãdi merces, accedit etiam opportunitas expugnandi hostes, itemq; delectabilis viuẽdi ratio prope mare ac flumina, & perennis fructuum velut scaturigo, quæ à mari in vrbem fluit. Hic enim situs lignea mœnia in portu aduersus

hostem habet, hic situs commune quasi forum orbis terrarū habet, hic situs amœnitatē maris & fertilitatē telluris affert, hic deniq; situs infinita bona ab exteris nationib. in vrbē vehit: Est ergo vrbs hoc situ fortior, & excellētior, amœnior est, est locupletior.

Cęterum ne quis existimet, data deportandi cōditione, statim seq; ipsum vrbis alicuius amplissimæ fundamentum atq; perfectionē tenendum est, aliquid amplius adhuc requiri. Necesse enim est, vt euidens aliqua subsit vtilitas, quę homines ad coalescendum alliciat, vt & supra dictū est. Sic vbi commoda aduehēdi deficit opportunitas, ibi etiam minus frequēs est incolarum numerus. Perspicuum id est in mōtibus, in quibus multæ quidē munitiones, nullæ tamen populosæ, cōspiciuntur. Cuius hæc est ratio, q̄ ea, quæ ad vitæ humanæ sustentationē sunt necessaria, nō nisi sumtuosis impēsis & maximo labore apportari possunt. Quid causę est, quod Fesula habitatoribus orba, Florētia vero eorum multitudine tantopere succreuit? Hęc nempe, quod Fesula loco sublimiori & fere inaccesso, Florentia vero in planitie adeoq; accessu facili, sita est. Eadē de causa quoq; ex Romanis ciuibus ijs, qui montem Auentinum incoluerunt, eo relicto in planitiem aut prope Tyberim sedes suas transtulere.

Vnde vero illud? quod etiam ijs in locis, vbi commodæ sunt rerum trasportandarū opportunitates, necdum tamen loca illa incolarū numero abundāt. Sic portus maritimi q̄ sunt Messinæ, multo præstāt ijs, qui sunt Neapoli. Duplo tamen maior est Neapolis, si multitudinem spectes, quam Messina. Portus maritimus qui est Carthaginæ, longe superior

est

eſt Genuenſi, Genua tamen celebritate, incolarum multitudine, omniumque rerum affluentia Carthagenæ longe præſtat. Ecquis vero vſpiam portus amœnior ampliorve eſt eo, qui eſt Catharo? Neque tamen vnquam locus hic ciuitate aliqua inſigniori illuſtris fuit.

Quid fluuiorum præſtantiam dicam? In Peru flumen Maragonne ſeſe explicat, cuius defluxus (mirabile relatu) ſex millia paruorum milliarium in longitudine continet, in latitudine plus ſexaginta milliaribus expãditur. ibidem Plata fluuius labitur, qui etſi longitudine fluctuationis Marragonnæ cedat, plus tamen aquarum in ſeſe recipit: cuius latitudo in eo, quo in freta flectitur, loco, plus minusve centum&quinquaginta paruis milliaribus extendi narratur. In noua Gallia viſitur flumen Canada: quod in latitudine vltra quinq; & triginta milliaria, in profunditate alibi ducentas vlnas complectitur. Africæ ſimiliter celeberrimi ſunt fluuij: Senega, Gambea, Coanza: quorum poſterior recenter in regno Angola inuentus eſt, & ea, qua effluit parte, plusquam 35. milliaria continet. Neque tamen omnium horum fluuiorum vllus accolarum multitudine eſt celeber. Ad Coanza fluuium viuunt in ſpelęis & cauorum arborum latibulis occultantur, in ſodalitio quaſi, cancrorum marinorum, locuſtarum, & id genus animalium, quæ crebra conſuetudine manſuefaciunt, & domant.

Aſiæ noti fluuij ſunt: Menan, qui ipſorum lingua, mater fluuiorum vocatur, & Meicon, qui vltra duo milliarium millia nauali itinere frequen-

tatur. Similiter fere se habent Gangis atq; Indus, vt &alij fluuij, qui aliquatenus accoluntur. Aliter vero se habet Obio fluuius, qui tametsi omnium eius regionis fluuiorum maximus, nulla ciuitatis alicuius amplioris conterminæ accolarumve celebritate & multitudine deprædicatur. Cumque ea parte, qua in mare Scythicum effunditur, plusquam octoginta milliaria in latitudine contineat, nondesunt, qui opinantur, mare Caspium in hunc fluuium effusum in mare magnum sese emittere.

His positis adhuc dubitatur. Cum dictum sit ex cõmoda oportunitate loci & deportationum conditione, magnitudinem vrbis esse metiendã, qui fiat, quod his conditionibus apparentibus, effectus non semper respondeat. Videmus enim multas vrbes, quæ tametsi dictis commoditatibus alijs minime cedunt, amplitudine tamen vrbium & ciuium ac negotiantium numero neutiquam sunt pares. Cuius ratio assignari potest, insufficiens nempe enumeratio requisitorum. Non enim sufficit commoda vltro citroque transportandi opportunitas; sed præter hanc etiam aliud aliquid peculiare requiritur, quod homines ad mutuam societatem contrahendam alliciat. De quo subsequenti libello fusius agetur.

IOAN.

IOANNIS BOTERI DE VRBIVM ORIGINE, MAGNITUDINE & splendore

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quarum rerum adminiculis effectum sit, locum aliquem inhabitari frequentius & qualiter hac in re sese gesserint Romani.

HACTENVS de opportuno locorum situ, de soli feracitate, de commoda mercium commeatuumve transportatione dictum est; quæ omnia ad incremẽtum ciuitatum summopere conducere arbitramur. Iam quod restat, de his etiam videbimus commoditatibus, quibus allecti homines, inconditis alioquin præditi moribus, flexiles, ac sibi ipsis cõsulere nescij, locum quempiam elegerunt, quem potius, quam alium incolere maluerunt. Romanos primum speciatim, deinde generatim cæteros populos cõsiderabimus.

Primũ ac præcipuũ medium, quo vsi primitus sunt Romani, hoc fuit: Asylũ, quod libertatis refugijque sedem appellauere, extruxerunt, omnibusque ad id confugientibus immunitatẽm concesserunt. Cum enim Romulus finitimorum tyrannorum ac principum in subditos sæuitam atq; ferociam animaduertisset, asylum hoc extruxit,

quo

quo ſane vulgi animos ad Romanam ciuitatem mirifice allexit, facileque populoſam reddidit. Innumera enim fugitiuorum aut bonis ſuis eiectorum multitudo hominum eo confluxit. Cæterum excreſcente virorum, in vrbe Romana, multitudine, cum mulierũ copia deficeret, Romulus miſſis per Hetruriam Sabinamq; legationibus, omni ſtudio dedit operam, quo finitimos populos & matrimoniorum iure ſibi deuinciret, & vrbis ſuæ populariumque atque aduenarum propagationi vna conſuleret. Cum vero illi vtramq; rem inimice inuidenterque negarent, quod ægre ferrent nouam vrbem in caput ipſorũ creſcere, eaq; ratione conarentur procreandis liberis obuiam ire; ſic artem arte luſit Romulus. Ludos ſe vouiſſe Neptuno cum ſimulaſſet, ad eos publice celebrãdos vicinas inuitauit vrbes, ſpectaculo publice indicto. Igitur plurimi eo cum mortales concurriſſent cum vxoribus ac nubilibus puellis, vbi tempus viſum eſt, dato ſigno iuſſit Romulus ab ijs, quibus demãdatum id fuerat, virgines rapi, quos poſt cõiuncta ſibi Herſilia, inter populares diſtribuit, celebratis ſolenni more nuptijs. Nam & ante nuptiarũ diem honeſtiſſime eas habendas curauit, & ipſe blande appellando, dum vim excuſat, ac prolis cupiditatem in cauſam vocat, prætexitq; honeſtum culpæ titulum, ſolari eas omni arte conatus eſt. Atque hæc ſunt imperij Romani principia; quamque prudenter à Romulo excogitatum ſit & actum, exitus ipſe ac tanti magnitudo imperij declarauit.

Eadem fere ratio hac noſtra tempeſtate Geneuen-

uensium ciuitatem tantopere adauxit, quippe qui omnibus passim Gallia atque Italia ob religionem eiectis hospitium præbuerunt. Huc referri potest vrbs illa Germaniæ (Francorum vallem dicunt) permissu Casimiri Comitis palatini nouiter extructa à Belgis, qui ob religionem patrijs sedibus eiecti fuerunt.

Comus dux magnus Toscanæ cum Portum Fetaio populis complere vellet; omnes exules patria sua propter commissa flagitia eiectos, facta sponsione libertatis suscepit, qua re ingentem hominum multitudinem collegit. Hunc postea secutus Franciscus Casimirus filius heres, Pisam & Liuornium inhabitari curauit. Illud vero, quod supra monui, diligenter est animaduertendum, neque Necessitatem, neque Vim aut Potentiam satis habere virium ad cõciliandam in locum aliquem incolarum multitudinem. Etenim populus in vnum locum coactus similis est semini traiecto in arua arenosa, in quibus ad matũritatem nunquam potest excrescere.

Vt autem de asylo aliquid adhuc attingamus: certum est immunitatem alicuius loci vel aliquã, ad conciliandam incolarum multitudinem maximum habere momentum. Hinc est quod ciuitates liberæ plerumque sunt populosiores ac fere ampliores, quam eæ, quæ principibus subsunt, etiamsi in cæteris vtrinque consentiant.

Porro alterum adminiculum, quo Roma accreuit, in eo est, ꝙ ciuitates bene meritas, postea Municipia vocatas, iure ciuitatis, priuilegijsque donarunt: & ad capessenda munia admiserunt.

Digni-

Dignitas enim magiſtratus, ius ciuitatis & priuilegiorum vrbis, omnes eos Romam compulit; quibus ſuffragia, fauores aut officia in Rempublicam collata ad dignitates & honores obtinendos ſpem aliquam inijciebant. Qui altiora ambire non audebant, minimum cognatos & amicos ad dignitatum faſtigia aſpirantes ſuffragijs, quoad licebat, iuuabant. Hinc illa Romanæ vrbis incrementa, hinc illa potentia & populo & opibus: quas mirum in modum auxerunt nobilitas alijque opulenti, quos quotidie magno agmine ad confluendum eo, iure ciuitatis donatos, Romanorum proceres illectabant.

Tertium adminiculum in eo ſitum fuit. Cum ingenium humanum nouis ſemper rebus inhiet, ijsque mirifice afficiatur, ſumma Romanis cura fuit, qui huiusmodi hominum cupiditatibus ſatisfacerent. Hunc in finem, ſubinde res nouas quæque admirationi eſſent viſentibus, ſtruxerunt atque inſtituerunt. Hinc illi ducum victorum triumphi magnificentiſſimi: hinc ſplendidiſſima illa ædificia: pugnæ nauales, palæſtræ, venationes peregrinarum ferarum, publica conuiuia, ludi Apollinares, ſeculares, alij, incredibili pompa & ſolennitate celebrati. Quo effectum eſt, vt dum hæc Romanorum opera atque exercitia, omnia ad ſpectantium animos oblectandos accommodata, hoc modo continuarentur, & è veſtigio ſeſe quaſi inuicem exciperent, ad vrbem Romam continue peregrini vndequaq; confluerent.

CAPVT

CAPVT II.

De coloniis Romanorum, quas Reipublicæ augendæ causa, ex vrbe in loca vicinora traducere interdum solebant:

QVID deniq; de colonijs sentiendum? fueruntne è re vrbis Romæ amplificandæ? Quod ad augendam vrbis magnitudinem & potentiam plurimum contulerint, nemo sanus (opinor) negabit: an vero per eas incolarum numerus creuerit, vehemens adhuc sub iudice lis est. Mea tamen fert opinio, neq; hic fuisse plane inutiles.

Videtur quidem per colonias alio translatas ciuium numerus nihil augeri, sed potius diminui: At contrarium nonnunquam contingere docebo. Quemadmodum enim in natiuo solo plantæ minus feliciter; translatæ vero vberius crescunt & multiplicantur: sic quoque humana proles intra patriæ mœnia viuens difficilius & alitur & propagatur. Iam enim peste, iam contagiosa lue correpta perit; iam fame compulsa patriam, ac patrios lares deserit, iam lectissimi & fortissimi quiq; externis bellis, aut intestinis seditionibus aut cadũt aut exulãt. Multos dira paupertas & rei familiaris angustia à matrimonio & prolis studio prorsum absterret. Qui itaque prædictis malis Romæ alioquin absorpti sine liberis decessissent, illi coloniarum beneficio periculis exemti, commodis habitationibus & agris fruentes animum ad suscipiendam & educandam sobolem adijciunt. Hinc sæpius adeo crescunt & multiplicantur, vt loco decem centum videas succedere.

At quorsum hæc, inquiat aliquis? Quomodo ablegati è patria, quam ciues adhuc augere non poterant, augebuntur alio translati? Procliue admodum. Primo enim coloniæ cum matre, à qua exierunt, vno quasi corpore coalescunt. Deinde amor patriæ, quo quisq; ducitur, & spes aliquando ad dignitates præ alijs ascendendi, aliaq; eiusmodi, tanti sunt momenti, vt ingenijs sublimioribus & nobilioribus, patriæ memoriam indesinẽter refricent: Hinc euidentissima & populo & opibus patriæ incremẽta emergunt. Anne enim quis negare ausit, quin triginta illis colonijs ex Alba Longa ceu de vna stirpe deductis, vt & alijs, Roma deductis, permagna vtriusque ciuitatis dedecori & potentiæ facta sit accessio. Cui vero insuper dubium esse potest, Portugalenses ab eo tempore, quo primum Lisabona egressi in insulas Astori, Capo Verde, Madera aliasque, vt eas inhabitarẽt ac colerent, maiorem ad vrbem Lisabonam accessionem feciſſe, quam si nunquam sedes suas in dictas insulas transtulissent.

Hic autem requiritur, vt & ipsa ratio monet, ne coloniæ matrem amplificaturæ ab ea longius deducantur. Nimia enim distantia patriæ amorem facilo extinguit, adeoque rerum communio plane refrigescit. Hac causa moti Romani, à primordio vrbis conditæ, nullas colonias extra Italiam intra septingentos annos deduxerunt: quas demum post tot annorum delapsum Carthaginem & Narbonam transtulerunt. Sed hic subsisto, cum superius in sexto libro, suo loco copiosius de his omnibus sit dictum.

Atque

Atque his præcipue medijs Romani potentia ac robore feliciter excreuerunt, peregrinosque ad se abripuerunt. Restat vt promissis satisfacturi videamus, quid hac in re alijs nationibus fuerit vsitatum. Initium autem de religione, quæ omniū rerum caput est, faciamus.

CAPVT III.

De religione fideiq; negotio.

TANTA est vis, tantaque necessitas religionis, vt procul dubio non tantum multos in sui amorem pertrahat, sed etiam multorum commerciorum dux & caput existat. Vrbes, vbi cultus religionis est floridior & præstantior, faciliorem quoque & illustriorem habent aditum ad potentiæ & gloriæ accessionem.

Hierusalem, vt tradit Plinius, fuit orientis vrbs antiquissima & florentissima, tam religionis Deique cultu, quam totius regni respectu, vtriusque enim metropolis erat. Hierosolymis viuebant summi pontifices, sacerdotes, Leuitæ: peragebantur ibi sacrificia: vouebanturDomino vota: omnis fere populus Israelis ibi quotannis ter conueniebat. Scribit Iosephus, Hierosolymæ, quando à Tito Vespasiano obsideretur, circiter vigesies quinquies centena millia hominum fuisse: Numerus sane immensus & ferme incredibilis, si vrbs ex ambitu, qui 4. milliaribus paulo fuit amplior, æstimetur. Sed credendum viro perito & scienti, quemque omnis occasio mendacia comminiscēdi defecit.

Ieroboam rex Israelis factus, mature perpendés, sine cultus diuini & sacrificiorum exercitio non diu staturum imperium, metuensque, ne populus Hierosolymam religionis & sacrificiorũ ergo confluens, cum Iuda reconciliatus in regis Israelitici necem conspiret, omissa vera religione idololatriã instituit. Cõflatis enim duobus aureis vitulis, & in fines regni Israelitici collocatis ãd multitudinem conuersus, *Satis*, inquit, *iam ascendistis Hierosolymã, En Dij tui Israel, qui te ascendere fecerunt de terra Aegypti.*

Magna itaque religionis vis est in amplificandis vrbibus, ditionibus, in illectandis peregrinis: quod cum Ieroboam cognitum haberet, vt tribus decẽ Israeliticas, quibus imperitabat, suo dominatui coerceret, veram religionẽ idololatrica permutauit. Hic suo scelere omnium primus dici meruit, qui cupiditate dominandi debitum honorem & cultum Dei magno cum dedecore missum fecit, posteritatique sic supplantatæ malo exemplo prælu-xit; non tam stultitiæ, quam extremæ impietatis nota insignis.

Non desunt, qui nimia sibi scientia in constituendis imperijs arrogata, gloriati, imo publicis scriptis docere audent, vtilius esse principi subditos recte coercituro humana ratione rem tentare, quã consilio diuino. At quos nulla verecundia, hæc vt ædstruant, tangit, sciant se præsentissimo veneno tanquam peste principes fallere, imperia & principatus corrumpere, orbem Christianum offendere, capitales esse ecclesiæ hostes, imo ipsius Dei, contra quem nouam turrim Babylonicam, vt de Gi-

ganti-

gantibus legitur, moliuntur, sed non sine confusione sui & pessimo interitu. Nam

Ipsorum facta atq; minas ridebit inanes
Qui super & cœlos & super astra sedet.

Attẽdite ô Principes Iesaiæ vaticinium de Pharaonis consiliarijs, *Sapientes*, inquit, *consiliarij Pharaonis insipiens dederunt consilium, deceperunt Aegyptum angulum populorum eius, Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.*

Quodsi liberum mihi esset, facile indice quasi digito monstrarem, quomodo plurimi ordines Christiani orbis hac preuaricatione & peccato cõciderint, ac se suosque ab auxilio & gratia Dei abalienantes, flagello iustitiæ diuinæ Turcos & gentes in sese sæpenumero armarint. Sufficiat hic admonuisse principes, qui præpostero illo gubernandi modo legem Dei quantum in se est, conculcant, ne vnquam ex memoria tristissimum magistri sui Ieroboami interitum abijciant, sed resipiscant, vt alieno cauti malo, periculis eximantur. Posteaquã enim execrandi regis execrandam impietatem nõ amplius ferret Deus, excitauit Baasan filiũ Ahiha, qui facta conspiratione Nadabum Ieroboami filiũ trucidauit, regnumq; occupauit pro eo. Factumq; est cum ipse regnaret, vt percuteret vniuersam domum Ieroboam, vt nihil spirans de Ieroboam faceret reliquum, donec deleret eum, iuxta verbum Domini. Sed progrediamur.

Religio cultusque diuinus, constansque diuini auxilij in loco aliquo vigentis opinio ad alliciendos illuc homines maximum habet momentum.

Belgicæ, Flãdria dictus, aquarũ commoditatibus atq; vſibus maxime gaudet. Sunt.n. ibi fluuij Scaldis, Moſella, Tenora, & Rura: quiq; trib. ramis diffluens in Rhenum effunditur. Hi totam illã regionem vndiq; circumfluentes, immẽſis opibus propter idoneã nauigationẽ, & incredibilem cõmerciorum frequentiã nobilitant. Hac vna re ſupradictis regionib. multo eſt inferior Italia. Italia enim in longitudinẽ protenditur, anguſtus vero eius latitudinis cõplexus montibus Apenninis in medio finditur: q̃ cauſa eſt, quod intempeſto curſu immoderate decurrant ibi flumina. Fluuiorũ Lõgobardicorũ cõmunis fere ſcaturigo eſt ex alpibus, vt ſunt Theſinũ, Adda Laber, Serio, & Adiga: vel ex Apenninis mõtibus, vt ſunt Tarro, Lenza, Panarus, Rhenus. Tam breuiuſculo autem feruntur curſu, vt torrẽtes potius, riuulive ſylueſtres, quã fluuij appellandi ſint: repente .n. in Padũ qui Apẽninum atq; Alpes interfluit, effunduntur. Exinde Solus Padus nauigabilis hanc regionẽ vniuerſam ꝑterlabitur ſecundũ longitudinẽ, atq; hac ratione nempe reliquorũ fluuiorũ alluuie excreſcit, & lõgitudine ſua, dum cæteros violento influxu illabẽtes excipit, intẽpeſtos eorũ curſus moderatur. Sciendum & hoc eſt, antedictos fluuios ob breuẽ decurſum, maxima cũ æſtuatione ſeſe in Padũ quandoq; euacuare, quorũ affluxu velociore vſq; adeo Padus excreſcit, vt etiam munitiſſimæ ciuitates in vicinia ſitę ſibi eius impetũ ſummopere metuant.

Verum flumina, q̃ intra Romanorum fines aliasq; Italiæ partes ex Apennino mõte inſtar torrentium ſylueſtriũ vtrinq; decidunt, recto curſu in Adriaticum Tyrrhenũve mare feruntur; vnde nulla

mora

mora ſiſtendi curſum ſuum ſubitum illis datur, quo fit vt nauigabiles nunquam efficiantur. Nauicularũ enim vſus, q̃ in Arno fluuio aut Tiberi exiguo admodum decurſu cernitur, nullius fere eſt momenti.

Cęterum plurimũ etiam confert ad ferẽda onera nauigiaq; transportãda ſpiſſitudo quaſi ac denſitas aquarum. Negari ſiquidem nõ poteſt, ad ferẽda onera fluuios alios alijs eſſe aptiores. Senna, Galliæ fluuius, mediocris amplitudinis, tãta ſuſtinet onera, vt qui nõ viderit, incredibile exiſtimet: certumq; eſt ac indubitatũ, nullum toto terrarum orbe inueniri fluuiũ, qui magnitudinis proportione huic correſpondens tanta ſufferre poſſit onera. Etſi enim mediocris duntaxat magnitudinis ſit, omnia tamen quibus Pariſiorũ vrbs ædificiorũ ſimul atq; inhabitantiũ numero ampliſſima atq; inſtructiſſima, opus habet, hoc mediante illuc inuehũtur apportãturq;.

Verum hoc loco non incommode quæri poſſet, quęnã cauſa ſit, q̃ ferẽdorum onerum in aquis diſpar ſit ratio: alię.n alijs ferunt maiora atq; grauiora. Nonnullis ea placet ſentẽtia; quod nimirũ eę aquæ multũ ex materia terrea habeãt admixtũ, per quam fluẽtes ſpiſſentur craſſæq; fiant. Sed horũ opinionẽ redarguit Nilus, qui tantũ materię terreę ac limoſæ ſecũ trahit, vt in S. Scriptura nõ niſi fluuius turbidus appelletur: quapp & vnda eius nõ eſt potabilis, niſi prius in ciſternis bene perpurgetur: adhęc humiditate ſua terrã nõ modo perfundit & humectat, ſed etia pinguedine ſua, inſtar culturæ fertilẽ facit, atq; excolit, neq; tamẽ fluuius hic quantumuis ampliſſimus, ad ſuſtinendũ inuecta vsqueadeo eſt accõmodus. Cui ſententię aſtipulatur etiam Plinius loquẽs de obeliſco ſub imperio Caij Romam delato.

Potius ergo dixerim requiri ad hanc rem aquæ viſcoſitatem magis, quam lutoſitatem. Illa enim quaſi conglutinatur atq; conſpiſſatur: & per conſequens ad ferenda onera fit aptior.

Vnde vero, (quęrat porro aliquis) hęc aquarũ diuerſitas oritur? Reſpõdetur, ex duabus cauſis eam prouenire. Primũ ex ipſa ſcaturigine, quando nimirum è loco pingui, putri ac viſcoſo ſcaturiẽs per locũ eiuſdẽ naturæ ac qualitatis decurrit. Fluuij enim naturam ſoli q̃ perfluunt, imitantur atq; ad ſe attrahunt, q̃ vbi fuerit pingue ac viſcoſum, etiam aqua perluens viſcoſa ac pinguis redditur, fereq; olei naturam induit. Hæc ergo viſcoſitas à decurſu aquæ, lentiore tamen atq; breuiore, exiſtit. Quodſi enim aquæ curſus fuerit concitatior, omnis viſcoſa materia diſſipatur, vndaque ſubtilis ac rara efficitur. Ad cuius comprobationem vel vnius Nili defluxum in exẽplum traxiſſe ſufficiat. Is enim in bis mille milliaria (iuxta mẽſuram lineæ rectæ, iuxta obliquam enim lineam longe plura cõputarentur) extenditur ſubinde per ſcopulos atq; altiſſimas rupes perlabẽs, quo fit, vt frequenter ſpuma aut guttulæ inſtar pluuialium ob impetuoſum decurſum in ſuperficie aquæ cõſpiciantur. Hoc modo Nili vnda in tantum attenuatur, vt ſubtilis prorſus reddita omnem viſcoſitatem penitus deperdat, quam tamen Germaniæ atq; Galliæ fluuij retinent: quippe qui vt plurimum è locis amœniſſimis ſcaturiunt, ſolumq; pingue ac viſcoſum perluunt, quo fit etiam, vt neque impetuoſo ferantur curſu. Hanc veram eſſe & neruoſam cauſam, declarat aquæ ſupra citati fluminis Sennæ: quod ſi manibus lotricibus ad faciẽ atteratur,

tur ad instar smigmatis adhæresçit & admirando ferme modo omnes nævos & maculas eluit.

Cæterum & de aquarũ latitudine dicendum aliquid restat. Ac primo quidẽ, vt fluuij siue canales, de quibus hic sermo est, satis amplam habeãt latitudinem, id vel maxime requiritur. Sic enim naues cõmode possunt huc illuc moueri, sic inuicem sibi obuiantes cedere, violentasq; collisiones declinare possunt. Hoc tamẽ addendũ, ad hanc latitudinem necessario etiam requiri profunditatẽ. Hæc enim si desit, ad institutum nostrum minime quadrat, nec vllũ nauium vsum admittet latitudo absq; profunditate. Huius exẽplum præbet Plata fluuius, qui ob nimiam latitudinẽ, ob vagum alueum inæqualiter profundus est, quinetiam salebrosis rupibus & paruis insulis abundat. Hanc ob causam flumina in Hispania minus nauigijs frequentantur, quoniam lata est quidem eorum aluus, verum & plurimum salebrosa, proinde nauigijs minus sunt accommoda. Atq; hæc de fluuijs dicta sufficiant.

Cum itaq; aquarũ cõmoditas tantũ habeat momenti, ad cõciliandam in locum aliquẽ hominum multitudinẽ, cõsequens est, eas etiã vrbes esse præclarissimas, q̃ fluuios habẽt nauigabiles. Ac sane infinitus hic foret sermo, si de imẽsis cõmodis ac beneficijs dicerẽ, quæ vrbes ꝑpe mare aliosve fluuios nauigabiles sitę prestant. Nã ꝑter facilitatem exportandi atq; importãdi merces, accedit etiam opportunitas expugnandi hostes, itemq; delectabilis viuẽdi ratio prope mare ac flumina, & perennis fructuum velut scaturigo, quæ à mari in vrbem fluit. Hic enim situs lignea mœnia in portu aduersus

hoſtem habet, hic ſitus commune quaſi forum orbis terrarū habet, hic ſitus amœnitatē maris & fertilitatē telluris affert, hic deniq; ſitus infinita bona ab exteris nationib. in vrbē vehit: Eſt ergo vrbs hoc ſitu fortior, & excellētior, amœnior eſt, eſt locupletior.

Cęterum ne quis exiſtimet, data deportandi cōditione, ſtatim ſeq; ipſum vrbis alicuius ampliſſimæ fundamentum atq; perfectionē tenendum eſt, aliquid amplius adhuc requiri. Neceſſe enim eſt, vt euidens aliqua ſubſit vtilitas, quę homines ad coaleſcendum alliciat, vt & ſupra dictū eſt. Sic vbi commoda aduehēdi deficit opportunitas, ibi etiam minus frequēs eſt incolarum numerus. Perſpicuum id eſt in mōtibus, in quibus multæ quidē munitiones, nullæ tamen populoſæ, cōſpiciuntur. Cuius hæc eſt ratio, q̄ ea, quæ ad vitæ humanæ ſuſtentationē ſunt neceſſaria, nō niſi ſumtuoſis impēſis & maximo labore apportari poſſunt. Quid cauſę eſt, quod Feſula habitatoribus orba, Florētia vero eorum multitudine tantopere ſuccreuit? Hęc nempe, quod Feſula loco ſublimiori & fere inacceſſo, Florentia vero in planitie adeoq; acceſſu facili, ſita eſt. Eadē de cauſa quoq; ex Romanis ciuibus ijs, qui montem Auentinum incoluerunt, eo relicto in planitiem aut prope Tyberim ſedes ſuas tranſtulere.

Vnde vero illud? quod etiam ijs in locis, vbi commodæ ſunt rerum trasportandarū opportunitates, necdum tamen loca illa incolarū numero abundāt. Sic portus maritimi q̄ ſunt Meſſinæ, multo præſtāt ijs, qui ſunt Neapoli. Duplo tamen maior eſt Neapolis, ſi multitudinem ſpectes, quam Meſſina. Portus maritimus qui eſt Carthagenæ, longe ſuperior

eſt

est Genuensi, Genua tamen celebritate, incolarum multitudine, omniumque rerum affluentia Carthagenæ longe præstat. Ecquis vero vspiam portus amœnior ampliorve est eo, qui est Catharo? Neque tamen vnquam locus hic ciuitate aliqua insigniori illustris fuit.

Quid fluuiorum præstantiam dicam? In Peru flumen Maragonne sese explicat, cuius defluxus (mirabile relatu) sex millia paruorum milliarium in longitudine continet, in latitudine plus sexaginta milliaribus expãditur. ibidem Plata fluuius labitur, qui etsi longitudine fluctuationis Marragonnæ cedat, plus tamen aquarum in sese recipit; cuius latitudo in eo, quo in freta flectitur, loco, plus minusve centum & quinquaginta paruis milliaribus extendi narratur. In noua Gallia visitur flumen Canada: quod in latitudine vltra quinq; & triginta milliaria, in profunditate alibi ducentas vlnas complectitur. Africæ similiter celeberrimi sunt fluuij: Senega, Gambea, Coanza: quorum posterior recenter in regno Angola inuentus est, & ea, qua effluit parte, plusquam 35. milliaria continet. Neque tamen omnium horum fluuiorum vllus accolarum multitudine est celeber. Ad Coanza fluuium viuunt in spelęis & cauorum arborum latibulis occultantur; in sodalitio quasi, cancrorum marinorum, locustarum, & id genus animalium, quæ crebra consuetudine mansuefaciunt, & domant.

Asiæ noti fluuij sunt: Menan, qui ipsorum lingua, mater fluuiorum vocatur, & Meicon, qui vltra duo milliarium millia nauali itinere frequen-

tatur. Similiter fere se habent Gangis atq; Indus, vt &alij fluuij, qui aliquatenus accoluntur. Aliter vero se habet Obio fluuius, qui tametsi omnium eius regionis fluuiorum maximus, nulla ciuitatis alicuius amplioris conterminæ accolarumve celebritate & multitudine deprædicatur. Cumque ea parte, qua in mare Scythicum effunditur, plusquam octoginta milliaria in latitudine contineat, nondesunt, qui opinantur, mare Caspium in hunc fluuium effusum in mare magnum sese emittere.

His positis adhuc dubitatur. Cum dictum sit ex cõmoda oportunitate loci & deportationum conditione, magnitudinem vrbis esse metiendã, qui fiat, quod his conditionibus apparentibus, effectus non semper respondeat. Videmus enim multas vrbes, quæ tametsi dictis commoditatibus alijs minime cedunt, amplitudine tamen vrbium & ciuium ac negotiantium numero neutiquam sunt pares. Cuius ratio assignari potest, insufficiens nempe enumeratio requisitorum. Non enim sufficit commoda vltro citroque transportandi opportunitas; sed præter hanc etiam aliud aliquid peculiare requiritur, quod homines ad mutuam societatem contrahendam alliciat. De quo subsequenti libello fusius agetur.

IOAN.

Digitized by Google

IOANNIS BOTERI DE VRBIVM ORIGINE, MAGNITUDINE & ſplendore

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quarum rerum adminiculis effectum ſit, locum aliquem inhabitari frequentius & qualiter hac in re ſeſe geſſerint Romani.

HACTENVS de opportuno locorum ſitu, de ſoli feracitate, de commoda mercium commeatuumve transportatione dictum eſt; quæ omnia ad incremẽtum ciuitatum ſummopere conducere arbitramur. Iam quod reſtat, de his etiam videbimus commoditatibus, quibus allecti homines, inconditis alioquin præditi moribus, flexiles, ac ſibi ipſis cõſulere neſcij, locum quempiam elegerunt, quem potius, quam alium incolere maluerunt. Romanos primum ſpeciatim, deinde generatim cæteros populos cõſiderabimus.

Primũ ac præcipuũ medium, quo vſi primitus ſunt Romani, hoc fuit: Aſylũ, quod libertatis refugijque ſedem appellauere, extruxerunt, omnibusque ad id confugientibus immunitatẽm conceſſerunt. Cum enim Romulus finitimorum tyrannorum ac principum in ſubditos ſæuitam atq; ferociam animaduertiſſet, aſylum hoc extruxit,

quo

uensium ciuitatem tantopere adauxit, quippe qui omnibus passim Gallia atque Italia ob religionem eiectis hospitium præbuerunt. Huc referri potest vrbs illa Germaniæ (Francorum vallem dicunt) permissu Casimiri Comitis palatini nouiter extructa à Belgis, qui ob religionem patrijs sedibus eiecti fuerunt.

Comus dux magnus Toscanæ cum Portum Fetaio populis complere vellet; omnes exules patria sua propter commissa flagitia eiectos, facta sponsione libertatis suscepit, qua re ingentem hominum multitudinem collegit. Hunc postea secutus Franciscus Casimirus filius heres, Pisam & Liuornium inhabitari curauit. Illud vero, quod supra monui, diligenter est animaduertendum, neque Necessitatem, neque Vim aut Potentiam satis habere virium ad cõciliandam in locum aliquem incolarum multitudinem. Etenim populus in vnum locum coactus similis est semini traiecto in arua arenosa, in quibus ad matũritatem nunquam potest excrescere.

Vt autem de asylo aliquid adhuc attingamus: certum est immunitatem alicuius loci vel aliquã, ad conciliandam incolarum multitudinem maximum habere momentum. Hinc est quod ciuitates liberæ plerumque sunt populosiores ac fere ampliores, quam eæ, quæ principibus subsunt, etiamsi in cæteris vtrinque consentiant.

Porro alterum adminiculum, quo Roma accreuit, in eo est, ꝙ ciuitates bene meritas, postea Municipia vocatas, iure ciuitatis, priuilegijsque donarunt: & ad capessenda munia admiserunt.

Digni-

Dignitas enim magiſtratus, ius ciuitatis & priuilegiorum vrbis, omnes eos Romam compulit, quibus ſuffragia, fauores aut officia in Rempublicam collata ad dignitates & honores obtinendos ſpem aliquam inijciebant. Qui altiora ambire non audebant, minimum cognatos & amicos ad dignitatum faſtigia aſpirantes ſuffragijs, quoad licebat, iuuabant. Hinc illa Romanæ vrbis incrementa, hinc illa potentia & populo & opibus: quas mirum in modum auxerunt nobilitas alijque opulenti, quos quotidie magno agmine ad confluendum eo, iure ciuitatis donatos, Romanorum proceres illectabant.

Tertium adminiculum in eo ſitum fuit. Cum ingenium humanum nouis ſemper rebus inhiet, ijsque mirifice afficiatur, ſumma Romanis cura fuit, qui huiusmodi hominum cupiditatibus ſatisfacerent. Hunc in finem, ſubinde res nouas quæque admirationi eſſent viſentibus, ſtruxerunt atque inſtituerunt. Hinc illi ducum victorum triumphi magnificentiſſimi: hinc ſplendidiſſima illa ædificia: pugnæ nauales, palæſtræ, venationes peregrinarum ferarum, publica conuiuia, ludi Apollinares, ſeculares, alij, incredibili pompa & ſolennitate celebrati. Quo effectum eſt, vt dum hæc Romanorum opera atque exercitia, omnia ad ſpectantium animos oblectandos accommodata, hoc modo continuarentur, & è veſtigio ſeſe quaſi inuicem exciperent, ad vrbem Romam continue peregrini vndequaq; confluerent.

CAPVT

CAPVT II.

De coloniis Romanorum, quas Reipublicæ augendæ causa, ex vrbe in loca vicinora traducere interdum solebant:

QVID deniq; de colonijs sentiendum? fueruntne è re vrbis Romæ amplificandæ? Quod ad augendam vrbis magnitudinem & potentiam plurimum contulerint, nemo sanus (opinor) negabit: an vero per eas incolarum numerus creuerit, vehemens adhuc sub iudice lis est. Mea tamen fert opinio, neq; hic fuisse plane inutiles.

Videtur quidem per colonias alio translatas ciuium numerus nihil augeri, sed potius diminui: At contrarium nonnunquam contingere docebo. Quemadmodum enim in natiuo solo plantæ minus feliciter; translatæ vero vberius crescunt & multiplicantur: sic quoque humana proles intra patriæ mœnia viuens difficilius & alitur & propagatur. Iam enim peste, iam contagiosa lue correpta perit; iam fame compulsa patriam, ac patrios lares deserit, iam lectissimi & fortissimi quiq; externis bellis, aut intestinis seditionibus aut cadũt aut exulãt. Multos dira paupertas & rei familiaris angustia à matrimonio & prolis studio prorsum absterret. Qui itaque prædictis malis Romæ alioquin absorpti sine liberis decessissent, illi coloniarum beneficio periculis exemti, commodis habitationibus & agris fruentes animum ad suscipiendam & educandam sobolem adijciunt. Hinc sæpius adeo crescunt & multiplicantur, vt loco decem centum videas succedere.

At

At quorsum hæc, inquiat aliquis? Quomodo ablegati è patria, quam ciues adhuc augere non poterant, augebuntur alio translati? Procliue admodum. Primo enim coloniæ cum matre, à qua exierunt, vno quasi corpore coalescunt. Deinde amor patriæ, quo quisq; ducitur, & spes aliquando ad dignitates præ alijs ascendendi, aliaq; eiusmodi, tanti sunt momenti, vt ingenijs sublimioribus & nobilioribus, patriæ memoriam indesinẽter refricent: Hinc euidentissima & populo & opibus patriæ incremẽta emergunt. Anne enim quis negare ausit, quin triginta illis colonijs ex Alba Longa ceu de vna stirpe deductis, vt & alijs, Roma deductis, permagna vtriusque ciuitatis dedecori & potentiæ facta sit accessio. Cui vero insuper dubium esse potest, Portugalenses ab eo tempore, quo primum Lisabona egressi in insulas Astori, Capo Verde, Madera aliasque, vt eas inhabitarẽt ac colerent, maiorem ad vrbem Lisabonam accessionem fecisse, quam si nunquam sedes suas in dictas insulas transtulissent.

Hic autem requiritur, vt & ipsa ratio monet, ne coloniæ matrem amplificaturæ ab ea longius deducantur. Nimia enim distantia patriæ amorem facile extinguit, adeoque rerum communio plane refrigescit. Hac causa moti Romani, à primordio vrbis conditæ, nullas colonias extra Italiam intra septingentos annos deduxerunt: quas demum post tot annorum delapsum Carthaginem & Narbonam transtulerunt. Sed hic subsisto, cum superius in sexto libro, suo loco copiosius de his omnibus sit dictum.

Atque

Atque his præcipue medijs Romani potentia ac robore feliciter excreuerunt, peregrinosque ad se abripuerunt. Restat vt promissis satisfacturi videamus, quid hac in re alijs nationibus fuerit vsitatum. Initium autem de religione, quæ omniũ rerum caput est, faciamus.

CAPVT III.

De religione fideiq; negotio.

TANTA est vis, tantaque necessitas religionis, vt procul dubio non tantum multos in sui amorem pertrahat, sed etiam multorum commerciorum dux & caput existat. Vrbes, vbi cultus religionis est floridior & præstantior, faciliorem quoque & illustriorem habent aditum ad potentiæ & gloriæ accessionem.

Hierusalem, vt tradit Plinius, fuit orientis vrbs antiquissima & florentissima, tam religionis Deique cultu, quam totius regni respectu, vtriusque enim metropolis erat. Hierosolymis viuebant, summi pontifices, sacerdotes, Leuitæ: peragebantur ibi sacrificia: vouebantur Domino vota: omnis fere populus Israelis ibi quotannis ter conueniebat. Scribit Iosephus, Hierosolymæ, quando à Tito Vespasiano obsideretur, circiter vigesies quinquies centena millia hominum fuisse: Numerus sane immensus & ferme incredibilis, si vrbs ex ambitu, qui 4. milliaribus paulo fuit amplior, æstimetur. Sed credendum viro perito & scienti, quemque omnis occasio mendacia comminiscẽdi defecit.

Ieroboam rex Israelis factus, mature perpendés, sine cultus diuini & sacrificiorum exercitio non diu staturum imperium, metuensque, ne populus Hierosolymam religionis & sacrificiorũ ergo confluens, cum Iuda reconciliatus in regis Israelitici necem conspiret, omissa vera religione idololatriã instituit. Cõflatis enim duobus aureis vitulis, & in fines regni Israelitici collocatis ád multitudinem conuersus, *Satis*, inquit, *iam ascendistis Hierosolymã, En Dij tui Israel, qui te ascendere fecerunt de terra Aegypti.*

Magna itaque religionis vis est in amplificandis vrbibus, ditionibus, in illectandis peregrinis: quod cum Ieroboam cognitum haberet, vt tribus decẽ Israeliticas, quibus imperitabat, suo dominatu coerceret, veram religionẽ idololatrica permutauit. Hic suo scelere omnium primus dici meruit, qui cupiditate dominandi debitum honorem & cultum Dei magno cum dedecore missum fecit, posteritatique sic supplantatæ malo exemplo prælu-xit, non tam stultitiæ, quam extremæ impietatis nota insignis.

Non desunt, qui nimia sibi scientia in constituendis imperijs arrogata, gloriati, imo publicis scriptis docere audent, vtilius esse principi subditos recte coercituro humana ratione rem tentare, quã consilio diuino. At quos nulla verecundia, hæc vt adstruant, tangit, sciant se præsentissimo veneno tãquam peste principes fallere, imperia & principatus corrumpere, orbem Christianum offendere, capitales esse ecclesiæ hostes, imo ipsius Dei, contrã quem nouam turrim Babylonicam, vt de Gi-

ganti-

gantibus legitur, moliuntur, sed non sine confusione sui & pessimo interitu. Nam

Ipsorum facta atq; minas ridebit inanes
Qui super & cœlos & super astra sedet.

Attẽdite ô Principes Iesaiæ vaticinium de Pharaonis consiliarijs, *Sapientes*, inquit, *consiliarij Pharaonis insipiens dederunt consilium, deceperunt Aegyptum angulum populorum eius, Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.*

Quodsi liberum mihi esset, facile indice quasi digito monstrarem, quomodo plurimi ordines Christiani orbis hac prauaricatione & peccato cõciderint, ac se suosque ab auxilio & gratia Dei abalienantes, flagello iustitiæ diuinæ Turcos & gentes in sese sæpenumero armarint. Sufficiat hic admonuisse principes, qui præpostero illo gubernandi modo legem Dei quantum in se est, conculcant, ne vnquam ex memoria tristissimum magistri sui Ieroboami interitum abijciant, sed resipiscant, vt alieno cauti malo, periculis eximantur. Posteaquã enim execrandi regis execrandam impietatem nõ amplius ferret Deus, excitauit Baasan filiũ Ahiha, qui facta conspiratione Nadabum Ieroboami filiũ trucidauit, regnumq; occupauit pro eo. Factumq; est cum ipse regnaret, vt percuteret vniuersam domum Ieroboam, vt nihil spirans de Ieroboam faceret reliquum, donec deleret eum, iuxta verbum Domini. Sed progrediamur.

Religio cultusque diuinus, constansque diuini auxilij in loco aliquo vigentis opinio ad alliciendos illuc homines maximum habet momentum.

Inſpice, & teſtes habebis locupletiſſimos Loretũ in Italia, D. Michaelem in Gallia, Guadalupen, Monſerratum & Brigantium in Hiſpania, quo quotidie magnus vndique eſt concurſus omnium nationum hominum vel longiſſime remotarum. Omitto iam ſolitudines, eremitarum tuguria aut ſpeluncas potius, quæ non minus ſingularibus animorum deuotionibus paſſim frequentantur.

Penitius autem rem introſpice & minus admirabilis videbitur. Quid enim maius, quid potentius, quid efficacius ad alliciendum & vi quaſi attrahendum ipſo ſummo bono, qui eſt Deus? Hic anxie deſideratur, indeſinenter expectatur & quæritur ab omnibus creaturis tam animatis quã inanimatis. Eum enim tanquam ſummum finem ad vnum omnes ſpectãt. Leuia ſummum hoc bonum ſupra in ſublimi quærunt: grauia infra in terra: Cœli, cõcaua ac orbiculari ſua periodo; naſcẽtia terræ, floribus & fructibus; animantia, ſpeciei conſeruatione; homo tranquillitatem conſcientiæ æternique gaudij quærendo.

Cum vero ſummum bonum ſua eſſentia tam ſublime ſit, vt ſub intelligentiam noſtram, tamq; lucidum, vt ſub oculorum ſenſum non cadat: quiuis eo ſe conuertit, vbi diuina potentia quoquo modo enitet, vires ſuas exerit, aut ſingulari auxilij ratione præſentem Deum declarat, in montes, in ſolitudines, aut aliquouis. Quid enim? Annon ſe in ſocietatem amplitatæ Romæ ingerunt martyrum ſanguis, reliquiæ ſanctorum? loca ſancta? & in diuinis ſuprema iudicandi poteſtas? Annon aſpera & inculta iacerent, niſi quotidie locorum ſanctitas

& re-

& religio infinitos homines ab extremitatib. mundi eo pertraheret? Annon deserta pateret, nisi sedes Apostolica, clauiumque potestas sede ibi fixa multa millia hominũ dulcedine sua delinita quotidiè eo abire cogeret? Mediolanum vrbs populosissima volens nolés testatur, quanta honoris laudisque decora sibi parta sint ex insigni pietate eximij illius cardinalis Borromei. Ab extremis mundi Septentrionalis plagis eo conuolabant principes, quinetiam quibuslibet subortis dissidijs Episcopi eius discretione ac iudicio vnice stabant. Et quid multis? Omnium nationum clero Mediolanum patria erat, domus diui tutelaris pro portu tutissimo: liberalitas eius pro tuto refugio: vita eius transacta pro nitidissimo speculo & exemplari habebatur, ad cuius formam omnes ecclesiæ essent componendæ.

Molestus forsitan lectori sim, si longior velim esse in decantanda laude, qua synodos coegerunt tam publice quam priuatim; vnam tertio quoque anno: alteram quotannis. Quot illi erexerunt tẽpla, quot collapsa refecerunt? quot nouis reditibus donarunt? quot eorum monasteria? quot studiosorum collegia, ex quibus tanquam ex equo Troiano tot presbyteri adeoque spirituales prodierunt? quot Academiæ maximo totius regionis bono apertæ? quot & quantæ artium artificumq; ac commerciorum laudatissimæ promotiones. Quod si, vt iterum dicam, tantum recensere velim, quo pacto vna cum propagandæ religionis studio fines vrbis Mediolani extenderint, in infinitum abiero. Itaque hæc omitto.

Sed proh dolor, paucæ admodum numero sunt hodie ciuitates aut principes, qui hoc nomine iure commendentur. Vbi.n. hodie Numa Pompilius, qui tot Romæ augurũ collegia? vbi Constantinus, qui tot sacra gymnasia struxit? vbi Theodosius, qui tot vectigalia? vbi Iustinianus, qui tot priuilegia dedit. O tempora! in quam ętatem mundi, in quos mores incidimus. Sed velum coloribus obduco meis, ne se multi nigro carbone in his tabulis notatos videant: illos innuo, qui spolijs ecclesiæ & sacrilegijs ditati, sacerdotibus victum, ecclesiæ censum, pauperibus, viduis & orbatis cibum, ignorantibus veritatis lucem, desperantibus salutis anchoram sustulerunt. Sed quid moror? Religio diuitias peperit, & filia deuorauit matrem. Non potest ergo non seges esse deinceps, vbi Troia fuit, Babelq; & confusio nimis superba excelsa & certo cõcidit.

CAPVT IV.

De studiosis & scholis.

PRIMVM, præcipue studiosos, in vrbes, quarum magnitudo nobis iam proposita est, adducit celebris & docta schola. Duo enim, si proprie loqui volumus sunt adminicula, quibus intelligentes fortesq; viri ad fastigia honorum perueniunt, Libri & Arma. Quorum illi in Academijs chartis & calamo, hæc in aperto campo gladijs & hastis tractantur.

Cum vero humanum genus duobus potissimũ ducatur, gloria & vtilitate: & vero liberalium artiũ quędam artes diuitias, quędam nominis existimationem

tionem adferant, est profecto, vt in vrbe, de qua hic loquimur, sit Academia talis, quæ studiosam iuuentutem certis propositis commoditatibus sui amore vehementius accendat, ita vt potissimum eo nomine à pluribus diligatur & seligatur, potiusque hanc quam aliam frequentare studiosa iuuentus malit Academiam. Id autem fit, cum ad scholæ & artium commoditatem peculiaria quædam & honesta priuilegia insuper accedunt. Honesta ideo dico, ne licentiam dent scelus scelere impune accumulandi, quod priuilegium turpitudinis dicunt: sed vt habeant ansam alacriter sine impedimento studijs inuigilandi.

Etenim magno cum labore omnis studiorum ratio est coniuncta & corporis & animi. Hinc veteribus Dea artium siue sapientiæ *Minerua* dicta est, quod animi meditationes & lucubrationes neruos imminuant, adeoque vires corporis incidant. Plerunque autem affecto corpore animus quoq; afficitur & turbatur. Æquum itaq; imo necessariũ est, vt studiosis honesta sint priuilegia, quibus animus lassus reficiatur, spiritus autẽ recreati maiore cum ardore ad studia denuo ferantur.

Non autem, vt ante memini, indulgenda est petulantiæ licentia: quæ tamen Academijs Italis vt conceditur, ita exercetur. Ibi calami in pugiones, & atramentaria in thecas pulueris bombardici abierũt: Disputationes in cruentas cœdes, scholæ in propugnacula pro lubitu quiduis audendi, academici autem in homicidas mutati sunt. Irrisui ibi habetur honestas, verecundia & castitas dedecori: adeo vt studiosus vere studiosi vitam ho-

neſtam nempe & modeſtam victurus nihilo plus efficiat, quam ſi ſeipſum in extrema pericula det præcipitem. Doleandum certe: ſed abrumpo querelas. Illud ſaltem dicam; fieri non poteſt, vt Academia vlla efflореſcat, aut iuſtam laudis maturitatem aſſequatur, niſi ab alea & armis, nocentiſſima vtraque peſte, radicitus ſit repurgata.

Franciſcus I. rex Galliæ, magno agmine Lutetiæ ſtudioſos cõfluere deprehendens, magna animi cura eo incubuit, qui ſtudioſis honeſtam pararet recreationem. Deſignatum eſt itaque ingens pratum prope vrbem ad aquam ſitum, vbi eſſet ſolitaria & iucunda à ſtudijs recreatio. Hic ſe exercebant, hic luctando, ille ſaltando; hic curſitando, ille pila ludendo, quibus non tam ſibi, quam alijs, qui ſpectatum aderant, oblectamento fuerunt. His conceſſis ſtrepitus armorum & teſſerarum cõticuit.

Porro etiam in loco Academijs deſtinato temperata & ſalutaris ſit aeris conſtitutio, amœnus ſitus, aquis, fontibus, ſyluis & campis vndique arridens. Fac enim deeſſe cætera, hæ ſolæ tamen ſtudioſos morantur. His omnibus inſignes olim erãt Athenæ & Rhodus: adeoque ſtudiorum ibi vegetiſſimus vigor.

Galeatius Vicecomes primus erat, qui Academiam Patauij celeberrimam redditurus animo ad prędictas amœnitates inprimis adiecto, edicto vetuit, ne quis è ſubditis ſtudiorum gratia alio ſe cõferret. Hoc ipſum nonnulli Italiæ principes ſunt ſecuti.

Verum magnam hoc parit diffidentiam & faſtidium.

dium. Optime autem vasalli retinentur, & peregrini inuitantur commoditatibus ad honestas animi recreationes, & commeatus abundantia: si insuper priuilegia sarta tecta cõseruentur, defensentur, vsurpentur: si ad quosuis studiorum honores aditus pateat: si eruditioribus certi ijq; honorifici tribuantur gradus: si vitæ bene actæ sua sint præmia, suus locus, & inprimis si copia sit professorum eruditorum. Non erubuit Pompeius Magnus scholas bene constitutas intrare: domita enim Oriente, scholam Rhodi, vt professores audiret profitentes, ingressus legitur. Sigismũdus rex Poloniæ grauissimis causis motus edixit, ne quis vasallorum suorum, extra regnum studiorum gratia vagaretur. Qui sic? ais. Ne videlicet dogmate illo, quod sub rege Sigismundo reuixit, & fere omnes septentrionales imbuit, incenderentur.

Cæterum Academias tollere artiumq; scholas prohibere, tyrannicum plane ac barbarum est. Sunt enim Academiæ & artes lumina & fontes sapientiæ, à quibus splendor & sapor virtutis in omnes partes Reip. fluunt; suntque insuper Academiæ velut Musarum orbes, & artes sidera in illis fixa: at nisi orbes suum motum, sidera suam lucem habeant, quæ vita rerum, quæ influctia erit? Præterea vt oculi sunt in corpore, ita Academiæ & artes sunt in ciuitate; atq; vt oculi omnia membra corporis, ita academiæ omnes Reip. partes illustrant. Quinetiam contra ius naturæ ac rationis est, Academias tollere, natura enim confusionem, ratio ignorantiam fugit, quæ tamẽ duo sub-

latis Academijs artiumque ſcholis ſequuntur neceſſario. Quæ enim cognitio rerum ſine arte, quis ordo ſine toga, quæ adminiſtratio ciuitatis ſine doctrina & ſapientia eſſe poteſt? Porro, quid magis licentiam morum, perturbationem rerum, barbaritatem plebis, tyrannidem principis gignit, quam bonarum literarum naufragium & caſus? Sic truculenti olim carnifices Athenas (faſtum totius Græciæ, ſydera & lumen) penitus extinxerunt. Sic Iulianus funeſtus apoſtata Chriſtianorum gymnaſia ſuſtulit, artiumq; profeſſoribus ſilentium iuſſit. Sic in Hungaria alijsq; eximijs mũdi partibus (quas Mahometes vicit) Academiæ, ſcholæ & artes immanitate oppreſſæ iacent. Norunt enim crudelitatis monſtra, Palladem & tyrannidem, amorem artis & Martis furorem, ſapientiæ lumen & ignorantiam, ſtudium virtutis & odium ciuitatis ſimul cohabitare non poſſe. Multa hic alia ſe offerunt argumenta, quibus probetur hæc cauſa, ſed infinitum eſſet omnia, quæ velim, de re tanta ſcribere, pauca tamen hæc addam, ſi non ſim moleſtus, nempe à tempore, à teſtimonio, ab exemplo. Cõſtat enim omnes ſciẽtias poſt diluuium columnis lapideis inſculptas poſteris apparuiſſe; conſtat Deum ſolem, lunam, aliaque cæli lumina, dediſſe in ſigna temporum, probabile ergo eſt primam ætatem honoraſſe Aſtronomiam; conſtat Tubalem Adami filium inueniſſe Muſicam; conſtat Chaldæos in omni arte fuiſſe inſtructiſſimos. Nihil hic dicam de Moyſe alijsque gubernatoribus filiorum Iſrael, qui omni ſcientia Chaldæorum ac Ægyptiorum fue-

runt

runt imbuti: nihil hic de Samuele cæterisq; Prophetis, qui Rama Gilead sua collegia & Academiam habuerũt. Nihil hic de Paulo, qui disputando sæpe in schola cuiusdã Philosophi nomine Tyranni, adeoq; Athenis nõ contemsisse sed approbasse venerabile nomen Academie videtur. Nihil de Constantino, Theodosio alijsq; vere augustis imperatoribus, qui scholas, collegia, Academias magnifice extruendo, Ecclesiam Christi plurimum propagarunt, omnesq; adeo ætates hominum Academias & artes approbarunt. Cæterum rationes à testimonio & exemplis tacitus hic nũc prætereo, nam adhuc hodie vbique florent Academiæ, viuunt doctissimorum hominum ingenia, monumenta maiorum palam & aperte hanc rem loquuntur, plenæ historiæ, annales pleni sunt illorum laudibus, quas malitia nulla delebit, ætas nulla conticescet. Sed breuitati studeo, aliter potuissem hic quidem vrgere, quod nihil magis barbaritatem, vim, perfidiam, licentiam vitæ, hæresim, atheismum & confusionem omnium parit, quam scholarum & Academiarum defectio. Si ergo iusti, si pij ac religiosi velint esse principes, non tollere sed fouere, non euertere sed conseruare debent Academias, in quibus splendor regis, honor ciuitatis, amor virtutis, omnium bonorum sapor ac influentia inest: pernicioſa ergo vox ista est & plane tyrannica: Tollantur scholæ, tollantur Academiæ. Imo oraculum hoc sit: Viuant scholæ, viuant Athenæ, artes ac scientiæ, quæ sunt radij diuinæ sapientiæ, ad gloriam beatæ triadis

in sem-

in sempiternum viuant. Pius est, qui assentitur, improbus, qui Amen non acclamat.

CAPVT V.

De loco tribunali.

OMNIS vitæ nostræ, famæ ac fortunarum salus in arbitrio iudicis sita est. Cũ enim dilectio in hominum animis vbique deferbuerit inq; eius locum malitia ac proteruia fere succesſerit, male sane nobiscum ageretur, nisi spem in æquanimitate iudicis repositam haberemus. Hinc vrbes in quibus grauissimi, prudentissimi ac iustissimi senes tribunali insident, qui ad sedem sine pompa, ad causam sine fraude, ad sententiam sine motu & ardore animi accedunt, plus & frequentantur & inhabitantur non tam frequentia litigantium, quam etiam eorum, qui clauum imperij tenent, quo referuntur præsides, consiliarij, aduocati, procuratores, solicitatores, Notarij. Memorabile autẽ est non quidem ad imitationem sed ad execrationem, quod sola præsens pecunia processum iuris hodie, proh dolor, expedite absoluit: nihilque adeo in toto terrarum orbe inuenias, quod ad incitatiorem cursum concitet quam argentum currens. Non tam ad se ferrum Magnes attrahit, quam aurum oculos iudicum inflectit. Cuius hęc censetur ratio, quoniam aurum ratione valoris atque facilitatis acquirendi, dignitates & commoditates omnesque fortunas in se complectitur. Summatim: Qui ęre abundat (ne quid grauius dicam) omnia mundana possidet.

Hinc

Hinc ſumma illa tribunalia, quę primitus quidē ad hoc ſunt conſtituta, vt caſus quida reſeruati tam criminalium quam ciuilium earumq; grauiorum cauſarum inibi decidantur, id quod etiam Dominus ad Moyſen loquitur Exod. cap. 18. *Proundeas*, inquiens, *de plebe viros prudentes & timentes Dominum, in quibus eſt veritas, & qui oderunt auaritiam, & conſtitue ex eis tribunal & centuriones &c. quicquid autem maius fuerit, referent ad te, & minora iudicabunt.* Tum vero etiam, vt ad hæc tanquam aſyla, à corruptis, indoctis maleque affectis iudicibus confugiatur, vt ibi corruptæ aliorum iudicum ſententiæ aut reuocentur, aut moderatione quapiam leniantur. Sed & hæc hodie vbiq; fere priuata commoda redolent.

Vbiq; fere locorum hæc ita obſeruantur, potiſſimum, vbi cauſæ forenſes ex iure cōmuni deciduntur: hic enim proceſſus longius extenditur pluresq; miniſtros requirit. In Anglia, Scotia, præcipue autem in Turcia, vbi admodum breuis & ſtricta eſt iuris via, ac iudex in vno tanquam veſtigio inſiſtens, ſuper lite deducta ſententiam profert, parum proficitur ad amplificandam vrbem. Cauſæ enim, quantumuis arduæ & ſublimes, intra dimidium diem, modo adſint probati & ſufficientes teſtes, abſoluuntur, præciduntur ibi longiores termini: nihil valent inſtrumenta, nihil proceſſus, nihil præfecti. Pauca admodum ſuſcipiuntur, quæ non quamprimum finiantur; Breuius hic adhibetur tempus, minores ſumtus, pauciores lureconſulti, quam in iure ciuili Romanorum. Hæc vero nō eo à me dicuntur, quod velim

iudi-

iudicia differenda, terminosq; dilatandos. Qui enim longiores quærunt exceptiones dilatorias, vbique prætendentes periculum, ne videlicet cui iniuria adferatur, non possunt quin sint iniqui. Nostra itaque vrbs, de qua in præsenti loquimur, summum tribunal, & pro eo actiones iuris & iustitiæ executionem, requirit.

CAPVT VI.

De eruditione.

SVPRA lib. 8. vbi sermo erat de amplificandis ditionibus, prolixe egimus de artib. & eruditione humana, de variis commercijs & negotijs, quæ in ciuitatibus ac regnis vigent: Eo itaq; beneuolus lector brevitatis studio esto remissus.

CAPVT VII.

De priuilegijs.

HAc nostra tempestate subditi à principibus auaritiæ immersis, aut alia necessitate vrgente, adacti ita premuntur, vt vel minimam spem qualiscunq; immunitatis ambabus, quod aiunt, amplexari gaudeant. Videre hoc est ex mercatib. & nundinis, quas cateruatim mercatores, institores, propolæ &c. frequentant, solum eo, quod oneribus carent. Inspiciantur hodierna Neapolis incrementa & ædificijs & populo: vnde vero illa tanta tamq; egregia? ex solis priuilegijs, quib. ciues gaudent. Quid

quod

quod maioribus finibus amplificata esset, nisi peculiaribus rationibus, potissimum quod viciniæ incolis destituerentur magna cum principũ querela, rex Hispaniæ graui edicto vetuisset, ne quis nouas ædes ibi extrueret.

Ciuitates Flandrię commercijs celebertimæ in tota Europa fuerunt: ratio præcipua sita est in priuilegijs & immunitatibus à vectigalibus, perexiguum enim vectigal de commercijs pendunt.

Non infrequens fuit ijs, qui vrbes aut extruxerunt, aut inhabitandas dederunt, præclaris priuilegijs eas, aut minimum primos incolas donare. Secuti hoc sunt, qui vrbes vacuas, aut peste exhaustas, aut Marte vastatas aliove Dei flagello exinanitas restaurarunt. Pestis quę teste Bocatio, in Italia ad triennium grassata est, adeo sæuijt, vt à Martio vsq; ad Iulium Florentiæ circiter centum millia é medio sublata peremerit: Venetijs tot ceciderant, vt vrbs fere desolata staret. Vnde effectum est, vt senatus necessum haberet nouos incolas adscisere: quos publico Senatusconsulto iure ciuitatis omnes donabat, qui cum familia eo migrarent, bienniumq; ibi cõmorarentur. Porro eadem Venetiana Respublica aliquoties ab extremis periculis famis ac inopiæ vindicata est, dum eos, qui frumenta aduehebant, priuilegijs donabant.

CAPVT VIII.

Certa commercia sunt tractanda, neq; temere abiicienda.

Popu-

PRopvlosissimam vrbem reddunt certa commercia, & eorundem diligẽs ſtudium: id quod maxime florere poteſt, cum patrium ſolum illas merces aut omnes, aut maximam partem, aut ſane potiſſimas gignit, aut cum nullibi copioſior aut præſtantior inueniri poteſt. Sic ſola inſula Molucca profert caryophyllum, Sabæa thus, Palæſtina balſamum. Plurimum piper fert Calecutia: Zeilan cynamonum; atq; alia alibi. Præſtantiſſimum ſal generatur in Cypro, ſaccarum in Madera, lana in quibuſdam ciuitatibus Hiſpaniæ & Angliæ. Huc accedit præſtantia artium, quarum exercitationes aut ratione aquarum, aut ſtudij in ijs collocati, aut reconditæ & abſtruſæ ſcientiæ, quam ſoli incolę callent, hic quam illic vt frequentiores ſunt ſic meliores. Sic optima arma ſuppeditat Damaſcus & Scyras: elaboratiſſima aulæa Arazzus: holoſericum Genua; aureas texturas Mediolanum, & ſi quæ ſunt alibi alia elaboratiora.

Non hic ſicco, quod aiunt, pede prætereundum, cõmercia, mechanicas, artesq; fere omnes omnium optime in China florere: idq; multis de cauſis, quarum hæ apprime notandæ. More receptum eſt apud Sinaitas, vt filij eaſdem artes, quas parens, addiſcant & profiteantur. Hinc quaſi cum lacte materno paternas artes & commercia imbibunt: non eſt quod parens eos celet, quin paterna affectione inſtruit, informat, nulli neq; diligentiæ neque labori parcens. Hinc omnes artes artiumque opera tantam aſſequuntur perfectionem, vt nihil quod in ijs deſideretur, inueni-

re li-

re liceat. Probant hoc labores, qui è China in insulas Philippinas, & hinc Mexicum, tandem vero Seuiliam aduehuntur. Sed procedamus.

Sunt etiam nonnullæ vrbes, in quarum potestate certæ merces versantur: non quidem quod sua ipsorum tellus illas effundat, aut ab incolis elaborentur: sed quod dominantur aut finitimis locis ac regionib. vt, Seuilia, quo immẽsæ opes ex noua Hispania & Peru aduehuntur, aut mari, vt Lisabona, qua nemo præteruehi potest nisi Lisabonensium saluo conductu & venia. Hac ratione piper Cocinense & cynamomum Zeylanense aliasque opes Indicas sibi vindicarunt. Eodem modo ante annos nonaginta Venetiani aromatum commercia fere prorsus ad se pertraxerunt. Hæc enim (antequam Indiam occuparent Portugalenses) trans mare Suezam & hinc camelis Cayrum Niloque Alexandriam asportabantur. Eo suas triremes Venetiani amandabant aduecta aromata coemtum, quæ deinde non sine maximo lucro Europæis passim vendebant,

Verum illa commercia hodie plane in Lisabonenses deriuata sunt. Eo quotannis (in Lisabonam nempe) noua via nuper adinuenta ingressi Portugalenses aromata, Turcis & Æthiopibus quasi ademta, diuendunt Hispanis, Anglis, omnibusque septentrionalibus. Tam autem fructuosum hoc est commercium, solum vt sufficeret dotandæ Portugalliæ.

Sunt & aliæ vrbes, quæ omnes fere negotiationes, pluribus nationibus perutiles ad se ptrahunt, vnde pro emporijs vulgo habentur. Tales sunt in

oriente Malacca & Ormus:in mari mediterraneo Alexandria, Conſtantinopolis, Meſſina, Genua: in mari ſeptentrionali Antuerpia, Amſterodamũ, Dantiſcum, Nerua: in Germania Francofortum ad Mœnum, & Norimberga. In his alijsq; plurib⁹ multi opulentiſſimi mercatores ſua cõmercia exercent, emporia conſtituunt: quo finitimi deinde ſe conferunt, non tam quod ibi cuncta venalia proſtent, ſed quod vectura cõmoda habeatur. Eiuſmodi occaſiones habẽtur, vbi magni ſunt portus, vbi flumina nauigabilia aut vrbem perfluunt aut præterfluunt: vbi ſtagna ſunt, alueiq; alio trãſlati: vbi viæ & planæ & tutæ. Quoniã vero hic mentio incidit viarum publicarum, non poſſum p̃terire duas illas vias, quas reges Cuſci, (ſuo idiomate Inghe vocant,) per ſuam ditionem decuſſatim patefecerunt. Protenduntur ad duo millia milliaria parua, amœnitate ſua, cõmoditate, planitie tam inſignes, vt nihil vijs Romanorum in hiſtorijs celebratis concedant. Videas ibi montes, vti & valles, planitiem olim impedientes nunc æquatos, altiora ſaxa petrasq; diſcuſſas. Videas ibi arbores vtrinq; tanquam ad amuſſim ſitas, magna cum oblectamento eorum, qui iter illac faciunt. Vmbra earum dulcisq; auium concentus viatores mire afficit. Videas ibi plurima diuerſoria in quibus pro hoſpitantibus beneuola & parata nõ deſunt palatia, lautaq; ædificia, quæ decore ſuo oẽs in admirationem conuertunt. Videas ibi amœniſſima oppida, vicos, ſuauiſſima tempe, aliaque infinita, quę varijs colorum pigmẽtis oculos gratiſſime paſcunt, ac naturæ varietate artisque addi-

tamen-

Digitized by Google

tamentis incredibili iucunditate animum ſpectatoris afficiunt & perfundunt.

Cæterum maximum in eo ſitum eſt momentum, vt princeps regionis ſuæ ingenium, ſitum & naturam teneat: ſic enim naturæ iniquitatẽ commodius tollet. Sic boni principis eſt, vt exemplis declarem, portus munire, vallis aggeribusq; obfirmare, commoditates mercium exportandarũ & importandarum parare, mare à piratis repurgare, flumina nauigabilia reddere, commoda & apta emporia extruere, vias munire tã eas, quæ ad montes, quam quæ per campi planitiem vergunt.

Ex hoc magnam laudem Sinaitarum reges captarunt. Incredibili enim ſumtu regni ſui vias lapidibus ſtruunt, maximosq; fluuios pontibus coniungunt, editiores mõtes & ſaxa perfringunt, planitiemq; lapidibus inſtruunt: quo ipſo tam æſtate quam hyeme equiti iuxta ac pediti facilimum præbent tranſitum.

Hoc in genere grauiſſime quidam Italiæ principes errant, quorum viæ adeo inæquales & iniquæ ſunt, vt profunditate luti non raro equi & carri impediti immergantur. Hinc mercimonia difficilime eo transferuntur, & viatores intra triduum minus viæ ſpatium quam alibi vno die conficiunt. Idem videmus in Gallia multis in locis, ad Auguſtoritũ præcipue, in Xantogia, in Beatiſſia, in Burgundia & alibi. Sed ſufficiant hæc: non enim eſt noſtri inſtituti de celeberrimis illis regionibus iudicium ferre.

CAPVT IX.

De iurisdictionis loco.

INSVPER etiam populosa vrbs efficitur suprema iurisdictione: hæc enim homines loco illi quasi adstrictos raro discedere sinit: hanc magnus litigantiũ concursus appetit, vnde ciuitas facile ciuibus abundare potest. In vrbibus, vbi summa est iurisdictio, peculiaribus rationibus tam publicę quam priuatæ opes coguntur. Ibi conueniunt principum, ducum, ciuitatum & Rerumpub. legati: ibi causæ grauissimæ disceptantur & finiuntur: eo diriguntur appellationes: ibi negocia tam publica quam priuata transiguntur: eo ditionis prouentus conferuntur, & necessitate vrgente expenduntur, opulentioresq; exterarum vrbium ciues amicitias & sedes ibi quærunt.

Hinc non potest non sequi pecuniarum abundantia: quæ per se tanquam inescat mercatores, negotiatores, aliosq; quos ex locis longe distantibus allectat. Exinde ciuitates pro ratione iurisdictionis indies ædificijs, multitudine ciuium, opibus &c. splendidiores exurgunt.

Horum veritatem arguunt omnes vrbes, in quibus celebris fuit iurisdictio, Pisa, Sena, Genua, Luca, Florentia, Brescia: quarum ditiones centum longæ, & 40. milliaria latæ sinu suo complectuntur & coercent non tantum fertilissimos agros, sed etiam vberrimas valles, multas vrbes, castella, infinitaque loca, vbi circiter millia ædificia intueri licet, summatim vero sexcenta mil-

Digitized by Google

millia hominum affatim alunt. His annumerari possunt multæ liberæ imperiales vrbes Germaniæ, Norimberga, Lubeca, Augusta Vindelicorum.

Gandaui in Flandria, magno illo vexillo aliquando erecto, circiter centum millia bellicosorum numerata fuerunt.

Nihil iam dicam de Sparta, Carthagine, Roma, Venetijs, quarum incrementa vbiq; pro ratione iurisdictionis cóspicua fuerunt. Carthago, vt cæteras omittam, in summo potentiæ gradu constituta ambitu suo 24. parua milliaria continuit, Roma 50. præter suburbia, quæ tantæ fuerunt magnitudinis, vt vna parte ad Hostiam, altera ad Otricolim porrigerentur. Sed dilabamur ad alia, quæ de principis sede agunt.

CAPVT X.

De nobilium sede & habitationibus.

PLERÆQVE Italiæ vrbes augustiores & maiores sunt vrbibus Galliæ aut reliquę Europę, idq; quoniam nobiles Italiæ, vrbes inhabitant, Galli autem suis castellis, quæ ad instar palatiorum exædificata aquis & muris circundata editioribusq; turribus ita obfirmata sunt, vt facile improuisam hostium irruptionem & sustinere & arcere queant.

Etsi vero nobiles quoq; Italiæ, pagos incolãt, potissimum iuxta Florentiam, Venetias & Genuam, vbi tam splendida ac magnifica visuntur ædificia, vt etiam regnis, nedũ ciuitatib. aut oppidis

maximum ſint allatura ornamẽtum, Gallia tamẽ ſumtuoſioribus, auguſtioribus & frequentioribus nitet. Italus enim & ſumtum & induſtriam bipartitus, & vrbibus & pagis delectatur, plus tamen vrbibus. At Gallus vrbana ſorte ſpreta, rure magis delectatur, facile contentus quacunq; ſorte, modo ſibi ædes & hoſpitia ſua ſalua conſtent. Experientia autem ſatis ſuperque docet, vrbes à nobilibus inhabitatas fieri & ſplendidiores & populoſiores: non tam quod ipſimet ſua familia incolarum numerum adaugẽt, quam quod in conferenda liberalitate, quam in conſpectu aliorũ nobilium exercent; dum alter vbiq; alteri in expendendo ſuperior videri cupit, ſunt largiores; quo fit vt multi, qui emolumentum aut beneficiũ quodvis ab ipſis ſperant, gratiam ac beneuolẽtiam eorum modis omnibus cõciliare nitantur. Cũ contra nobiles ij, qui in rure victitantes, quibus cum magnificis eiuſmodi largitionibus decertent, aut quorum admirationem aucupentur, non habeant, quin ſordidulo etiam ac lacero veſtitu inter ruſticos incedere quandoq; minime morantur.

Cæterum & hoc addendum, quod vrbes, quo à pluribus inhabitantur nobilibus viris, eo ſplendidioribus atq; amplioribus nobilitãtur ædificijs: quinetiam omnis generis artes & mechaniçæ magis tum florent, ſemper ad ſuperiorẽ perfectionẽ aſpirantes. Atq; hanc ob cauſam Ingha, id eſt, rex Peruanus regiam vrbem Cuſco amplificaturus publico edicto non tantum omnes nobiles in vrbem coegit, ſed etiam vt quiuis ſibi pararet palatium, quod inhabitaret, mandauit. Quod quidem

anſam

ansam præbuit, vt dum quisque deinceps magnificentia ac splendore ædificij eminere studeret, breui tempore vrbs ædificijs fere regijs conspicua eniteret. Secuti sunt eum in hoc nonnulli duces Lombardiæ. Tigranes rex Armeniæ posita maxima vrbe Tigranocerta, plurimos nobiles aliosq; auctoritate & opibus insignes lares suos eo transferre coegit: quid quod bona omnia quæ in vrbem non illata ab ipsis essent, confiscata esse voluit?

Sic Venetiæ ex paruis incunabulis ad tanta potentiæ & rerum fastigia peruenerunt. Qui enim ex finitimis locis confugiẽdo in paruam insulam, vbi admiranda structura iam sitæ sunt Venetiæ, se receperunt, omnes & nobiles & opulenti fuernnt omniaque sua bona eo comportarunt. Quorum beneficio postea per maris opportunitates rei nauticæ studiosiores varijs negotiationibus admodum exiguo spatio continentes insulas ad se pertraxerunt; situmq; Venetiarum suis diuitijs & thesauris adeo ampliarunt, vt nunc totius terrarum orbis animum in summam sui admirationem rapiant.

CAPVT XI.

De sede principis.

QVM necesse sit, vt in quauis regione vrbs vna cæteris sit illustrior & excellentior, ad quam tanquam ad vnum euportorium & theatrũ honoris

causa tota regio fluat; quæ quidem vrbs totius regionis veluti cor & centrum esse debet, à quo reliquæ partes ac membra vitam & lumen habeant; si huius ornatum spectes, augustissima; si mœnia, fortissima; si vtilitatem, rerum omnium varietate refertissima; si ciuium numerum, ordinem, splendorem, omnium populosissima, iustissima, magnificentissimaq; esse debet. Hãc ipsam principis sedem esse conuenit, ad cuius maiestatem & honorem excelsa palatia, honorifica tribunalia, altissimæ turres, munitissima castella, populi magna frequentia, aliaq; pene infinita requiruntur. Non capit Augustum Mantua, Roma capit. Imo absurdum est & penitus indecorum, vt nobiles sub cespite & fumoso tugurio viuerẽt: locus enim vt homo suam maiestatẽ habet. Sic Roma in Italia, Lutetia in Gallia, Londinũ in Anglia, in omni deniq; regione ac gente vnã primariam vrbem inuenies, in qua Regia solis (vt ita loquar) splendet. Vrbs ergo necessario requiritur, in qua princeps, proceres, iudices hisq; obedientes ciues vna viuat, & ad quam tanquã ad asylum iustitiæ, reliquæ omnes regionis partes vrgẽte necessitate veniant, in qua controuersiæ decidantur, in qua principum, procerum ac dynastarum conuentus habeantur, in qua exteri legati audiantur, in qua functiones, munera atq; honores petãtur, in qua deniq; omnium totius regionis oppidorum prouentus tanquam in thesaurario ad vsus publicos æque ac priuatos, prout fert necessitas, asseruentur & recondantur, quibus sane rebus vrbes mirifice excrescunt atq; augentur.

Asseris

Asserit hoc vrbs quæque celeberrima. Reges Ægypti, regni vetustissimi, partim Thebis, partim Memphi degerunt: vnde vtraque ciuitas mirifice est exculta. Vrbs enim Thebæ (quam poetarum more Homerus ἑκατόμπυλον, id est, centiportam vocat) ambitu suo 17. milliaria parua continebat, si Diodoro credimus, & publicis & priuatis ædificijs excultissima, satisque populosa. Hanc æquauit Memphis. Succedentibus regibus (qui Ptolomæi dicebantur) aula mutata sedem præbuit Alexandria: quæ exinde populo, ædificijs, opibus venerandaque auctoritate in immensum excreuit. Duæ autem prædictæ vrbes (regnum primo obtinentibus Chaldæis, postmodum vero Persis) pristino decore amisso fere sunt deuastatæ.

Sultani reprobata Alexandria Cayri consederunt: quod ex subito incremento Magnum cognominatur. Id quod ansam Sultanis præbuit, vt metuentes multitudinis factiones vndique vrbem latis & profundis fossis distinguerent: adeo vt non tam figuram vnius vrbis quam multarum inuicem adiacentium repræsentaret. Hodie in tres vrbes distincta est, paruo milliari à se inuicem distantes, quarum nomina sunt: Bulacco, Cayrum vetus, & Cayrum nouum. Fama est, sedecim ibi, aut vt placet Arioſto, octodecim vicorum millia contineri, quos noctu ferreis portis obstruunt. Incolarum non potest iniri numerus; plerique enim sub terra degunt tam angustis receptaculis aut spelæis potius, vt alter altari insidere videatur.

Pestis nunquam ibi cessat, septimo quoq; anno vehementer grassans, qua nisi ad minimũ trecenta

millia absumantur, vix pestem aut luem appellare dignantur; tolerabilemque aeris constitutionem Sultani æstimant, si grassante peste, mille duntaxat peste absumpti efferantur. Atque hæc de Cayro dicta satis sunto, quippe quod capacitate sua omnibus innotuit.

Aula regum Assyriorum fuit Niniue: cuius ambitus continebat 480. stadia, quæ collecta faciunt sexaginta milliaria Italica; longitudo vero ad centum quinquaginta stadia protendebatur, vt scribit Diodorus. Eius suburbia proculdubio fuerunt ampliſſima: eo quod, vt sacræ literæ testantur, triũdemum dierum itinere vrbs Niniue conficiebatur. Traditque Diodorus nullam postea vrbem tanto ambitu, tantaque magnitudine extructam. Altitudo enim murorum fuit pedum centum, latitudo, quæ tres currus iunctos caperet: turres in muris mille & quingentæ, centum altæ pedibus, vt recensuit Viues.

Chaldæorum aula fuit Babylon, cuius ambitus 480. stadia includit, teste Herodoto. De hac Aristoteles scribit, famam fuisse suo tempore, cũ aliquando expugnaretur, post triduanam demũ expugnationem, omnibus in vrbe ciuibus captam innotuisse. Plinius libro 6. cap. 26. de ea sic habet: Babylon, Chaldaicarum gentium caput diu summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Mesopotamiæ Assyriæque Babylonia appellata est, sexaginta millia passuum amplexa muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore quam nostra, interfluo Euphrate, mirabili

bili vtroque opere. Ferunt ei plebis vrbanæ sexcenta millia fuisse: situm vero mœnium aquilæ pandentis alas: agrum totius orientis fertilissimũ. Eadem fere etiam Solinus capite 58. scribit. Eam à Semiramide fuisse constructam scribit Diodorus, Strabo, Iustinus. At Iosephus, Eusebius, Marcellinus, à nepotibus Noæ conditam asserunt: instauratam vero & muris munitam à Semiramide, quod & S. Hieronymus tradit in lib. Oseæ ad c. 2. citato poetico carmine.

——. *Babylon, quam dicitur olim*
Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.

Eam autem per singula quatuor latera recta habuisse 15. millia pass. recolit ex Herodoti libro 1. idem Hieronymus super Esaiam ad caput 14. ad illa verba, *Et consurgam, &c.* nihilque superesse præter murorum circuitum; at reliqua omnia introrsus in solitudine versari tradit. Recentiores, cuiusmodi Aldus, murorum eius & latitudinem cubitorum 50. & altitudinem 200. cum Plinio affirmant: sicut & ambitum sexaginta millium passuum. Strabo tamen libro 16. ambitum ad trecenta octoginta quinque stadia memorat, vt non attingat ad quinquaginta passuum millia: adijcit tamen, turres sexaginta fuisse altitudine, ac crassitie, pedum duorum & triginta, murosq; adeo late patuisse, vt quadrigæ sibi inuicẽ occurrentes facile pertransire possent. Fossa autem extrinsecus late etiam patens vice amnis circumfluebat, Aldo teste. Videndus Oros. lib. 2. c. 6. Q. Curtius lib. 5. & Euseb. de præpar. Euangelica libr. 9. cap. 4. in fine ex Abydeno vetustissimo auctore. Sunt in ea vrbe

horti

horti pensiles, qui in figura quadrata, quorum latus quodlibet est quaternum iugerum. Hi fornicibus continentur, sese in forcipis modum intercidentibus, sitis super pilis, in aleatoriarum tabellarum formam, alijs super alias positis. Pilæ concauæ sunt & terra plenæ, vt arbores maximas consitas recipere possint, ex lapide coctili & bitumine structæ, tam ipsæ quam fornices, & fornicum intersectiones: supremum tabulatum ascensus scalares habet & cochleas ipsis adiacentes, per quos continue aqua ex Euphrate in hortos afferebatur, ab hominibus ad hoc ipsum constitutis. Nam flumen mediam vrbem interluit, eius latitudo stadium occupat. Horti super flumine sunt. Strabo lib. 16. in prin. Cæterum à Scythis tandem hostiliter irrumpentibus omnia deuastata, rursus tamen à Bugiafara Calyffo Saracenorum, qui octodecim auri milliones ad hoc impendit, tantisper restaurata, vt teste Iouio, etiamnum hodie Romæ magnitudinem, quoad complexum mœniorum, excedat; vbi & non tantum plurima rosaria & ambulacra, sed etiam syluæ venationibus, & rura culturæ destinata inueniuntur. Porro vt & de turre Babylonica, quæ miraculi fere loco censenda est, aliquid dicamus; eam à Nimroth ædificatam legimus, Genes. cap. 11. eius altitudinem tametsi sacris literis expressam non legerimus; tamen Isidorus lib. 15. cap. 1. ex Hebræorum scriptis memorat, altitudine turrim illam surrexisse vsque ad quinq; millia, centum septuaginta quatuor passus. Sed D. Hieronymus super Esaiam ad cap. 14. ad illa verba: *Et consurgam, &c.* hæc habet; Babylonis arx,

id

id eſt, capitolium eius vrbis, eſt turris, quæ in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuũ, paulatim de lato in anguſtias coarctata, vt põdus imminens facilius à latioribus ſuſtentetur. Deſcribunt ibi templa marmorea, aureas ſtatuas, plateas lapidibus auroque fulgentes & alia pene incredibilia. Hæc ille.

Reges Medorum Ecbatanæ: Perſarum Perſepoli conſederunt: de harum magnitudine præter coniecturam nihil extat. Noſtro tempore aulas ſuas habuerunt primum Taurini, deinde Scyræ, ciuitatibus nobiliſſimis.

Tartaria & orientalis Aſia ob immenſas príncipum opes & potentiam, maiores exhibet vrbes, quam vlla mundi plaga. Tartari duob. regnis potentiſſimis dominantur, quorũ vnum eſt Mogorinorum: alterum Cathaynorum. Mogorini Tartari ſuum imperium hodie late extenderunt: Mahamud enim eorum princeps, finibus ſuis nõ contentus, ante paucos annos fere omnem regionẽ, inter Gangem & Indum interiacentem, ſibi ſubiugauit. Samarcanda regia eſt metropolis Mogorinorum: quam Magnus Tamerlanes mirum in modum ditauit præda ex Aſia reportata. Ille enim tãquam ſæua & procelloſa tempeſtas omnem regionem peruagatus firmioresque vrbes demolitus plurimas opes abſtulit. Ex ſola Damaſco (vt cæteras taceam) octo millia camelorum ſuperbis ſpolijs onuſtorum abduxit. Vetera hiſtoriarum monumenta tradunt tantam fuiſſe huius vrbis potẽtiam, vt ſexaginta mille equis diues cenſeretur. Minor hodie eſt, vt & ipſum imperium. Vt enim

poſt

post Magni Tamerlanis obitum à filijs in multas partes diuisum abijt; sic nostro tempore à Mahometis filijs magis discerptum videmus.

Cathainorum Tartarorum princeps, (quem vulgus Magnũ Cham de Cathaus vocat) à Magno Chiny originem trahit, qui primus ante trecentos annos ex Atlantica Scythia mouens, grauissimis expeditionibus Tartarorũ nomen celebre reddebat. siquidem regno Chinensium occupato, bonam Indiæ partem sibi vectigalem fecit. Huius successores in vrbe Chiambalu sedes suas fixerũt, quæ vt insignis ita ampla est. Ambitus enim præter suburbia, viginti octo paruorũ milliarium esse traditur. Adeo ibi florent commercia, vt quotannis circiter mille currus vel solo serico onusti è China eo aduehantur. Ex quibus facile conijcere licet, quantopere ibi vigeãt negotiationes, p̃ciosissimæ merces, artes & artifices, quæ incolarum multitudo, quam splendide, quam nitide, quam egregie ibi viuatur.

Non extat in toto terrarum orbe regnum (puta partibus suis continuum & cõiunctum) capacius, non populosius, non opulentius, non potentius, non durabilius, quam amplissimum illud & laudatissimũ Chinensium regnum. In quo maxime conspicuæ tres vrbes, vbi sedes regiæ olim fuerũt, vulgo recensentur Suntien, Anchin & Panchin, quæ magnitudine vrbes oẽs, quæcunq; demum vnquã in toto terrarũ orbe extitérunt, vincunt. Suntien (quantum ex indicijs indubitatis edoctus habeo) antiquissima est, metropolis regionis Quinsay, quo nomine etiam ipsa vrbs vt plurimũ vocatur. Sita fere est ad extremas orientis oras in lacu quodam, multis è fluuijs, quorum maximus Polysange dicitur,

tur, collecto. Multæ in hoc lacu enitent insulæ, q̃ amœnitate situs, salubri aere, hortis pensilibus ac splendidis ædificijs aspectum p̃bent gratissimum. Litora passim viridibus pratis conspicua tanquam varicoloribus tapetibus ornata, arborib. consita, salientib. aquis & riuulis irrigua, amplissimis palatijs & ædificijs vix credibilẽ spirant amœnitatem. Maxima lacus latitudo est quatuor magnorũ milliarium, incapacissima autẽ duorum. Vrbs ipsa ab effluxu aquarũ fere 28. milliaria Italica abest: ambitu suo centũ milliaria parua cõplexa: vicorũ siue platearũ multitudine, tam aqua quã terra maxime insignis: quarũ hęc silice politissime strata traditur. Visitatissima ibi sunt podia, è quib. in vias publicas iucundissimus patet prospectus. Insigniores aquarum aluei numero 15. sunt: super quos pontes eximios struxerunt, & sane ea altitudine, q̃ nauibus plenis velis transitum præbet. Horum alueorum maximus mediam fere secat vrbem, latus milliare Italicum; octuaginta pontibus conspicuus: quorũ aspectus & vsus oẽs amœnitates, omnesq; vtilitates vincit. Molestior fortassis fuero omnia adducturus, q̃ celebritatem vrbis concernunt. Quantis enim & qualibus ea patet areis? qui splẽdores ædificiorum? quã egregij vici? quantus ciuium numerus? quanta mercatorũ multitudo? quæ copia nauium, ebeno & marmore variegatarũ, auro & argento vermiculatarum? Lubens p̃tereo immensas illas opes, quæ quotidie & importantur & asportantur. Nec commemoro infinita illa voluptatum & delitiarum plaustra, quibus vbique abundat, & merito *Superba Suntien* vocari potest.

Cęterę tamẽ duæ magnitudine sunt superiores: è qui-

& quibus Anchin tanta est, vt vix liceat equiti ad vtramque partem diurno spatio peruenire: vbi tamen suburbia non accensentur. Panchin autem ambitu sexaginta magna milliaria continere traditur.

Cæterum posteaquam Chinæ mentio incidit, non absurdum me fore credo, si & aliarum vrbiū, quas in transcursu obiter attigimus, quædam encomia adduxero. Portugalēles aiunt vrbem Cantan (notissimam quidem sed non maximam) Vlyssbona maiorem esse: quæ tamen exceptis Constantinopoli & Parisijs, omnium in vniuersa Europa habetur amplissima. Vrbem Sauchieo triplo maiorem esse Siuilia in Hispania ferunt: quod Siuiliæ ambitus est sex millium, Sauchieo vero octodecim: Amplior tamen vtraque, Vechieo vrbs creditur. Cincheio, quamuis in numero maximarum non sit, à patribus tamen ordinis D. Augustini septuaginta millia ædificiorum habere credita est.

Hæc aliaque nemini absurda & à vero absona videantur, cum Marcus Polus in Relationibus suis multo maiora, quam quæ à me allata sunt hactenus, adducat. Hæc autem, quæ à me dicta sunt, tam vero consonant, & in vulgus tam nota sunt ex quotidianis nuntijs, qui illinc ad nos ab hominibus perspectæ fidei commeant, Lusitanique vno ore cōfirmant, vt qui negare velit, stultitiæ potius quam prudentiæ notam incurrat. Quo autem lectori beneuolo satisfiat, documntea quædam adducam, ex quibus perspicere facile sit, vnde Chinenses populi tantopere succreuerint.

In primis autem præsupponamus, quod hæc mundi

mundi plaga, quam orientalem vocamus aut ex cœli clementia, aut arcano & abdito siderum situ, atq; efficacitate, alijsve causis, quales quales illæ sunt, nescio qua virtute & natura omnia vberius proferendi cæteras antecellat. Hinc multa præclare, quæ in cæteris regionibus non nascuntur, ex felici illa plaga depromuntur, eeu sunt cynamomum, nuces myristicæ, caryophylla, piper, caphura, sandalum, thus, aloe, nuces Indicæ, &c. Quid quod ea nascentia, quæ oriens & occidens pariter profert, in occidente meliora, præstantiora, & perfectiora nascantur? Confer vniones, aurum, Adamantem, Smaragdum, lapidem Bezoar, & vera hæc esse probabunt. Vniones enim occidentales cum orientalibus collati ad inuicem se habent, vt plumbum ad argentum. Et Bezoar Indicus bonitate Peruano longe præstat.

Iam vero regnum Chinensium propius attingit orientem, quam vlla mundi plaga: adeoque omnium, quæ in oriente nascuntur, plenior ibi est prouentus. Chinenses aëre, cui potior vitæ nostræ pars tribuitur, vtuntur temperatissimo: cui porro accedit mare, quod hanc regionem & circumluit, & velut brachijs suis in eam expassis amplexatur ac fouet.

Deinde tota regio vt plurimum plana est, loci que natura percommoda, non tantum necessaria vitæ, sed etiã oblectamẽta & delicias vitæ humanæ affatim ptoducẽs. Mõtes & colles varijs arborib. & satiuis operti sunt. Planities oryza, hordeo, frugibus & oleribus ceu pulcerrimis vestibus est

induta, exculta, ornata. Horti non tantum noſtratibus fructibus abundant, ſed etiam ſapidiſſimis peponibus, dulciſſimis prunis, optimis ficubus, malis citrijs, chryſomelis, fragrantia & ſapore iucundiſſimis.

Naſcitur apud ipſos peculiaris herba, ex qua expreſſum ſuccum loco vini adhibent. Liquor eſt dulcis, ſanitatem conſeruans, omnia mala ebrietatis propulſans.

Magna illis eſt abundantia omnium animantium, auium, ferarum, lanarum, goſſypij, lini, plurimique ſerici. Abundans illis eſt metallorum copia, auri, argenti, ferri, &c. pretioſiſſimos ibi vniones inuenire licet. Nunquam illis deſit ſaccarũ, mel, Rhabarbarum, Caphura, Minium, Iſatis, moſchum, aloe: neque alibi naſcitur porcellana. Vniuerſam regionem variæ aquæ perfluunt, non ſine magna vtilitate rei & nauticæ & ruſticæ. Rutis fertilitatem equant aquæ piſcibus refertiſſimę: quorum magna copia tam in mari quam in alijs fluuijs paſſim ibi capitur.

Ad ſoli & aquarum fœcunditatem vtriusque incredibilis cultura & vtilitas accedit: idque duabus ex cauſis: quarum prima ab incolarum multitudine depẽdet; China enim vltra ſexaginta milliones hominum continere creditur. Altera in diligenti cultura conſiſtit. Æque enim priuati ruri colendo & eius frugibus demetendis intenti ſunt: ac magiſtratus, qui otioſum domi deſidere ſinit neminẽ. Hinc vix inuenias agellum vel glebam, quæ non optime ſit exculta. Num vero hic artes & opera mechanica ſilebo? cũ non ſit locus aliius,

alius, tot & tam insignibus florentior, id quod itidem à duobus proficiscitur. Primum iam laudatum est, quoniam otia passim interdicta, labores cuiuis mandati: nulli licet esse otioso, non cæcis, non claudis, nisi plane viribus destitutis. Viteus Chinẽsium rex lege sancita etiam fœmellas ad exercendum artes paternas, aut minimum, tam nobiles quam non nobiles, colo & acui adstrinxit. Alterum est quod filij patris artificia callere & exercere iubentur. Hinc tot artes, totque artifices, qui à teneris vnguiculis omnes, tam masculi quã fœminæ, paterna artificia tractant. Hinc summa artium scientia absolutaq; perfectio.

Non committunt, vt vel minima & abiectissima res sine fructu pereat. Taurorum & bubalorũ fimo nutriunt pisces. Ex ossibus canum aliarumq; animalium varia fingunt sculptilia: qualia nos ex ebore. Ex laceris pannis conflant papyrum.

Sed quid tantopere in his recensendis immoror? Tanta nimirum est apud Chinenses omnium rerum ad vitæ sustentationem necessariarum artiumque & opificiorum copia, vt aliunde quicquam importare minime opus habeant. Quantam serici copiam quotannis vel duntaxat in Lusitaniam mittunt? Quindecim naues ad Philippinas onerantur. Fide maior copia in Giapas auehitur. Tantam Cathay excipit, quantam æstimare licet ex superioribus, vbi diximus, quanta in Ciambalu mittatur. Opera sua elaborata (quæ infinita sunt) vilissimo vendunt pretio, quod mercatores nouæ Hispaniæ, qui ex Philippinis insulis ea coemtum eo frequens iter habent, vix satis admirari queunt.

Quo fit; vt negotiationes, quæ cum Philippinis exercentur, Hiſpanorum regi damnoſæ potius quam lucroſæ ſint. Viliſſimum enim omnium rerum pretium Mexicanos, ſuas merces ex Hiſpania ante petentes, in Philippinas illectat. Quod autem eſt ſummũ regis Hiſpani ſtudium, feras illas gentes horribili caligini idolatriæ adhuc immerſas emolliendi & in album Chriſtianæ Eccleſiæ referendi efficit, vt damnum lucro æquale æſtimet, modo earum animas lucretur.

Ex his omnibus & ſingulis liquido cõſtat, Chinam partim naturæ, partem humanæ ſolertiæ dote & beneficio infinitos homines nutrire poſſe: adeoque non abſurdam eſſe tantam inibi populoſitatis famam. Atque hanc ego porro aſſero, & neceſſarijs documentis probo, idque dupliciter. Primo enim Chinenſium rex nõ opus habet bella gerere, pro amplificandis ditionis ſuæ finibus, ſed tantum vt ſua ſepta defendat. Perpetua illis fere pax eſt. At qd pace optabilius? quid fructuoſius? quid antiquius? Nullus ex Chinenſibus inſcio rege & magiſtratu terra ſua licet exire. Creſcentibus itaque incolis patrioque ſolo ſemper adhæreſcentibus non poteſt non eſſe incolarum ingens multitudo, vrbium maxima capacitas, præſertim cum ipſum regnum Chinenſium vnum corpus vnamque vrbem repræſentet.

Profecto nos Itali nimio noſtri amore omnia noſtra ſummopere admiramur, ſuſpicimus, dum Italiam eiusq; vrbes omnibus orbis partibus anteponendas cenſemus. Italia ratione ſitus oblonga, & media Apenninis montibus diuiſa, pauca habens

habens flumina nauigabilia, non poteſt ferre magnas & populoſas vrbes. Fluuij Italiæ habent ſe vt riuuli cũ Gange, Menane & Meacone alijsq; orientalib. collati: Tyrrhenũ & Adriaticũ mare paludẽ dicas, ſi cũ Oceano cõpararis. Vnde noſtrę negotiationes & nundinæ pro ſcrutarijs non immerito habeas reſpectu earum, quæ Cantanæ, Malaccæ, Calecutiæ, Ormo, Vlysbonæ, Seuiliæ & in cæteris vrbibus oceano finitimis habentur.

Huc accedunt inter nos & Mahumetanos diſſidia & bella bonam partem commerciorum in Africa & oriẽte adimentia. Quid quod melior pars Italiæ, vt regnum Neapolitanum, ducatus Mediolanenſis regi Hiſpaniæ paret? Satis autem tenues ſunt reliqui ordines, vt & præcipue vrbes. Sed inſtituti ratio requirit vt eo, vnde digreſſi ſumus, reuertamur.

Principis ſedes ex ſeſe ſatis virium habet ad inſtaurandam vrbem & extendendam. Memoriæ prodidit Franciſcus Aluarez, in Æthiopia quantumuis regione ampliſſima non extare vrbem vltra mille ſexcentos ciues continentem: quarum numero paucas eſſe ajunt. Rex vero Æthiopum, quem illi magnum Nego, nos, ſed vitioſe, Prette Ioannem vocamus, incerta aula vagatur. Sola enim eius aula inſtar potentiſſimæ vrbis eſt: ſiquidem eius tentoria vix aliquot milliaribus capiuntur.

Omnes celebriores vrbes Aſię principum ſedes fuerunt. Damaſcus, Antiochia, Angori, Trebiſonda, Burſia, Hieroſolyma. Sed ad noſtram Europã tranſeamus. Roma tranſlata aula imperatoria de-

Intra Constantinopolim septem montes conspiciuntur. Inuenias ibi prope litus ad orientem, Turcici imperatoris gynæceum, cuius muri ambitu suo tria milliaria coercent. Inuenias ibi armamentarium, vbi officina & statio nauium fornicibus plusquam centum triginta enitet. Videas vrbem situs ratione satis amœnam, portubus laudatissimis, ciuium multitudine, negotiationibus frequentissimis, ipsiusque imperatoris aula splendissima adeo conspicuam & ornatam, vt facile inter omnes Europæas, primas reportet. Vna enim imperatoris aula triginta millia armatorum equitum ac peditum alit.

In Africa maximam celebritatis famam assecutæ sunt; Alcairum, quæ vrbs non ita pridem ampliſſimi regni potentissima Metropolis adeoque ciuibus abundantissima facta est. Tremise, quæ cum adhuc floreret, sedecim mille familias continebat. Tunetum nouem millia: Marocco centum millia: Fessa, vbi Africæ regis potentissimi aula est, sexaginta quinque millia ædificiorum continent.

Quamuis orbis Christianus multa habeat regna eaque splendididissima, omnia tamen (puta quorum membra sint continua) Gallico facile cōcedunt multitudine & incolarum & opum. Gallia circiter 27000. parochias (Parisiensem pro vna accipimus) habet, in quibus vltra quindecim hominum milliones inueniuntur. Bonis, quæ natura locorum suppeditat, & opibus, quas humana solertia cogit, Gallia omnibus nationibus est superior. Regia aula longa temporis serie hactenus fuit Lutetię, vnde ad tantam magnitudinem excreuit,

vt parem in orbe Christiano non inuenias. Ambitus eius est duodecim milliarium: intra quorum fines ac septa, quater centena & quinquaginta hominum millia plus minus degunt. Tanta ibi est rerum copia, tanta delitiarum & voluptatum, omniumque, quæ humana vita requirit, est abundantia, vt, qui non vidit, nec credere, nec imaginatione concipere possit.

Regnum Anglicum, Neapolitanum, Portugalense, Bohemicum, comitatus Flandriæ, ducatus Mediolanensis dignitate & potentia sibi inuicem fere pares sunt: vnde & vrbes, vbi aliquando aulas suas habuerunt prædictarum regionum principes, parum discrepant: Eiusmodi sunt Londinum, Neapolis, Vlyssbona, Praga, Mediolanum, Gandauum, in quibus singulis plus minus cẽtum sexaginta mille homines reperiuntur. Paulo tamẽ amplior cæteris est Vlyssbona, propter commercia Æthiopiæ, Indiæ, & Brasiliæ, vt & Londinum ob motus bellicos, quæ in Belgica gliscunt. Tantæ magnitudinis in Hispania nullam inuenias vrbem, non tam quod hactenus in plura regna fuit diuisa, quam quod fluminibus nauigabilibus caret, sine quibus sufficiens commeatus, quo aliquantulum populus extraordinarie aleretur, inuehi nequit. Celebriores Hispaniæ vrbes, quæ olim regiæ erãt sedes, vulgo cẽsentur: Barcinon, Saracossa, Valeza, Corduba, Toletum, Biturigum, Lugdunum, quæ quidem omnes magnæ sunt, populosæ, Italiæ tamen vrbibus inferiores.

Has antecellit Granata, (vulgo Garnada) quæ longo tempore Maurorũ regibus sedem præbuit, mul-

Digitized by Google

multis eximijs ædificijs ab ijsdem exornata. Pars eius in monte, pars in plano sita est. Quæ monti adhæret, in tres distinctos colles est diuisa, aquis abundat, quibus vniuersa regio habitabilior efficitur & irrigatur.

Quandiu America patuit, in maximam potentiam succreuit Seuilia, quibus maris æstus ibi exũdans incomparabiles opes adfert. Ambitus est sex paruorum milliarium, octuaginta millia hominũ complectens. Sita est in siniſtro littore Huuij Betis, quem alias Guadalchiuir vocant. Eximijs templis & palatijs inſignis est, solũhabet fertile & amœnũ.

Vagliadolid tametsi vrbs non sit, excellentissimis tamen vrbibus Hispaniæ comparari potest: idque quia longo tempore regia sedes ibi fuit. Sic Madridum vrbs nõ tantum in maius aucta est, sed adhuc augetur, propter sedẽ regiã, à rege Philippo eo translatam. Tantũ ibi valuit aula regia, vt ex nimio incolarũ confluxu vnus pagus, q ibi olim erat, populosissimũ oppidum totius Hispaniæ euaserit.

Poloniæ populosissimæ vrbes sunt Cracouium & Vilna, quia Cracouij principes Poloniæ, & Vilnæ magni duces Lithuaniæ aulas suas habebant.

Tribus potissimũ vrbibus Moscouia inclaruit: Volodimeria, Nouogarda magna & Moscouia specialiter ita dicta; quæ omnes ac singulæ celebritatis nomen inde assecutæ sunt, quod summi Moscouiæ principes, vulgo magni duces, aulam suam ibi cõstituerunt. Hac ratione nostro seculo vrbs Moscouia præ cæteris celebris est, quod nimirum Magnus Moscouiæ dux aulam suam hodie ibi fouet. Moscouiæ vrbis lõgitudo est quinq; mil-

liarium paruorũ, latitudo aliquanto minor. Ampliſſimũ ibi eſt caſtellum, quod ducis magni palatium eſt & aula. Adeo populoſa eſt, vt à quibusdã Conſtantinopoli, Lutetiæ & Vlyſbonæ æquiparetur, atq; his tribus Europæ vrbibus, vt florentiſſimis ita populoſiſſimis velut quarta addatur.

Syracuſarum vrbs omnium Siciliæ vrbium ampliſſima, quatuor maximis vrbibus, vt Cic. tradit, olim conſtitit. Cauſam amplitudini dedit, regum ſiue tyrannorum (vt antiquitus vocabatur) ſedes. Commercijs vero & negotiationibus, quas cum Africanis habebant, deferueſcẽtibus, & ſede regia Palermũ translata, Syracuſæ priſtinam celebritatẽ indies mãgis magisq; perdiderunt: Palermũ vero caput extulit, dignitateque ac gloria excreuit.

Palermi capacitas ſatis ampla eſt, & ſecundum inter Italiæ vrbes locum facile obtinet: inſignis ſplẽdidis templis & palatijs, ſanctorum reliquijs, lautiſſimisq; ædificijs à Saracenis extructis. Duo vero potiſſimum, quæ noſtra ſecula ibi conſtrui viderunt, notatu digna ſunt. Vnum, quod via regia per mediam vrbẽ patefacta eſt, adeo recta, plana, lata, longa, vt num ſimile quippiam habeat vniuerſa Italia, iure dubites. Alterum eſt, quod valla, munitiones, aggeresq; verſus mare, ampliſſimam atque tutiſſimam efficiunt nauibus ſtationem. Opus ſane digniſſimum, quod admirandis Italorum operibus adiungatur.

Marcus Polus, cuius ſupra mentionem fecimus, rerum Ind. libro ſecundo, capite 68. tradit, Quinſai vrbem in Magni Cham ditione centum paſſuum millium ambitum tunc fuiſſe complexã, atque

atque in ea numerata foculorum mille ac ſexcenta millia, vt ſi quinque ſiue mares, ſiue fæminæ per ſingulos foculos adnumerentur, vna illa vrbs octuagies decies centena hominum millia continuiſſe viſa fuerit. Verum cum omnium rerum viciſſitudo ſemper fuerit, poſt ducentos à Marco Polo annos cum eo profectus fuiſſet Nicolaus de Comitibus, comperit adeo inſignem vrbem iam diu antea excidiũ paſſam, ac nihilominus adhuc inſtauratam, atque ad triginta paſſuum millium ambitum fuiſſe redactum. Id ipſe Nicolaus memorat in itinerario Indico apud Ramuſium tomo 1. In eo numeratos põtes ad duodecim millia, quæ tantæ erant amplitudinis, vt onerarias naues admitterent, Polus eodem loco teſtatur & Ortellius in Tartaria. Viam autem eius vrbis primariam protendi latitudine 40. paſſuum, longitudine ad 38. millia paſſuum extendi Polus ait, ſcribitque quaque verſus reliquas extra vrbem vias perſtratas pluribus menſibus non permeari; nam octo menſibus etiam Odericus poſterior tradidit. Adijcit quoque Polus, ibi plateas eſſe ambitu ſingulas bis mille paſſuum. Incolarũ eius tantus eſt numerus, vt ad pugnam numerari poſſint idonei vſq; ad ducenta millia: quandoquidem trecenta domorum millia conſcripta ſunt.

Paquin, regiam in Sinarum regione vrbem, adeo late patere memoratur, vt ſeptem dierũ interuallo recta pertransiri non poſſit, cum p̃terea munita ſit tribus ambiẽtibus muris. Quicquid ad alimenta regi neceſſarium eſt, infra hunc ambitũ naſcitur. Vrbe rex nunquã egreditur; aſſiſtunt illi quin-

quingenti gigantes, non minores pedibus quindecim. Flumine tota vrbs alluitur, ex informatione Ieſuitarum, de rebus Sinarũ, tomo 2. Melchior Nugnez Ieſuita ſcribens ex Malacca.

Quod ſi libet orbis noui, aut Indiarum, aut extra Europam plerasq; vrbes admirandas audire, facile mihi ſuppetét, ac breuibus recolam. Eſt Vohaca vrbs in Iapone memorabilis, longa ad quatuor paſſuum millia, habetque proximas ingentes turres & latitudine & altitudine vndiq; cõſpicuas, quod earum tecta inaurata ſunt, Lud. Froës in literis anno Domini 1586. Eſt Amaguci in eodem Iapone, centum millia foculorum continens, vt Franciſcus Xauerius teſtatus eſt ſuis literis an. 1553. In eadem quoq; inſula Meacus vrbs eſt, quæ memoratur centum octoginta millia focularum habuiſſe, eodem Xauerio teſte; habere autem adhuc centum millia conſtat. In eadem inſula eſt Oſacci vrbs Reipublicæ ritum ſeruans, velut in Italia Veneti. Admiranda ibi eſt opulentia, numerati ſunt mille ciues, quibus non minores ſunt opes triginta millibus aureorum, ſupra autem ſunt plurimi: tanto faſtu educantur omnes, vt quisque ciuis paterfamilias, ſiue viri, ſiue fæminæ, reges aut reginæ nuncupentur, filij vero, principes, vt Ferd. Mendez ſcripſit anno Domini 1554. Propterea ſi Conſtantinus Conſtantini Magni filius, qui ſolebat, cum Romæ eſſet, dicere, tot ſe reges videre quot ciues, in ea vrbe fuiſſet, verius id dixiſſet quam Romæ.

Odia autem regia vrbs Indica orientalis Sornai regno Venetiarum in Italia vrbi & amplitudi-

ne &

ne & ſitu coæquanda eſt: tota enim in aquis exædificata per omnes vicos aquis adnauigatur; ſed illud valde eſt admirandum, numerari ibi plura, quam ducenta cymbarum millia, quæ ſex milliaria in latiſſime patente & vrbem alluente flumine occupant, omnibusque transitum impediunt. Ferd. Mendez anno Domini 1554.

Sunt & aliæ in aquis exædificatæ vrbes in oriente: nam in Burnei inſula, cognominem vrbem eſſe ferunt ligneam totam præter regiam, quæ ſola lapidea eſt; in imo mari fixis ſtipitibus ſtruunt domos. Vici patent adeo, vt per ſingulos venalis annona cymbis deferatur: ſunt autem viginti quinque domorum millia à Mauris culta, vt Antonius Pigafeta teſtatur. Eſt & Lao vrbs in eadem inſula, illa quidem amplior, eadem ſtructura, in vndis exædificata, atque ab Ethnicis colitur, eodem Pigafeta teſte. Eſt in eodem orientis Indico tractu alia vrbs, cui nomen Vguin, adeo autem proximis ædificijs abundat, ſuburbijsque oppidis & villis, vt toto biduo inter ædificia ſemper eatur, & vnam vrbem omnia huiusmodi ædificia complecti putentur, Polus libro 2. capite 73.

Quin & Ceuſcala duplo Venetijs amplior eſſe putatur, vt Odericus tradit libro primo. Zaiton quoque vrbs duplo Bononia in Italia amplior eſſe perhibetur. Ibi in vnico cœnobio idololatrarum numerata ſunt tria Monachorum millia. Extabant quoque vndecim ingentium idolorum millia, quorum minimum hominis altitudinem ſuperabat, Odoricus libro primo. Sed & Fluxo, quæ in eodem Indico tractu iacet, ampliſſima eſt

patet

patet etenim ambitu ad paſſuum millia triginta, vt Oder. lib. 1. tradit. At alia vrbs, cui Chilerapheh nomen eſt, ambitum quadraginta paſſuum millium habet, atque in ea lapidei pontes numerantur ad trecentos ſeptuaginta eximie ædificati. Eſt etiam alia vrbs regia, cui nomen Teſcol in Mangi prouincia, Venetijs triplo maior, in qua vna tot nauigia conſpiciuntur in vſu haberi per fluuium, quo alluitur, quanta omni in Italia, tum mari tũ mediterraneis fluminibus lacubusve reperiri queant. At Cambalu Magni Cham regia vrbs bipartita eſt. Pars altera ambitu protenditur ad paſſuum viginti quatuor millia, altera proxime ad quadraginta millia. Vnicus autem murus vtramque vrbem cingit, qui protenditur ad centum paſſuum millia. Atq; hæc quidem in Aſia etiam veteribus cognita. At memorant noſtro ſeculo, qui eo penetrarunt, præter has ingentes vrbes inuentam vrbem Megoa, 40. domorum millia continentem. Sed & vrbs Lanchin ab ingreſſu ad egreſſum tanta reperta eſt longitudine, vt recta linea toto triduo pertranſiri non poſſit; eius ambitus ad leucas ſeptuaginta porrigi fertur, id eſt, ad Italica milliaria 280. Reb. Sin. part. 2. cap. 23.

At in orbe nouo, noſtro hoc ſeculo comperta non ſine admiratione multa de vrbibus recoluntur. Nam qui illum luſtrarunt affirmant, Mexicũ vrbem centũ viginti millia magnarum ædium habuiſſe, augerique admirationem, quod tota in paluſtri aqua fuerit exædificata, abeſt enim à continenti, qua proxime, octo millibus paſſuum

passuum, cum eius ambitus sit ad duodecim milia passuum. Referuntq; in ea tantæ magnitudinis templum fuisse compertum, vt quingentę domus in eo extrui potuerint: in ambitu habere turres quadringentas prælatas, quadrangulares, centum quinquaginta passuum ambitu: itur in summum vsque verticem percommode, primum quidem gradibus centum triginta per girum: deinde exurgunt à vertice duæ aliæ turres, singulæ altitudine pedum sexaginta. In eam vrbem cum lacus salsam ferat aquam è continenti, canalibus in superficie laci locatis, potabilis plurima aqua deducitur. Nec vnam tantum vrbem continet is lacus, sed alias plures. Sunt in eadem Mexico horti porticibus ex Iaspide lapide confectis exornati, eximioque artificio compositi. Et quod valde libet annotare, in eodem nouo orbe, in prouincia Tapalum altera tantæ amplitudinis vrbs comperta est, quæ Mexico prorsus comparatur, vt Petrus Aluaradus scribit. In Peruaco autem eiusdem orbis Pachalchami vrbs, Roma maior comperta est. Sed & Cuscum regia vrbs in Peruaco, cuius muri amplitudine sunt admirabili, confecti ex grandibus lapidibus, quãdoquidem quadrangulari forma sunt, per singula latera pedes triginta, quandoque viginti, ad minus quindecim. Est in eodem orbe Tascaltecal, in qua quadringentæ turres numeratæ sunt. Sed omnium rerum vicissitudo est. Cum etenim Cortesius toti orbi nouo Caroli Quinti imperatoris nomine præsideret, ob seditionem illam tantam

vrbem

vrbem Mexicum igne consumsit: at postea augustissime restaurari curauit, exædificato palatio, adeo magno sumtu & amplitudine, vt cum ipsi senatuique vniuerso ac præfectis prouinciarum pluribus percommoda hospitia darentur, quicquid eius palatij supereset habitabile, ad septem ducatorum millia locaretur inquilinis, vti memorat Surius in Commentario anno Domini 1558. Vt quanquam sint hæc memoratu perdigna, admirari tamen etiam libet, quanta eius vrbis adiacentis sint oppida, quamq; ingens populorũ frequentia, vt omnia fere orbis loca superare numero hominum videri possint. Municipia enim prope vrbem quędam septem, quædam quindecim, alia viginti, alia triginta, alia quinquaginta, alia sexaginta, alia septuaginta domorum millia obtinent. Accedit his, quod solo in Mexico referũt multi summa fide digniſſimi, triginta fuisse Dynastas, quorum quilibet habuerunt sub se centũ millia hominum, aut circiter, & tria millia Toparcharum, qui & alios sub se haberent clientes fiduciarios, ac beneficiarios Vasallos, Valuasores & Valuasinos. Qui Dynastæ certa anni parte familiam suam alebant in ciuitate Mexicana curia regis Montezumæ, & ex ea nõ licebat illis discedere ad suas prouincias, nisi regis permissu, ac relictis siue filijs siue fratribus suis in ciuitate obsidum loco: & quod dictu horrendũ est, mille plerunq; homines vno die in ciuitate Mexicana dæmonibus immolabantur, quæ tamen execranda abominatio hodie per Iesuitas sublata est. Hæc è Surij Commentario anno Domini 1558.

Solinus

Digitized by Google

Solinus cap. 53. tradit, in India quinq; esse oppidorum millia, quorũ singula ad minus nouem hominum millia habeãt. Idq; tribuit causæ, quod soli Indi nunquam à natali solo recesserint. Pomponius Mela lib. 1. scribit Amasi in Ægypto regnãte viginti vrbium millia numerata fuisse, quod & Herod. tradit lib. 2. c. 12. Quinetiam recentiores tradunt, ob soli præcipuã fertilitatem & hominũ frequentiam, adeo Ægyptum excultam esse, vt decem & octo millia insigniorum vrbium in ea extructa adhuc numerentur.

In Chinensium regionibus Cantaon omnium quidẽ minima vrbs est, amplior tamen Vlyssibona in Lusitania; eoq; nomine insignis, q̃ ad exercendam iustitiam eius rex alat centum millia ministrorum ac militum, tuendæ vbique securitatis causa; deinde quilibet eius vrbis vici noctu portis occluduntur, ne ex vno in alterum transitus pateat: vt ita cohibeantur maleficia, quæ haud dubie non nisi à proximis committuntur. Essեq; in ea vrbe memorant plures quam mille triumphales arcus eximie ædificatos, terq; quotannis agrum referre fructum ob assiduas irrigationes. Hæc Melchior Nugnez Iesuita in literis inde missis.

Huc referre lubet admirandam ædificandę vrbis nouitatem. In nauigatione, qua itur ab Ormutio Goam, non longe à Bazzain, vrbs quædam patet, tota in monte lapideo excisa & excauata, perinde ac cęlaturæ fiunt: viæ enim plures, domus, vici, plateæ, cisternæq; centum ad ciuium vsum: excauata enim hęc omnia sunt, nõ autẽ extructa,

Digitized by Google

vt ſic vna tota ciuitas vno è ſaxo cõſtare videatur, tuta à ruinis, inundationibus ac terræmotibus ſimul ac incendijs. Megu etiam Indica vrbs palatia cum ingentibus aulis & ipſa ampliſſima habet excauato ſaxo.

Sed & de murorum exſtructionibus aliquid vt dicamus; Adrianus impator murũ per octoginta millia paſſuũ in Britannia duxit, qui Barbaros Romanosq; diuideret. Margianã regionẽ Antiochus circumduxit muro perpetuo, atq; in ea Antiochiã quoq; ędificauit. Erat autem muri ambitus ſtadiorum mille quingentorũ, id eſt, prope ducentorũm millium paſſuũ, vt memorat Strabo. lib. 11. Alium Miltiades dux Athenienſium fecit, qui à Thraciæ vrbe, quam μακρὸν τεῖχος vocant, inciperet, ſupra fidem ingens vſq; ad ſinum Melicum, excluderetq; Cherſonesũ à reliqua Thracia, vt memorat Viues ad libros Auguſt. de ciu. Dei, lib. 15. ad c. 27. Quo loco memorat Cæſarẽ quoq; alium duxiſſe murũ à lacu Lemano ad mõtem Iuram, qui fines Sequanorũ ab Heluetijs diuidit. Sic Seuerus imperator murum duxit in Britannia centum & triginta millium paſſuum lõgitudine, à mari ſcilicet ad mare. Sic Anaſtaſius Dicorus murũ longum condidit à magno mari ad Selybriam vſq; pertingentem, ob Myſorum, ſiue Bulgarorum & Scytharũ incurſiones. Carthaginẽſes quoq; murum ſexaginta ſtadiorum duxerant in ſuæ vrbis tuitionem in Iſthmo ipſius peninſulæ. Melchior Nugnez memorat, in Sinarum regionibus murum extare, Sinas ipſos à Tartaris diſterminantem, magnitudine prope inexpugnabilem atq; præaltum, porrigiq; in tantam

longi-

longitudinem, vt mẽſtruo ſpatio integro ad illius poſtremam partem nemo valeat peruenire, vt ſic deprehendatur prope ad decies centum millia paſſuum protendi longitudine.

Porro conſideranda hic occurrunt & alia commemoratione digna. Ferũt qui regiones Chinenſes perluſtrarũt, quaquauerſum directas ac lapidibus pſtratas vias cõſpici, in illis regionib. omnium totius orbis ampliſſimis, nõ in decies cẽtena millia paſſuum tantũ, aut ad menſtruũ iter; ſed ad octimeſtre, atq; ad ſepties centena millia paſſuũ, id eſt, ſeptẽ milliũ miliariorũ Italicorum directas eſſe ac perſtratas lapidibus vias huiuſmodi, tum q̃ ab oriente in occidentem tendunt, & eæ ſunt plures, tũ quę ab Auſtro in Aquilonem, q̃ etiam ſunt plures, adhibitis, percõmodis hoſpitijs quibuslibet itinerantibus, cũ equorũ ad itinerantiũ cõmodum incredibili multitudine certis locis aptiſſime conſtituta. Marc⁹ Polus lib. 2. c. 2. expreſſius id tradit, ſcilicet vbiq; Regia, q̃ reges capere poſſent, hoſpitia perpetuo ſingulariq; hoſpitijs ali equos curſores quadringentos, adeo vt itinerationis tantũmodo cauſa numerẽtur in huiuſmodi hoſpitijs diſpoſita ducenta equorũ millia. Atq; hæc in oriente ſunt. At in nouo orbe ij, qui eũ perluſtrarũt, nõ abſimilia reperiri memorãt. Guſconiũ. n. in Petuaco ampliſſima vrbs regia eſt: eius reges longe potentiſſimi duas vias militares direxerũt è ciuitate Guſconio in ſeptingentas leucas, id eſt, ad plura, quam bis mille milliaria Italica, aut forte etiam prope ad ter mille milliaria, quarum vna per alpes, altera per valles ducébat, atque in ijs vijs ad ſingu-

las ſeptenas leucas diuerſoria conſtituta erant, in quibus ſingulis ſemper nudus, exarmatus. famelicus quadraginta aut amplius millium hominum exercitus, ſubito appellens, veſtiri, armari, paſci in longum tempus poſſet. Viam quoquo marmore exciſam plana ac montana plurima paſſuum millia, ac perpetuis literis exaratam, meminere Saxo Grammaticus, & Krantius. Sic enim illi: Via eſt quædam apud Blekingiam admiranda, apta enim itinerantibus eſt rupes mirandis literarum interſtinctã notis longiſſimo locorum tractu: ſiquidem à Meridiano mari in deſerta Verundiæ petroſa porrigitur ſemita, quam binæ lineæ exiguo diſcretæ ſpatio protractis in longum ductibus complectuntur: inter quas mediũ loco planum factis ad legẽdum figuris vndiq; ſecus exaratum oſtenditur; ꝙ licet adeo ſitu inæquale exiſtat, vt modo mõtium alta proſcindat, modo vallium ima prætereat, eodẽ tamen tenore literarum veſtigia ſeruare dignoſcitur. Quarũ ſignificationẽ rex Woldemarus ſacri Canuti fauſta proles admirationis cauſa cognoſcere cupiens miſit, qui rupẽ permeantes patentium illic characterum ſeriem curioſiore indagatione colligerent; ac poſtmodũ virgulis quibuſdam ſub ijſdem formarum apicibus adnotarent; qui ideo nihil ex eis interpretamenti comprehendere potuerunt, quod ipſa cælaturæ concauitas partim cœno interlita, partim commeantium adeſa veſtigijs figuratæ protractionis ſpeciem obtrito calle confuderat. Vnde conſpicuum eſt, etiam petrinæ ſoliditatis rimas diutino madore completas, aut ſordium collu-

colluuione, aut irrigua nimborum inſtillatione concreſcere. Hæc Saxo in præfatione Danicæ Hiſtoriæ,

Ad turres tranſeamus. Turres igitur ſunt quidē & ornamenta & muniměta, ſed cum ſuperbia eas ædificat, irritæ ſunt; quod in altiſſima ac latiſſima Babylonica conſtat, ſæpe enim inſania eas ædificat. Sic in Cyzico vrbe iuxta portam, quæ Thracia vocatur, ad ſtultam voluptatem turres ſeptem ita exædificatæ ſunt, vt voces accepto numeroſiore repercuſſu multiplicentur, cui miraculo à Græcis nomen datum eſt, Echo, Plin. lib. 36. ca. 15. Memorant præterea ij, qui orientem perluſtarunt, admirandam eam eſſe turrim, quæ viſitur in Fucheo Sinarum vrbe, quam tradunt ſuperare omnia Romanorum ædificia: eſt enim extructa ſuper 40. ſolidas columnas ampliſſimas, ſimul & altiſſimas. Altitudinem putant nonnulli maiorem non reperiri in quauis turri Italicà, ſiue Cremonæ, ſiue Bononiæ, quam in Africa vrbe Marocco, in exædificata à rege turri: eſt ambitu pedum ducentum, ſuperat autem longe hunc numerum altitudine. Surgit enim in ſeptem ampliſſima ſolaria, ad quæ præplanis gradibus per gyrum aſcenditur. Vbi ventum eſt in ſummum, patet planities plurima, in qua locata eſt pyramis in imo patens pedes quinquaginta, longa circa pedes triginta; in cuius ſummo vertice ordine locatæ ſunt velut veru confixæ tres ingentes ſphæræ argenteæ. Extat & alia turris ad templi vſum & ipſa ampliſſima, in cuius ſummo cacumine velut ordine veru confixæ conſpiciuntur tres ingentes ſphæræ

aureæ, quarum precium ad centum triginta aureorum millia æstimari traditur. Hunc sumtum superant turres in Indiæ orientalis regno Mien. Nam regium ibi sepulcrum extat inter duas turres locatum, ipsum quidē aureis argenteisq; laminis digitali crassitudine obtegit. Turres vero ipsæ, præter id, quod in ipsarum summis verticibus aureas & argēteas cāpanulas ita constitutas habent, vt vento agitatæ è catenulis pendentes sonitum suauem edant: etiam ipsarum tecta, quanta (quæ maxima est) latitudine patent, vnius quidem argenteis laminis digituli crassitudine, alterius autem aureis laminis etiam pari crassitudine contegūtur, vt tradit M. Polus lib. 2. cap. 44. Altitudinem certe turris admirari quidem quisque videtur, qui Cremonam proficiscitur, cum per Lombardiam seu Cisalpinam iter agentibus aut nauigantibus à multis pass. millibus vndequaque spectabilis sit: sed reuera Argentinensis altior est: nam ab imo ad supremum culmen quadris & perpulchre figuratis lapidibus tota constat; paretq; eius ascēsus cochleis; vbi vero crassities eius in fastigium incipit acuminari, ibi octo insurgunt cochleæ: vertex qui vix modij amplitudinem videtur habere, commode sex homines capit: Altitudo eius tota pedes habet Geometricos 574. Quod vero de Bononiensi turri diximus, velut ea inter reliquas sit præalta, duo augent de illa admirationem, quod exilis sit, quod ex debilitate fundamentorum in imo dehiscens paululum ad perpendiculum propendeat inclinatave sit. Est autem illi proxima alia turris tota prorsus inclinata,

Digitized by Google

nata, velut caſura: attamen arte ita confecta eſt, vt cadere videatur, cũ ipſa firmiſſima ſit. At turris, quæ Venetijs apud S. Marcum exurgit, tota imis fundamentis ipſo mari ſubſtratis admiranda eſt, non modo craſſitie & altitudine, ſed ex gradibus quoq; quibus in ſummum itur. Referemus autem in id Sabellici verba, lib. de ſitu vrbis Venet. lib. 2. Superbiſſima (inquit) turris occurrit, adeo altis fundamẽtis innixa, vt pene plus operis latere credatur, quam ad auras exeat: ſummus apex adeo ſublimis, vt fulgor auri quo illitus eſt, ad ducenta ſtadia ex alto nauigantibus velut ſaluberrimum quoddam occurrat ſidus.

Porro & ampliſſima & magnificẽtiſſima quæq; regum ac principum palatia huc referre, nõ incõmodum fore exiſtimo. Eorumq; omniũ maximũ eſſe putatur illud, quod magnus imperator Cham inhabitat in Cambaliẽſi vrbe. Cingitur primum muro perpetuo quatuor angulis, quorũ quilibet ad octomillia paſſuum porrigitur, vt inde iam deprehendamus, ambitũ Romana vrbe maiorẽ eſſe; & quod auget admirationem, munitur huiusmodi murus perpetua profundaq; foſſa, quæ piſcinæ vſum præbet. Introrſus poſtea alius eſt murus, etiam perpetuus, ad ſex millia paſſuum per ſingula latera, frequentiſſimis etiam exornatus ædibus inſignibus. Rurſus paulo interius murus alius eſt etiam perpetuus, habens in ſingula latera quater mille paſſus, exornatus & ipſe ampliſſimis ædibus, conſitis etiam hortis ac viuarijs ferarum. Ac quicquid viarum eſt intra hæc ſepta, lapidibus ſtratum patet: ibidem quoq; in montis manufacti

vertice alia ampliſſima domus exędificata eſt, vno viridi colore tota perpicta. At ædes ipſæ regiæ, quæ in horum murorum medio extructæ ſunt, ex auro tectū habēt vniuerſum, minio, lazurio atq; alijs eximijs coloribus exornatū. Hęc fuſius tradit M. Polus rei inſpector li. 2. c. 6. & Odericus lib. 1. qui adijcit, ſe triennio apud illum regē vitam duxiſſe ac omnia perluſtraſſe, extareque ex auro columnas 24. ac pinum arborem maximam auro illigatam, è qua vndęcunque pendent ramuſculi gemmis vuarum modo referti: plures quoq; ibi videri ingentes ex auro ſerpentes, ac prægrandem ſolidam ex auro columnam. Ædium autem harū ambitus perpetuo muro cingitur per ſingula latera ad paſſus mille; extrinſecus autem ſecus murum hunc perpetuum ambulacrum cum podio ac mutulis columnisq; exiguis extructum eſt, ita eminens, vt quæcunq; inde circumcirca proſpectari poſſint. Extat p̄terea mōs, quem manu confectum diximus: is porrigitur ad ſtadij vnius altitudinem, in imo vero ambitus eius eſt octo ſtadiorum, Pyramidis referens formam, quæ non quadrata, ſed teres ſit, totus arboribus conſitus perpetuoq; virentibus, Memorat præterea eodem lib. c. 68. regem Famfur eiuſdem Indiæ ad Quinſai vrbem, palatium decem milliū paſſuum ambitu inhabitare, proq; tanta amplitudine etiā ornatiſſimum atq; inſtructiſſimū. Muros eius fuiſſe prealtos vndecunq;: intrinſecus autem lōgiſſimas porticus auro & lazurio exornatas, inauratis columnis ſpectari, ſolaria omnia auro ornata: ædes quoque reliquas contiguas regiæ magnificentiæ

centiæ congruas fuiſſe: & in ijs muliebria clauſtra ornatiſſima: leporaria quoq; & peramœnos lucos habuiſſe. Hæc Polus lib. 2. c. 68. Regem præterea quendam in regione Sinarum tradunt, qui ea loca luſtrarunt, admirãdi artificij inhabitare ædes ampliſſimas. Primum illud eſt, eſſe palatiũ non muris fultum, ſed octo altiſſimis columnis totũ ſuperpoſitum conſiſtere, non minore firmitate, quã ſi in ipſo firmiſſimo ſolo ampliſſimis fundamentis ſtabiliretur. Auget admirationẽ ipſa columnarũ altitudo, nam ipſis turriũ fere altitudo eſt, aſſurgunt enim ad pedes 70. ſingulæ, quas bini homines cõplecterentur, Ædes igitur his columnis ſuperſtructæ exornatiſſimæ ſunt, eximijs picturis exterius, murisq; ipſis etiam inauratis. Cæterum ſummus Sinarum rex (nam regibus multis dominatur) longe ſumtuoſiorẽ inhabitat regiam. Aulas etenim ſeptuaginta nouem ampliſſimas continet: atque tantæ vaſtitatis eſt, vt dies abſumatur tota in ipſis aulis cubiculisque perluſtrandis. Ex ijs aulis quatuor inſigniores ſunt, vna inferne ſuperneque tota ære, alia argento tota, auro & encauſto alia, quarta vnionibus, pretioſisque gemmis exornata contectaque eſt. Rex nullo lumine ſolis ſe ſpectandum præbet, ſed qui adſtant miniſtri, perpetuo faſces accenſos præ manibus tenent. Si adeatur colloquij aut audiendorum legatorum cauſa, ingentem ingreditur ſerpentem artificio factum in palatina area locatum, cubiculi capacitatem habentem, ſex quoque neceſſarios ſecum ingredi iubet, feneſtella quoque in ſerpentis pectore eſt, vitro obducto, vt loquentes

ipſe quidem videat, at ab ijs non videatur. Id tradit Anton. Pigafet. qui adijcit huic regi ſemper in ſtatione palatina cuſtodiæ cauſa decem militum millia excubare. Eſt palatium illud ambitu incredibili, cum ſeptemplices muri inuicem valde remoti omnia ædificia cingant. Viſitur ibi ſolium regium ex ebore, prorſusque contectum eſt gemmis pretioſiſſimis, adeo vt noctu micet coruſcetque in tenebris, Reb. Sin. libro tertio, capite ſecundo. Regis quoque inſulæ Zipangu palatium omne laminis aureis, veluti apud nos plumbo, cõtectum eſt, ſolaria eius aureis laminis teguntur, adeo vt nihil audiri poſſit pretioſius. Sed & Iauæ maioris inſulæ regis palatium eſt, inq; illud pluribus gradibus conſcenditur, alterni ſunt locati gradus, vt alter aureus ſit, alter argenteus: ita quoque aularum muri hac alternatione contecti ſunt laminis, ſiniſter argenteis, dexter aureis, alius item argenteus, atque alius aureus. Tectum quoque eximio auro compoſitum eſt. Simulacra extant plurima ex auro, quorum capitibus diademata gemmis innumerabilibus exornata impoſita ſunt; qui ſpectatores fuerunt, referunt in orbe nihil reperiri precioſius. Nec prætermittendum videtur aliud, quod in Perſide eſt prope Taurim; eſt enim octangulare extrinſecus, intrinſecusque encauſto atque auro incruſtatum. Continet eximij artificij atque amœnitatis incredibilis hortos. Eſt & illud non omittendum palatium, quod in ampliſſima vrbe Odia in Sornai regno conſpici tantummodo exterius licet: nemini etenim prorſus ingredi permiſſum eſt, præterquã re-

regum oratoribus. Extrinsecus quidem stano vndequaque muri obtecti sunt: intrinsecus autem omnia auro contecta eximio conspiciuntur. Ferdinand. Mendez anno Domini 1554. Hæc equidem in Asia admiranda regum palatia, quibus similia non conspecta in Europa, quamquam artificio sint aliqua memoratu digna, velut apud Constantinopolim recolit Luitprandus Ticinensis Diaconus, quando Berengarij nomine ad Cõstãtinum imperatorem legatione perfunctus est, ano Domini 950. Scribit enim se in regiam fuisse exceptum. Erat illa ornata sumtuosissime, ibi ærea inaurata arbor ante ipsius imperatoris solium assurgebat, expansis magnum in modum ramis æreis atque inauratis, in his frequentissimæ variarum specierum aues arte confictæ, quarum singulæ species proprias voces cantusq; emittebant incredibili arte. Regium autem solium miro erat confectum artificio, vt momento videretur humile, atq; in ipso solo esse velut depressum, postea momento in sublime, elatumque apparebat, neque vlli cognitum esse poterat, qua id arte fieret, adeo sublimè, velut solario compar, conspiceretur, nullis conspectis, aut instrumentis, aut machinis: erant sedilia eius ampliſſima, quæ leonum simulacra auro tecta custodire viderentur. Delatus igitur est Luitprandus in imperatoris cõspectum, duorum eunuchorum humeris innixus, mox vbi coram adstitit imperatori, leonum simulacra illa rugitum quendam emisere: auium quoq; simulacra quælibet pro sua specie vocibus obstrepebant: ac cũ pronus paulũ ab imperatore

distans

distans illum adorasset in humili sedentem, vix erigens ceruicem cõspicit illum, iam mutato imperiali amictu, iuxta aulæ laquearia sublimem sedere. Hæc qua arte confecta fuerint, nullo ingenio assequi se potuisse contestatur Luitprandus, nisi forte qua arte trapetiorum torcularia conficiuntur, celerrimo motu id fuisset excogitatum. Hæc ex illius libro 6. cap. 2. Et sane in Pisaurensi ducum Vrbinatum villa imperiali conspiciuntur ea arte confecta sedilia, quæ quamquam pauimento sint proxima, momento tamen in laquearia vsq; tracta conspiciuntur cum sessoribus, trapetiorum simili vertigine, quinetiam in ipsum supra solarium feruntur, vt vlterius non cõspiciantur. Huiusmodi atque alia in regijs domibus artificia in Europa non desunt: nam & frondibus velut muris palatiũ in Hispania visitur proxime Valẽtiam: hortos enim an ædes, nescias dignoscere. Id his verbis Laurentius Valla exprimit, rerum Hispan. lib. 3. Proxime, inquit, Valentiam Hispaniæ horti sunt, non tantum citris consiti, sed etiã citreis parietibus viuente materia cõcluſi, vt dubites, hortiné sint an ædes. Nam cum nihil aliud insit, quam arbores frugiferæ atque felices, manu positæ, institutæ, digestæ, quid nisi horti dicendi sunt? Rursum cum audis extrinsecus esse parietes, intus autem aulam, conclauia, curiam, item sacella, altaria, sedilia Canonicorum, thronum Episcopi & cætera huiusmodi, non aliud quam ædes esse putaris. Sunt autem parietes ex truncis citrorum confecti & tamen frondibus vestiti, vt percipi introrsum nequeant, nedum intrari: ita cum

cum rami adolescunt, intorquentur atque inflectuntur, ita insiti atque inserti, consiti atque conserti coalescunt, vt omnes rimæ expleantur, vt nihil vacui relinquatur, vt pariter firmitatis & decoris ex frondibus ratio constet; eodem pacto introrsum, quæ enumerauí, composita sunt, clericis laicisque deseruientia: pauimentum laterculo quadrato vitreatoq; ac picto constratum est, velut paradisus quidam terrestris. Hæc Vall. In Africa quoque recensentur ædes regibus magnificentissimæ, velut apud Memphim describit Iouius historiarum suarum libris. Sed illa admiranda est domus, quæ fuit Chebreni regis Ægyptij, cuius altitudo ad stadij mensuram porrigitur, pertingens ad cuiuslibet pyramidis summi cacuminis altitudinem; tota extructa ex Æthiopico lapide, & ne solum cœlum petere altitudo videretur, etiam inferna admiranda continebat: subterranea enim eius ad quadraginta deorsum pedes descēdebant. Herod. lib. 2. cap. 10. Quæ quidem palatij structura firmior est quam ea; de qua Petrus Martyr meminit in summario rerum noui orbis. Tradit enim Abibeibam regulum inhabitare paludem ingentem, in qua arbores excelsæ frequētissime, quæ perinde ac nemoroso solo frondeat. Ipse igitur cum reliquo eius populo arbores inhabitat, constructis pensilibus casis: tanta enim sunt amplitudine arbores, vt octo viri coniunctis vlnis non complectantur. Ferunt igitur magnam illarum domorum contignationem, tametsi vento impellente nutare videatur, nullus tamen metus illis neque periculum, omnes illorum opes,

gazæ

gazæ,& theſauri,ſupellex,eſcæ, in ijs domibus aſſeruantur, præter vinum: nullus ibi metus ferarũ neq; hoſtium, niſi rate vehantur. Hæc ibi Petrus Martyr. Quin idem tradit in Caſtilia noui orbis populos adeo frequẽtes inhabitare plantis, vt dicere iure poſſis, oppida in arboribus eſſe. Atq; his ſane longe minor ſumtus eſt in extruendis domibus, quam reliquis nouũ orbis incolis, pſertim ſi comparentur indigenis prouinciæ Topiræ, in qua domos contegunt aureis laminis, ſi credere libet Franciſco Vaſquez, qui in illa vrbe nouæ Galitiæ præfecturam gerens eius rei literas cõſcripſit, quæ extant apud Ramuſium tomo 3. Cæterum longe minori ſumtu ac lõge minori ornatu ſunt domorum tecta Aquilonarium quorundam, quinetiam maiore emolumento; etenim nonnulli populi in domorum tectis ſerunt hordeum ac reliquas fruges: præpingui enim humo domorum tecta conſeruant, ſemperq; ea arte vireſcunt ad ſuum &pecoris alimẽtum. Adinueniendi autem circa tecta huiusmodi induſtriam cauſa fuit frequẽtium fulminum metus: humor etenim perpetuus &virens olus disijcit fulminum ignes, ne hæreant. Hæc Olaus lib. 12. c. 3. Eodemq; nomine commendandi ſunt ij Aquilonares noui orbis populi, qui domos piſcium ingentium corijs contegunt, quod memorat Ramuſius tomo 3. in noua Francia.

At quo feror? Omnia mundi climata percurro, omniaq; adduco, quæ ad celebritatem vrbium, in quibus regiæ olim ſedes fuerunt, faciant. Externa allego, domeſtica negligo. Annon vnica Roma omnium vice ſit? præſertim ſi conſideretur, qualis olim

olim fuerit; perquam enim multũ ab antiquo illo ſplendore hodie receſſit. Audiamus vero Plinium de amplitudine vrbis Romæ lib. 3. cap. 5. loquentem: Vrbem tres partes habentem Romulus reliquit, aut (vt pluribus tradentibus credamus) quatuor. Mœnia eius collegere ambitu imperatorib. cenſoribusque Veſpaſianis, anno conditæ vrbis octingẽteſimo vigeſimo octauo, paſſus tredecies mille ducentos, complexa montes ſeptem ipſa. Diuiditur in regiones quatuordecim, cõpita eorum ducenta ſexaginta quinq; paſſuum eiusdem ſpatij menſura currenti à milliario in capite Romani fori ſtatuto ad ſingulas portas, q̃ ſunt hodie numero 37. ita vt 12. portæ ſimul numerẽtur, prætereanturq; ex vereribus ſeptem, q̃ eſſe deſierunt. Efficit paſſus per directum trigeties mille ſeptingentos ſexaginta quinque. Ad extrema vero tectorum cum caſtris prætorijs ab eodem milliario per vicos omnium viarum mẽſura colligit páulo amplius ſeptuaginta millia paſſuum. Quodſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æſtimationem concipiat, fateaturque nullius vrbis magnitudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari. Clauditur ab oriente aggere Tarquinij Superbi intra prima opere mirabili; namque eum muris æquarunt, qua maxime patebat aditu plano. Cæterum munita erat præcelſis muris aut abruptis montibus, niſi quod expatiantia tecta multas addidere vrbes in prima regione. Hæc Plinius. Quibus perſuaſum nobis videri poteſt, venientibus Romam ædificia ac tecta reliqua vrbi adiacentia cœpiſſe videri: imo cœpiſſe eſſe

Ocri-

Digitized by Google

Ocricoli oppiddo, quod hodie ab vrbe distat triginta & eo amplius passuum millibus; continuisque ædificiorum structuris hoc omne, quod superest, vsque Romam viæ hinc inde ornabatur, adeo vt qui paululum eius viæ ab Ocricolo confeciſſet, iam se Romam ingressum putaret, vt recolit Leander. Ideóque, quod Vopiscus habet, Aurelianum imperatorem ampliasse vrbis Romæ muros ad quinquaginta fere millia passuum, quod & Cassiodorus habet in Chronico, & Otos. lib. 7. cap. 23. non ita accipiendum est, vt omnia ædificia hoc ambitu continerentur; sed tantummodo ipsius vrbis mœnia montesq; eius septem: at suburbia tectaque reliqua extra vrbem ad eam dimensionem, quam diximus ex Plinio, porrigebantur. Quod igitur Plinius ait, expatiantia tecta multas addidisse vrbes, argumento est, omnẽ circumcirca regionem ædificijs ita cultam, vt Romæ adesse quisque videretur, etiam longe absens. Id manifestum facit Constantius imperator & alij, vt ex Ammiano memorat Leander. Veniens Romam Constantius itineris comitem sibi adhibuerat Hormisdam, petitissimum architectum genere Persam: Ocricolo igitur discedens suis præcepit Constantius, ne quisquam Hormisdæ Romæ initium significet, sed suo ille iudicio animaduertat. Suburbiorum itaq; parte maxima transacta, Hormisdam interrogat imperator, qd sibi de vrbe Roma videatur, & quantum iam itineris in ipsam confectum conficiendumve esset; respondit Persa, putare iam vrbis dimidium inambulasse, adeo splendida continuaque iam ex

Ocrico-

Ocricolo ſuburbiorum ædificia ſemper fuerant ſpectata. Qui igitur nondum in vrbem peruenerat, iam ſe in vrbe eſſe putabat, cum multis adhuc abeſſet paſſuum millibus. Ex Ocricolo igitur ſuburbiorum erant initia: quod & Claudianus ſubindicat in ſexto Honorij conſulatu, vbi ſic habet:

Inde ſalutato libatis Tybride lymphis
Excipiunt arcus, operoſaq; ſemita vaſtis
Molibus, & quicquid tantæ promittitur vrbi.

Dionyſius quoque libro 4. ſuffragatur his verbis: Sunt omnia (inquit) circa vrbem habitata loca: multa ea & magna facilimaq; aduenientibus hoſtibus fieri obnoxia: ſiq; aliquis ad hæc ſpectãs velit Romæ magnitudinem exquirere, is & errare cogetur, nec habebit ſignum vllum certum, quouſq; ſit hæc vrbs progreſſa, aut vnde eſſe non amplius vrbs incipiat, ita vrbi contexta eſt regio, prębetque ſpectantibus opinionem extenſæ in infinitum vrbis. Ariſtides quoq; ſic ait: Deſcendit hęc vrbs vſque ad mare, vbi commune emporium, communisq; omniũ, quæ terra eueniunt, diſpenſatio: quacunq; in parte eius vrbis cõſtiterit quis, nihil prohibet, quo minus ſit pariter in medio: quicquid nunc Italiæ reſtat, completura eſſe mihi videtur: vnaque futura vrbs perpetua in Ionium mare protenſa. Hæc ille. Recolit eadem Antonius Maſſa Galeſius I. C. apprime doctus in libello de origine Faliſcorum. Addere libet, quo magis miremur, & vt Plinium ſeniorem recte ſcripſiſſe teſtemur, ad ſeptuaginta millia paſſuum Romam protenſam fuiſſe; non modo vſq; ad mare ipſam

peruenisse; verum etiam ipsum littus Ostiense ad multa passuum millia perpetuis propemodũ ædificijs ornatũ spectabatur. Referam in id verba Plinij iunioris in Epist. ad Gallũ lib. 2. Littus (inquit) ornant varietate grauissima, nunc cõtinua, nunc intermissa tecta villarum, quæ præstant multarũ vrbiũ faciem, siue ipso mari, siue ipso littore vtare. Hæc ille. Quanta autem eius vrbis tũ maiestas esset, vel inde patet, quod mille senatores esse cõsueuerant, licet plerique abortiui, sed horum immodicum numerum correxit Augustus, cuilibet censu annuo aureorũ triginta millium adscripto, vt Sueton. memorat in reformatione senatus Octauij: & recolit Budæus de Ass. lib. 2. qui lib. 5. adijcit, cum senatoribus census adscriptus esset singulis ad quingenta sestertia annua, paupertati tolerandæ id erogari consueuisse: vt ita duodecim millium census senatorius paupertatis nomen nõ amitteret, cũr hodie in senatu sacro, qui duodecim huiusmodi millium aureorum censum habuerit, inter diuites cõscribatur, p̃ter id, quod longe maioris æstimationis erant Romanorũ tempore illa duodecim, quã hodie triginta, adeo aureorũ valor est immutatus. Attamen etiã Adriani tempore, cũ is aliquando Centumcellas vrbem veterẽ scilicet refocillandi animi causa diuerteret (vt auctor est Cæcilius) cellas centum iudicibus, vt se ibi p̃sente causas audirẽt, extruxit, quæ postea in vrbis iustæ formã cum creuissent, Saracẽi Bernardi regis tẽpore (fuit autem hic Caroli M. nepos, qui Italiam Longobardis pulsis obtinebat) diruerunt. Hic D. Augustinus de Trinitate libros cõposuisse dicitur, teste Egnatio in scholio ad Commodum. Ideo autem

tem diximus Centumcellas vrbē veterem, vt moneamur, Centumcellas in Baiano quoq; sinu reptas, de quib. Leander in Campania. Ciuiū Romanorum copiam tradidere plerisq; in ijs Eusebius Chronico sub Claudio, & Freculfus & alij, cōperta fuisse aliquando ad LXIX. centena CLXIII. millia, & eo amplius: quanquā nonnullis videatur, nō ita ciues conscriptos, qui Romæ degerēt, sed qui per orbem Romani ciuis nomine decorarētur. Quin &, vt Polybius scribit, in publicis Capitolinis tabulis fuisse descripta ex omni Italia septingēta peditum millia, ac equitum millia ducenta. Sed quod nusquam ab orbe condito contigit, erāt ciuium Romanorum opes tantæ, vt diues non putaretur, qui annuo reditu suis sumtib. legionem alere non posset: fuisseq; eiusmodi plurimos vel inde constat, q̄ Lucullus Romanus ciuis (quem Cicero & Cæsar Xerxem togatum appellabant, vt Plinius & Blondus memorant) ad viginti quinq; hominum millia honorificentissime hospitio excipere poterat; nec tamen ipse solus id potuit in vrbe Roma, quando quidē viginti ciuium millia, & eo amplius in ipsa vrbe cōperta memorantur, qui cum Lucullo de diuitijs cōtendere potuissent; vt ex vetustis monumentis solo argumento hoc Franciscus Albertinus affirmabat Pontifici Romano Iulio II. omnibus, qui orbem incolunt, regibus persuaderi potuisse, nullam vnquā vrbem fuisse futuramve, quæ Romæ diuitijs æquari posset; vt autem verisimile id videatur, suadet, quod Suetonius meminit, Cæsarem Campum Stellatem maioribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia Reipublicæ vectigalem relictum diuisisse extra

ſortem viginti millibus ciuium, quibus terni pluresq; liberi eſſent: q̃ munus tanti fecerunt ciues illi, qui acceperunt, vt tãquam vna ſodalitas inde effecti, pro communi omnibus elogio ac titulo in monumentis ſe ſinguli Stellates inſcripſerint, vt memorat Blondus, qui adijcit, intra vrbem ciues illos omnes fuiſſe conſcriptos, fuiſſeq; non ſolum viginti, ſed multo plura ciuium millia tũ Romæ, qui ædium, ſuppellectilis, familiæ & apparatus omnis ſplendore, lautitiaque eminerent. Quantus autem ille Stellates campus eſſet, deprehendere licet è Liuij Decad. 1. libro 3. libro 9. & 10. & Dec. 3. libro 3. Quodſi forte ambigamus, non viginti millia, ſed duo millia ciuium Romanorũ tantæ opulentiæ extitiſſe; adhuc incredibile videri poteſt & longe admirandũ, vt ſi animis concordaſſent, potuiſſent milliones multos militum conſcribere, ſi vnicam tantum legionem quisque eorum aluiſſet. Erant autem Romæ innumeri valde diuites, ſed in eorum, quos diximus, numerum non referebantur: ac prætermiſſis reliquis ſint nobis exẽplo duo Plinij viri doctiſſimi & diuitijs etiam affluẽtes. Senior enim pręter id, quod Romanam claſſem imperio regebat, pecunię plurimum poſſedit; idq; inde deprehendimus, quod cum procuraret in Hiſpania, vẽdere potuerit electorum commentarios Largo Licinio quadringentis millibus nummum: reſpuiſſe autem tam magnum pretium conſtat ob id, quod ſibi affluere pecunia. Scripſit hoc nepos Plinius ad Marcũ, libr. 3. Alter igitur hic iunior Plinius ditior certe fuit ſeniore auunculo: at opes eius in eum, quem

dixi-

diximus, ditissimorum hominum numerũ referri non potuerant. Quantum autem pecuniarũ illi affluueret, munificentia demonstrat, qua ille non secus insignis fuit, quam sint nostri temporis summi principes. Nam Quintiliani filiæ nubenti non rogatus vltroq; contulit quinquaginta millia nũmum, idque munusculum nuncupat scribens ad ipsum Quintilianum lib. 6. Romano quoq; Firmo sibi ab adolescentia cognito, vt in equestrem ordinem cooptari ille posset, dono dedit trecenta millia, extat Epist. libro 1. ad ipsum Romanum. Caluiniæ præterea affini centum millia dotis nomine largitus est: Epist. lib. 2. ad ipsam Caluiniam. Suo quoq; municipi Metilio Crispo, vt ad equestrem ordinem, in quem conscribebatur, sese instrueret, dono dedit quadraginta millia. Epist. ad Hispanum libro 6. Ad alendos ingenuos pueros quingenta millia contulit, triginta scilicet millia annua, Epist. ad Caninium libro 7. At quãtus fuerit alias in res pro opportunitate absumtarum pecuniarum numerus minore summa, quarum nulla in scriptis memoria? quantum quotidie, non dico in domestico sumtu, in amicos, necessarios, calamitosos quoque profuderit? illæ, quas diximus, ingentes erogationes nos docent, quantum minoribus erogare potuerit. Animaduertimus igitur liquido, num summi nostri seculi principes illius munificentiam superent. Erant certe illi villæ tanto ornatu & sumtu excultæ, vt regiam maiestatem adæquarint. Tusci sui villa scilicet apud Tifernates, sicut & Laurentini in littore Tyrrheni maris, de quibus scripsit suis Epistolis

diſertiſſime, regum magnificentiam adęquabant. Habuit præterea plures villas in ripis lacus Larij: habuit Prænestinam, Tuſculanam ac Tyburtinam ſplendidas omnes; habuit & alias, quarum vnam vendere| potuit nongentis millibus: ipſe id memorat Epiſtolis ad Fabatum, & ad Coreliam libro tertio. Quid moror? additamentum villæ vnius illi fuit emtum ſeſtertio tricies, id eſt, octoginta fere millibus aureorum, Epiſt. ad Caluiſium Ruffum libro 3. Sed cur adeo multa de iuniore Plinio? ob id certe, quod quicquid confert ad eius gloriam, recidit ad Chriſtianorũ laudem. Deus enim cœli & terræ dominus contulit homini viuenti, velut rependens gratiam humanarum rerum, quod apud Traianum imperatorem ſuis ex Aſia literis egerit, vt perſecutio Chriſtianorum intermitteretur, quod exorauit, editis in id à Traiano publicis literis: cum ipſe Plinius iam pridem, quoad ſe ſpectaret, abſtinuiſſet pſecutione Chriſtianorum, quorum inſtitutum potius laudaret: extant enim & ipſius Plinij & Traiani literæ libro decimo. Æquum igitur fuit, vt tanti hominis acta hoc loco recenſerentur. Libet præterea & de Seneca Sancti Apoſtoli familiari recolere, ter millies ſeſtertium habuiſſe, Tacito & Budæo teſtibus; atque ita ſupra ſeptem milliones poſſedit. Et eæ quoque Senecæ opes non conſcribuntur inter eas, quas ſupra diximus. Sed de hac re hactenus.

Excedebat igitur Romana maieſtas omnem orbem, iureque Cyneas Pyrrhi Epirotarum regis legatus & Conſtantius imperator Conſtantini

Magni

Digitized by Google

Magni filius dictitabant: sese in vrbe tot prospectare reges, quot ciues viderent. Externæ autem vrbes, quarum meminimus, non adeo omni ex parte Romæ comparandæ sunt, licet aliquo nomine ei præferantur, vel ambitu, vel ciuium numero, vel populorum adiacentium illa incredibili multitudine, quam apud Mexicum esse recoluimus.

Sane solitudini Roma esset similior quam vrbi, nisi sedes Pontificalis ibi fixa viris principibus, nobilibus ac prælatis vrbem augeret; nisi maximo hominum numero, qui sibi & suis inseruiunt, vrbẽ repleret; nisi splendidissimis ædificijs, aquæductibus, fontibus, vicis, alijsq; rebus nitidissime vrbem exornaret; nisi venerandis negotijs, quotũ nonnulla cultum religiosum, nonnulla ciuilem politiam concernunt, ecclesiasticos reditus impenderet; nisi his rationibus tot negotiatores, tot propolas, tot artifices, tot opificia, eorumque cultores attraheret & detineret. Rebus ergo ita vt nunc, seu olim verius, Romæ stantibus, non facile ea vrbs alteri vrbi, quæcunq; tandem ea sit, omni ex parte cesserit.

IOANNIS BOTERI DE VRBIVM ORIGINE, MAGNITUDINE & ſplendore LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Vtrum expediat ciuitati, paucos an vero multos habere ciues?

CVM nimia hominum frequentia ciuilis vitæ ordinem & diſciplinam reddat difficiliorem: quandoquidem multitudo perpetuis errorib⁹ implicatur: viſum fuit veteribus vrbium fundatoribus certum ciuium numerum deſignare, qui ſi excederetur, fieri haudquaquam poſſe putarent, vt Reip. ſuæ pax & tranquillitas conſtaret. In hac opinione fuerunt Lycurgus, Solon, Ariſtoteles & alij plures. Cuius rei hanc potiſſimum habuerũt rationem, quod rara ſit in nimia multitudine (quæ præter loci capacitatem confluxit) concordia, rara morum ac ſtudiorum ſimilitudo; quocirca optimam eam eſſe Reipubl. formam ſtatuerunt, ſi, quantumuis immenſa & numeroſa, ciuitas ex mediis ciuibus ſit compacta ac conſtituta, quæ neq; abundantia rerum nimia inſoleſcere, neq; nimia rerum penuria cõtabeſcere videatur, vbi quisq; ſorte ac fortuna ſua contẽtus in ea viuit, minusq; aliena appetit, vnde magna vis amicitiæ ciuilis naſcitur, in qua viuit, viget, floret & cõſeruatur ciuitas: quo ergo maiores ſunt ciui-

ciuitates ex medijs ciuibus conſtitutæ, eo minus ſeditionibus ſunt obnoxiæ, atque ob eam cauſam magis ſunt ſtabiles ac diuturnæ: quæ quidem eſt ſententia Ariſtotelis Polit. cap. 2. & 5. & Platonis 3. de legibus. Quibus & hoc additur, quod vbi de quantitate ac numero ciuium certo conſtat, non tam procliue ac facile in ferendis legibus erratur, omnino enim leges pro quantitate & qualitate ciuium temperandæ ſunt, ne ſuſceptus labor in legibus ferendis inanis & otioſus fiat, ne concentus & harmonia ciuium in extrema diuitum pauperumque odia diſcordiasq; commutetur, vnde velut paralyſis & conuulſio membrorum in corpore ciuili non ſine magno diſpendio naſcitur. Sicut enim quantitatis ac qualitatis proportio in corpore naturali venuſtatem: ita vtriusq; debita conſideratio in corpore ciuili ſi[illegible]ularem vnitatẽ efficit: quippe vt illis in quandã temperiẽ naturæ vi redactis multa mẽbra ſpecie diſtincta vnũ corpus: ita eiſdẽ in ciuitate ad quendã cõſenſum deductis variæ Reip. partes, q̃ officio diſtinctæ ſunt, vna ciuitas efficiuntur; q̃ ſi intra p̃dictos terminos contineatur, non eſt, vt ait Ariſt. verendum ciuium diuortium. Inuehiturque Ariſtoteles grauiter in eos, qui à multitudine ciuium potentiam ciuitatis magnam metiuntur ac definiunt. Magnum enim (inquit) proprie id dicitur, quod opus, ad quod deſtinatur, expedite poteſt perficere; hoc autem in ciuitate non immenſa turba numeroq; hominum, ſed certa & excellenti facultate ciuium definitur: non ergo (concludit Ariſt.) à vaſtitate loci, non à ciuium numeroſa turba, non à

multitudine rerum, ſed ab egregia potentia & (vt ita loquar) ſufficientia feliciter ac fortunate agendi magnitudo ciuitatis pendet. Nam quemadmodum in re militari non militum confertiſſima multitudo, ſed vis & ordo magnam victoriam præſtat: ita in re ciuili non ſylua hominũ, ſed optima diſpoſitio & potentia ciuium magnam vrbem aut ciuitatem facit. Altera ratio à comparatione ducta ſuas vires in natura habet. Sic enim Ariſtoteles: Ciuitas magna dicitur, vt Medicus ille Hippocrates magnus fuit; non quidem vaſtitate corporis ſed artis excellentia: ſic ciuitas magna non numero ſed potentia habenda erit. Deeſſe in hac re exẽpla nõ poſſunt, ſic magnus Alexander, magnus Pompeius, ſic magnus Cæſar fuit. Præterea cum multitudo in ciuitate ſit duplex, ciuium nimirum & eorum qui ſerui, inquilini & peregrini dicuntur, quodſi ſeruorum ac peregrinorum augeatur numerus, funeſtior ciuitati afferri peſtis nõ poteſt. Inſuper conſerta, &, vt ita loquar, infinita hominũ caterua nec facile in ordinẽ cogi, nec ratione coerceri, nec legib. ſapienter dirigi & gubernari poteſt. Impedit .n. rectam imperãdi formam numeroſa multitudo hominũ, niſi diuina mẽs ac potentia eſſet, quæ ciuitatẽ & vrbẽ, vt Deus vbiq; ſubſiſtens, terrarum orbem regeret: nimia ergo & exuperans multitudo ciuitatis leges violat, ordinem peruertit, dignitatem obſcurat, contemnit magiſtratũ, omnẽ perniciem ac cõfuſionem parit.

Verumtamen quoniam multitudo ad cõplendam ciuitatis magnitudinem requiritur, quanta & qualis debeat eſſe hæc magnitudo, dubitari nõ

abs

ábsre poteſt. Huic ergo dubitationi obuiaturus Ariſtoteles, quandam, inquit, magnitudinẽ reqri numero completam, hoc addito, vt neq; excedat modũ neq; deficiat nimium; iuſtam autẽ proportionem noueris, ſi egregie præſtare poſſit ciuitas id operis, ad quod deſtinatur. Nam vt ſatis tũ ſanũ corpus humanũ dicitur, cum nulla vel totius vel partis actio impeditur: ita ciuitas ſatis tum magna habetur, cum facile ſuis officijs muneribusq; fungitur. Sic.n. fit in ciuitate, vt in naturę artisve opere: nam vt animal, homo, planta reſpectu naturæ (ad proportionem perducentis omnia) ſi partes abundent aut deficiant, dicuntur monſtra; & vt nauigium palmi vnius longitudinis, aut ad duorum ſtadiorum longitudinem porrectum omnino inutile & ineptum eſt nauigationi, aut quia nimis paruum, aut quia nimis magnum exiſtit: ita ciuitas quæ nullam ſymmetriam & proportionem ſuæ magnitudinis & paruitatis habet, habetur illa quidem aut vana aut nulla. Nam ſi ſit nimis exigua, omni euentu fortunæ deficit & labaſcit; ſi vero ſit inſtar Babylonis immenſa, præco (vt inquit Ariſtoteles) ſonoram vocem Stentoris habere debet; nam aliter in publicandis edictis percipi & audiri non poteſt; quaſi diceret, ſi ciuitas ſit nimis magna, confuſa quoque erit. Concludit ergo, ciuitatem tum eſſe ſatis magnam, cum tanta in ea eſt multitudo, quanta ad bene beateque viuendum ſufficit, quæque ſuis bonis contenta eſt. Ad extremum; In vaſta & nimis populoſa ciuitate ciuium claſſes non ſunt probe diſtinctæ, illorum ordines

non

non ſunt ſatis noti, imo quod eſt maximum, ciues ciuibus, & illorum ordines magiſtratibus ignoti ſunt: At vero vbi ciues ciuibus ignoti ſunt, ibi neceſſe eſt munera ciuitatis minus conſiderate diſtribui, iudiciaque minus iuſte & ſapienter fieri; circa quæ duo aut negligenter agere aut turpiter errare valde periculoſum eſt ciuitati. Non ergo in populoſa multitudine hominum, ſed in iuſta proportione ac potentia ciuium materia ciuitatis aut magnitudo cernitur. Atq; hucuſq; ex ſententia Ariſtotelis.

Romani vero, quibus exploratum erat, potentiam, ſine qua respublica ſtare non poteſt, maxima ex parte in populi multitudine conſiſtere, omnem mouerunt lapidem in augenda patria tam ædificiorum numero quam hominum. De quo etiam ſupra in lib. de Illuſt. ſtatu prolixe dictum fuit.

Sane ſi pari ingeniorum ac morum ratione omnes homines ducerentur, vtique veterum opinio non eſſet admodum improbanda. Cum vero aurum non ſit ſine ſcoria, granum ſit ſine palea, id eſt, cum homines non ſine infirmitate viuant, & loco iuſtitiæ atque æquitatis, vis prædominetur, ob id Græcorum opinioni, Latinorum ſententiam anteponendam merito ſtatuo. Docent enim hiſtoriæ, Lacedæmonum & Athenienſium respublicas (cæteras iam omitto) amiſſis in prœlio ſeptendecim virorum millibus, ilico concidiſſe: Romani vero quamuis pluries victi cederent, victores tandem triumphaſſe. Certum eſt, Romanos in bellis cõtra Pyrrhum, Carthaginenſes, Numan-

Digitized by Google

Numantinos, Viriatum, Sertorium, maiores accepiſſe clades, quam hoſtes; nihilominus tamen ſemper victores extiterunt, beneficio multitudinis, qua hoſtẽ quantumuis fortem & alacrem non raro ipſi ſparſi & repreſſi non minus quam fortitudine ſuperarunt.

Cæterum cum in ſuperioribus libris prolixe ſatis actum ſit de ratione amplificãdarum vrbium, proinde hic repetere ſuperuacaneum ducentes, lectorem eo remittimus. Vnicum duntaxat colophonis loco, non quidem vt apprime neceſſarium, ſed quia lucem haud paruam operi huic allaturum exiſtimaui, annectere, atq; ad diſſerendum propinare viſum fuit.

CAPVT II.

Quid cauſæ ſit, quod vrbes, floris ſui maturitatem aſſecute, raro maius ſumant, augmentum imo ſæpius decreſcant.

NON deſunt qui hactenus adductas rationes, quasque poſterior ætas inueniat, iudicent ineptiores, quam quæ acceſſiones perpetuas ciuitatibus adiungant. Itaque prope conſiderandum, ecquid cauſæ ſit, quod vrbs certam potentiæ metam ſemel aſſecuta non altius progrediatur, maiorique ciuium numero non augeatur.

Satis documenti in omnes caſus eſt Roma; quę teſte Dionyſio Halycarnaſſæo, cum primum à Romulo conderetur, 3300. viris bellicoſis conſtabat, atque intra triginta ſeptem illos annos, quibus Romulus regnauit, ita excreuit ciuium numerus, vt adhuc eo viuo quadraginta millia

ſeptem

ſeptem millia virorum bellicoſorum Romæ numerentur. Centum & ſeptem annis poſt obitum Romuli, regnante Seruio Tullio Romanorũ rege, ciuium qui arma ferre poterant, octuaginta millia Romæ numerabantur. Tandem creſcens vrbis potentia ad quadringenties quinquagies millia peruenit. Hinc quæſtionis eſt, cur Romana incunabula ad tam immenſam potentiam excreuerint, multitudinem autem illam nunquam tranſcenderint? Quod idẽ de Venetijs ac Mediolano quæri eadem prorſus ratione poteſt, quippe quæ & ipſæ ante annos quadringentos tanta ciuium multitudine, quanta hodie, conſtiterunt.

Sunt qui peſtem, bella, annonæ caritatem aliaq; accuſent. Querela certe, me iudice, iniqua. Quæ enim hominum ætas non ſenſit graſſantem peſtẽ? An non plures olim in prælijs cecidere quam nũc? Aperto marte veteres cõfligebant, vbi tribus horis maior expirantium numerus erat, quam aliquot annis iam hoſtis obtruncat. Hodie aperto Marte nunquam fere pugnatur. Muri hodie loco clypeorum obiectantur, intra quos delitescitur, è quorum angulis plerique inſidioſe cõficiuntur; raſtra & arma pugnantium æquali ſunt pretio. Quinetiam mundo ſuæ ſemper fuerũt viciſſitudines: tam annonæ vilitas quam caritas, tam ſanus quam infectus aer fuit; quod cum ex hiſtoriarum monumentis ſatis conſtet, longius non abibo.

Quid igitur? Cur auctæ vrbes vt ab initio, porro non itidem augentur? Adferunt huc nonnulli Dei omnipotentis, qui cuncta gubernat immo-

tam

tam voluntatem, fatalemq; ordinationem. Verum hoc dubium nemini. Posteaquam vero diuina sapientia, nullis terminis, nullis finibus circundata & inclusa in omnia diffusa est, in gubernando naturæ cursu non reijciens causas secundas vlterius quæro: Quænam illa sunt media quibus vsa diuina prouidentia pauca multiplicat & auget, aucta vero intra certas metas cohibet, vlterius vt progredi non queant.

Pro quæstionis solutione aio, posse similiter de genere humano quæri. Propagatum enim ab vno mare & fœmina intra tria millia annorum ita auctum est, vt & insulas maris & continentem suo semine replerit. Cur vero illius temporis augmenta desierunt? cur nostra ætate non similiter multiplicantur?

Vt autem quæstioni satisfaciam, ita ad eam respondebo, vt non tam ad ciuitates, quæ numero ciuium non amplius augentur, sed etiam ad vniuersum hoc mundi theatrum applicari hæc responsio possit. Aio itaque:

Multitudinem ciuitatis aut à virtute generatiua aut à nutritiua proficisci. Virtus Generatiua vsque huc sui similis: aut saltem ita comparata, qualis fuit ante tria millia annorum. Æque enim homines ad suscipiendam prolem apti sunt, atque tempore Dauidis, Moysis. Fac igitur nihil aliud obstare, annon vrbium incrementa erunt infinita? Posteaquam vero in infinitum non augentur, est vt sublato digito fatearis, rem omnem inopiæ alimentorum imputandam.

Ali-

Digitized by Google

Alimenta aut ex noſtra tellure, aut peregrina petuntur. Omnisque vrbis incrementa victualibus aliunde inuectis iuuantur. Vt autem obtineamus, frumenta ex longe remotis terris nobis aduehi, eſt vt virtus attractiua tantarum ſit virium, quæ vincant ſalebras & aſperitates regionum, vallium profunditates, impetus torrentium, pericula maris, inſidias piratarum, inſtabilitatem ventorum, magnitudinem ſumtuum, incommoditates viarum, inuidiam vicinorum, inimicitias hoſtium, tempus vecturæ, annonæ caritatem in ijs locis, vnde merces deportantur, diſſidia nationũ, diſparitatem religionis, &c. Hæc enim omnia patiter cum incremento & decremento vrbis accreſcunt & decreſcunt: donec eo deueniat potentiæ vbi humanæ inuidiæ & odio nullus amplius detur locus.

Quis enim quæſo perſuaſerit mercatori, vt frumenta ex India Romam mittat: aut, vt Romanus ea inde expectet. Fac autem vtrinq; mitti & expectari, quis in regionibus illis vbiq; pollicebitur lætos & vberrimos frugum prouentus, populorum amicitias & pacem? commeatus & itinera tuta? Aut quo pacto Romam inuehentur frumẽta illæſis aurigis aut baiulis, ne labori ſuccumbant & ſine fortunarum diſpendio eant.

Vel vnicum de his impedimentis ſufficit ad diſſiciendum vrbium ciues, externo auxilio deſtitutos, tot vero & tantis incommoditatibus immerſos, & diſpergendum. Vel vnica caritas, famis bellique violentia, impedimenta negotiationum aliaque ſat virium habẽt ad commouendos ciues,

vt.

vt, (ceu hirundines aduentante hyeme) conclamatis vasis alio se recipiant.

Ordinaria ciuitatum magnitudo consistit in his terminis, quibus vix contentæ esse possunt. Omnis vero ciuitas, quę alimenta sua aliunde per prædictas incommoditates contrahit, diu durare nequit. Sic enim affectus est quisq;, vt omnes opportunitates, quæ obuiæ patent, quam diligentissime captet.

Accedit huc quod vrbes maiores caritatibus facilius subiaceant, quam minores: quod pluribus alimentis egent. Grauius etiam pestis illis immorari solet, quia lues illa vrbes hominibus pluribus abundantes vehementiore contagio afficit, pluresq; tollit, quam pagos, vbi minor est hominũ frequentia. Paucis vt perstringam; A magnis vrbibus nihil illorum abest, quæ supra recensui: cum quoque pluribus indigeat, quæ ex se mutuari nequit. Hinc effectum est, vt, quamuis eadem vis generandæ prolis & in primis Romæ auspicijs & in eiusdem flore permanserit in ciuibus, nihilominus ceu pede fixo substiterit: quia virtus Nutritiua altius ascendere nequiuit. Subsequentibus temporibus, cum victualia magis magisque deficerent, aut nulla iuncta sunt matrimonia, aut vt maxime iuncta sint, liberi tamẽ egestate pressi animo ab educenda prole abiecto, ex patria meliorem fortunam periclitaturi migrarunt. Huic malo vt Romani tempestiue occurrerent, colonias deduxerunt: solum eo, vt ceu plantæ transfatę latior illis ansa pręberetur ad commodiorem vitæ sustentationem.

Sic quoq; genus humanum certum numerum attigit,nũquam cancellos, quibus ſeipſum quaſi circumdedit, transgreſſum. Abierunt autem tria millia annorum, cum non minor,atque nunc eſt, in mundo viueret hominum copia. Fructus enim terræ nó ſufficiunt pluribus alendis.In Meſopotamia primũ genus humanũ augeſcere cœpit: inde progreſſu temporis in omnes terræ fines eſt diffuſum. Tandẽ repleta cõtinente inſulæ habitari cœptæ:donec tandẽ multis vertentibus annis etiam illas regiones, quas hodie nouũ mundũ appellãt, occuparũt.Quod quæſo ſub ſole exiſtit peius Eridis pomum, quod maiorib. diſſidijs,rixis, pugnis, horribiliore ſanguinis effuſione defendere quisq; conatur,quam tellus,victus,ſedisq; inhabitandæ commoditas? Sucui laudi ſibi ducunt, quod regiones ipſis conterminas per aliquot centum milliaria ſteriles effectas devaſtarunt. In nouis inſulis, in inſula Dominica finitimisque locis incolæ exeunt homines venaturi, quemadmodum nos ceruos aut lepores ſectamur, & carne humana ceu ferina veſcuntur. Hos imitantur quidam populi in Braſilia, præcipue Aymurij, vt vocantur. Mactant ij &viuos deuorant liberos,filiæ ſiue filij ſint perinde illis eſt. Grauidas mulieres diſſecant, fœtum excindunt, ſuper prunis aſſant, & in conſpectu parentum deglutiunt,id quod horrendum eſt auditu,nedum viſu.

In Guinea adeo pauperes & egeni plerique viuunt, vt ſuos filios admodum vili pretio Mauris vendant in barbariam abducturis: aut Luſitanis vendunt in nouas inſulas abducendos;aut Caſtilianis

lianis in nouas insulas ablegandos. Idem quoque accidit in Peru, cuius incolæ liberos suos fere mullo pretio vendunt proximo cuique obuio. Ad hanc ἀπορίαν egestas cogit, quæ fere impossibilem reddit sobolis educationem. Tartari & Arabes ex solo rapto viuũt. Nasamoni & Casti, plane feri in Æthiopia, similiter ex rapto viuunt, naufragos deprędantes: id quod sæpius experti sunt Portugalenses.

Neque obscurum cuiquam puto, Gallos, Teutones, Gotthos, Vngaros, Anaros, Tartaros aliosq; populos, cum patria angustior esset, quam vt omnes caperet & aleret, haud semel in exteras regiones eiectis incolis migrasse. Hinc intra aliquot secula tot mutationes passim in Europa atque Asia, quarum regiones atque vrbes aduentitia gens pulsis primis colonis occupauit. Ratio in promtu est: aut enim nimiam incolarum multitudinem patria non ferebat: aut melioris vitæ alibi ducendæ desiderio illi tenebantur.

Vnde quæso subortæ prædationes & latrocinia, annon ex paupertatis miseria? Vnde tot contentiones & controuersiæ finium herciscundorum, annon ex ditionis incapacitate? Limites, fossæ, sepes, maceriæ, &c. quibus prædia circundamus, custodes vuarum & frugum, fores ædium, seræ & pessuli, canes appositi, annon satis arguunt mundi angustiam, quæ tenuius necessaria suppeditat, minusque desideria explet? Quid commemorem cruenta arma, in quæ inuicem procumbimus? Quid sæua

& diuturna bella omnia proruentia? Quid commeatus, munitiones, præsidia, expeditiones? quid muros.

Neq; hæc malorum lerna omnia continet. Accedunt enim præterea soli sterilitates, annonæ caritates; occultæ & pestiferæ cœli ἰνίγματα & influentiæ, morbi contagiosi, pestis, terræmotus, inundationes maris aliarumq; aquarum, & si qua sunt, vt certe sunt, innumera alia. Annon his omnibus & singulis satis efficax vis inest euertendi vrbem, transferendi regna, nunc hos nunc illos incolas eijciendi? Quæ cum ita sint, nemo est qui iam non videat causam, cur humani generis originalis amplificatio hodie subsidat.

CAPVT III.

Quibus adminiculis parta dignitas & magnitudo conseruetur.

POSTEAQVAM vrbem nostram produximus ad dignitatem & amplitudinē q iam habitus & natura situs prædictarum rationum ferre potest: omni cura enitendum est, qui dignitas & magnitudo parata conseruetur. Simul & semel vt dicam: necessaria omnino hic requiruntur. Iustitia, Pax, & Abundantia. Iustitia suum cuiq; tribuit, fortunasq; nostras in tuto locat, nec est personarum acceptrix; potentiorem imbecillo, diuitem inopi, gentilem inquilino, ciuem aduenæ, patriciū plebeio minime anteponit, sed æquabile ius vniuersis impertitur. Atq; hoc vel solo Iustitiæ nomine, quippe quę

omnes

omnes sub se virtutes continet optime quęq; respublicæ commendantur. Hinc tanquam pro insigni iustitiæ Romanis olim gladius ad deterrendos seditiosos & sceleratos publice propositus fuit. Vt enim secundum Festum, apud eos insigne imperij & armorum hasta fuit (Proconsules enim de ciuilibus prouincialium causis cognoscentes, pro tribunali hastam erigebant) ita in facinorosos homines animaduertentibus illis gladius semper in conspectu erat, sicut erudite admodum illud tradit Iacobus Ræuardi, lib. 2. de diuers. reg. iuris, vbi ita scribit: Sæuit inuicē discordantium rabies, & inter togas, pace rupta, forū litibus mugit insanum: hasta illic & gladius & carnifex præsto est. Huc pertinet quod Dio de Traiano scribit. Nam cum præfectum prætorio, quem creauerat, circundaturus esset ense, nudum eum illi porrexit. Cape hunc, dixit, & siquidem bene imperauero, pro me hoc vtere: Sin male, aduersus me. Hoc etiam attigit Plinius, vbi eum ita commendat, Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondēdo mora: adeunt statimq; dimittuntur. Traiano quoque attribuit Aurelius Victor tres insignes virtutes: Sanctitatem domi: Fortitudinē in bellis & armis: Iustitiam & prudentiam vtrobique. Sic videmus gladium euaginatum, quod in solennitatibus imperatori & regibus præfertur, indicare iustitiam, vt terror sontibus incutiatur & insontes sciant, se sub protectione summi magistratus ab iniuria & vi tutos esse. Hoc quoque olim apud Massilienses vsitatum fuisse, testatur Valerius Max. Cæterum, inquit, à condita

vrbe gladius est ibi, quo noxij iugulantur, rubigine quidem exesus, & vix sufficiens ministerio, sed index, in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta seruanda. Moribus quoque nostris receptum est, quando equites, qui aurati vulgo vocantur, à Cæsare vel Regibus creari solent, vt gladius euaginatus illis tradatur, eorumque humeri leuiter eo perstringantur, cum commonefactione, vt iustitiam foueant, viduas, pupillos aliasque miserabiles personas à vi iniuriave defendant. Quid quod adhuc, vt fertur, in quadam imperij vrbe extat gladius rubigine propemodum, non secus ac Massiliensis, exesus, quo olim coactus fuit is, qui postremo in senatum eorum assumtus fuerat, supplicium de sontibus sumere. Neq; illi hoc ignominiosum sed potius honorificũ, vtpote factum ad tuẽdam iustitiã, fuit. Huc referri potest, ꝙ in quibusdam locis Franciæ orientalis longissima consuetudine receptum est, vt is, qui in pago aliquo, vbi furtum cõmissum est, nuperrime vxorem duxit, furi in flagranti crimine deprehenso, laqueum innectat; post omnes eius loci viri, quando nouus ille maritus signum eis peculiare dat, inprimis autem Sculteti, quorũ quandoq; plures, ppter diuersas iurisdictiones vno in loco ius dicunt, illi adiutores, esse solẽt, vt fur de annosa & mutilata extãtibus ramis quercu, ad hanc rẽ superioribus seculis delecta, suspẽdatur. Sic Maximilianũ. I. huius nominis, Cęsarem, ferunt loca destinata ad supplicia sontium, venerabundum cum hac voce, SALVE IVSTITIA, præterire solitũ. Legimus quoq; in Gene-

Genealogijs Comitũ Flandriæ, Balduinũ XII. Comitẽ, tam ſeuerũ in puniendis criminib. fuiſſe, vt à ſecuri, qua de ſontibus tũ temporis ſupplicium ſumebatur, cognominatus ſit, ideoq; cum ſecuri, veluti peculiari nota ibi depingitur. Hic vndecim equeſtri dignitate viris, eo ꝙ tres mercatores ſpoliaſſent, eosq; interfeciſſent, in palatium ſuum vocatis, & in tabulã collocatis, laqueos ſingulis injci iuſſit: poſt proprijs manibus ſubtracta tabula, illis gulam fregit.

De Alexandro Seuero imperatore Lampridiũs in eius vita, (quem citat Eraſmus in Chiliad.) ita ſcribit: Si vnquam furem vidiſſet iudicem, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret; tanto odio proſequebatur iudices, qui furtorum fama laboraſſent, vt ſi eos caſũ aliquo videret, commotione animi choleram ſtomacho euomeret, toto vultu inardeſcente. Sic de Bruto, Conſule Romano, ita ſcribit Matthæus Boſſus: Quanti (inquit) extitit incomparabilis illa & immortalis Bruti ſeueritas, qui patriæ libertate tuenda filios de reducendis regibus cogitantes, interimẽre non dubitauit, exutus tenerum genitoris affectum, & infractum indutus Conſulis animum. Quale illud tribunal aut quale ſpectaculum, Deus immortalis, vbi tam diſtrictæ iuſtitiæ tamque ſeueræ vltionis laus cum natũra ipſa & pietate pugnabat? Videbas Brute filios ſeruari tua indulgentia poſſe, ſed contra gloriæ tuæ & perpetuo nomini pluris ſtare ſplendorem iuſtitiæ libertatemq; ſeruatam. Te ſpectante lictor ſublata ſecuri filiorũ ceruicibus imminebat intendens

iussuro tibi quid velles. Filij in te conuersi, Parce, ô genitor, & serua nos tibi, precari non desinebant. Quid agis Brute, quo te vertis in tam graui & ancipiti lucta? Si te liberis orbas, infelix. Si parcis, iniustus. At tandem non quod paternum & iucundum, & molle, sed quod honestum & probabile videbatur deliberans, Percute, inquis,

Vincat amor patriæ laudisq; immensa cupido.

Cæterum de iustitia extant passim tam apud sacros quam profanos scriptores cõmonefactiones grauissimæ. Sic enim extat Sap. 1. capite. Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Iustitia enim perpetua & immortalis est. Iniustitia autem mortis acquisitio. Et Ecclesiast. 4. In iustitia agonizare pro anima tua vsque ad mortem: certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Bonique adeo principis, vt inquit Eusebius Sardus, hoc vnum proprium lucrum & instar infinitorum aliorum est, omnia sic facere, vt & in ipso imperij tempore, & post id, iustitiæ ac bonorum omnium à subiectis testimonium habeat. Intelligatque (vt idem ait) vir princeps, quod qualis fuerit ipsarum rerum actionumque, quas agit, natura, talem quoque ex ipsis memoriam & famam vel bonam vel malam consecuturus sit. His consideratis ita demum alterutram viam ingrediatur, vel eam quæ perducit ad infamiam, vel quæ ad memoriæ splendorem: & illam, quæ ei melior futura videbitur, anteponat. Ibidem: Principatum gerens ne reminiscaris inimicitiarum & dissensionum, si quæ prius tibi cum aliquibus intercesserunt:

Non

Non enim ad regnandū promotus es, vt teipſum vlciſcaris, verum vt imperio tuo ſubditos etiam ab aliorum inſidijs ſecuros atque tutos cuſtodires: & vt cuſtos eſſes recti & magnæ Deæ Iuſtitiæ miniſter ac interpres. Itaq; ſi quid admiſeris præter eius ſententiam aut deceperis ipſam, velut in Deam maximam delinquens, tum ab ipſa, tum à conſtitutis circa eam genijs cuſtodibus & vltoribus pro factis vindictam expectato. Præterea ſi conſtitutus in magiſtratu inimicitiæ memor fueris, in deteriorem conditionem teipſum das, & grauitate ac ſanctitate, quæ requiritur in principe, teipſum priuabis apud conſcios tibi, quod inimicitiæ indulgeas, & pro ſanctiſſimis nominibus, & pro iudice, inquam, ac principe cauſam agētium hoſtis eorum turpiſſimo nomine appellandus ſis. Quin deprehenſa veritate agnitaque iuſtitia nihil moreris, quod ius iubet, pronunciare atque exequi, idque impigre ac citra moram, niſi grauis obſtet neceſſitas. Id, quod paucis admodum hodie quidem curæ eſt. Quo fit etiam, vt nō ſolum plerosque in annos, ſed integram fere hominum ætatem lites protrahantur, fatigentq; interdum etiam primam atque alteram ſobolem, exhauriantur patrimonia, rabie veluti igni incendantur hominum odia, manus excitentur ad cædem, periclitetur que ſalus ipſa cum rebus. Addamus, quibus interim curis, moleſtijs, anxietatibus vitam agunt, qui lites gerunt. Nihil ſane miſerabilius, nihil infelicius, nihil calamitoſius iſtorum mentibus continue laceratis & diro mucrone cōfoſſis, hos nulla requies, nulla oblectatio iuuat,

nullaq; vel amœnitas, vel illecebra mouet plenos quidem ſuis malis & ſæuis cruciatibus laniatos, ſed his toruus ſemper aſpectus, caput minax, ceruix demiſſa, ora pallentia, gemitus, planctus, ſtridor, furor, blaſphemia atq; deſperatio tanquam ad perpetuam ęrumnam infeliciter raptis. Quorũ malorum cum iudex cauſa eſt, poteſtné quicquá cogitari ſceleſtius atq; immanius, cum is, qui debuit his omnibus mederi malis atque periculis, is quidem ſit, qui percutiat, cruentet & ſauciet, improbos imitatus medicos, qui in ſedãdis languoribus, ſpe quadam amplioris quæſtus differunt medicamenta, proditores, prædones, interdum etiam homicidæ. Qui enim, cũ poteſt, oppreſſum non ſubleuat, & ab eo non propulſat iniuriam, viduarum, orphanorum, inopum, abiectorũ humiliumque non miſeretur, ſed animum ad offenſiones & calamitates indurat, tam eſt in ſcelere, quam qui opprimit & iniuriam infert, cum alter in inferendo malo, alter in nõ obſtando vel amouendo æque proximũ lædat, quod profecto tam alienum eſſe debet ab eo, qui magiſtratu dignus habeatur, vt mortem potius ſubeat, quam conſcientiam tali impietate, tanquam inexpiabili crimine inquinari patiatur. Quinetiã, (vt inquit Sopater in Epiſt. ad Hemetenum fratrem) quos prius non cognoſcebas, & nihil ad te pertinere putabas amplius, quã quiuis homo communem hominũ naturá, illos iam princeps reuereri debes, ceu iam notos & familiares, ac oẽs tibi amicos eſſe videns, paterna beneuolentia cõplecti. Fugienda autem omnis arrogantia & pertinacia tanquam humilis vilis-

vilisq; animæ affectus. Sui enim obliuiſci propter phantaſiam breuis imperii, magnam puſillanimitatem arguit. Neq; vero ira in ſubditos vtendum eſt, neq; peccantibus inſtitutum ſuum ſine reprehenſione relinquendum: nam iracundia principem ab inſanis nihil differre ſignum eſt: hoc vero leuitatem ad peccandum in ſubditis gignit. Præbeat autem ſeipſum ſimul & clementem & malis infenſum: lente quidem puniendo, clementiam: malis autem indignãdo, improbitatis odium præ ſe ferens: Vt hoc quidem fugienda eſſe mala: illud autem, non nimis implacabilem ijs, qui peccauerunt, eſſe fortunam, documento ſit. Imperandique adeo modum ſingulorum moribus decenter accommodet: cum probis moderate, cũ ſupinis vehementer, cum audacibus acerbe, cum cautioribus deniq; leniter agens. Oportet autem etiam à peccatis arcere per neceſſitatẽ ſuadelæ coniunctam: his vero, qui deliquerunt, moderatam iuſtitiæ caſtigationem inferre, ita vt parua quidẽ & vulgaria peccata diſſimulentur (nec enim conducit & quælibet & omnia ſimpliciter punire, neq; cognoſcentem negligere) quæ vero iam ingraueſcunt, ijs cura ſecundum leges adhibeatur. Quo reſpexiſſe videtur Philippus Macedo. Rogatus enim ab Harpalo, vt Cratetam eius familiarẽ iudicio liberaret, Eum, inquit, rectius eſt, quam nos ob ipſum male audire. Hæc enim (vt Cicero in Lælio inquit) lex in amicitia ſanciatur, vt ab amicis honeſta petamus, ſimul & rogati amicorũ cauſa honeſta faciamus. Neque enim eſt vlla excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaueris. Oportet igitur

igitur capeſſentem Rempublicam magiſtratum iudiciaq; exercentem deponere amici perſonam & ſanguinis,& induere iudicis,qui aliud nihil eſt, quam ius loquens & animatum, aut ſi quo moueatur affectu, propenſior miſericordia atq; benignitas in calamitoſos eſſe debebit,ſi boni & digni miſericordia videantur, qui inopes virium & deſtituti præſidijs illis ſunt. Cui correſpondet etiam id, quod Epictetus ait: Si iudicia recte proferre voles,nullum contendentium & cauſam dicentium, ſed ipſam cauſam cognoſcas. Etſi vero , vt inquit Plato in Epiſtola ad Dionyſium, auſteritas amicorum ſolitudinem parit ; tamen eodem teſte, in Politicis, principum mores acrimonia quadam & acri efficacique pertinacia indigent, proinde valde cautos eſſe iubet. Auſteritatem itaque hic intelligit Plato quatenus in tyrannidem vergit.In quam etiam paſſim inuehuntur auctores, inter quos Seneca in Thyeſte ita canit:

Vos, quibus rector maris atq; terræ
Ius dedit magnum necis atq; vitæ,
Ponite inflatos tumidosq; vultus:
Quicquid a vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis dominus minatur:
Omne ſub regno grauiore regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis:
Miſcet hæc illis,prohibetq; Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.

Nemo

Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt posſit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Et quod idem Seneca in Octauia scribit, Amari magis regem decere quam metui, innuens:

N. Ferrum tuetur principem.
S. Melius fides:
N. Decet timeri Cæsarem.
S. At plus diligi.
N. Metuant necesse est.
S. Quicquid exprimitur graue est.
N. Iussisq; nostris pareant.
S. Iusta impera.
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.
Hæc summa virtus: petitur hac cœlum via.
Sic ille patriæ primus, Augustus parens
Complexus astra est, colitur & templis Deus.

Non possum non his addere, quæ idem Seneca in Thyeste valde eleganter scripsit, vbi egregie docet, quid regem faciat, sic canens:

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes,
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.

Qui

Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia,
Occurritq; suo libens
Fato, nec queritur mori.
Mens regnum bona possidet.
Rex est, qui metuit nihil,
Hoc regnum quisq; sibi dat:
Stet quicunq; volet, potens
Aula culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebeius moriar senex.

PAX, alterum illud, quod diximus amplificandæ ac tuendæ ciuitatis medium, vt firmiter constet, omnino prouidendum est, hac enim vacillante aut rupta, omnia in peius ruere necesse est, stante vero, quoq; firmiter consistunt ac durant: Eleganter admodum de pace Mantuanus canit:

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est, pretiumq; periclí:
Syderapace vigent, consistunt terrea pace:
Nil placitũ est sine pace Deo, nec munus ad aram.

Attendendum tamen diligenter est, ne amica illa pacis fruitio ad temerarios multitudinis ausus, quicunque illi tandem sint, tacitam quasi ansam præbeat, qua in re illi, quibus id ratione officij competit, caute prospicient. Est enim populus,

vt

vt Plato inquit, ingratus, morosus, crudelis, inuidus, immodestus, vt qui est ex colluuie turbæ & stultis insolentibus collectus. Quo etiam respexisse videtur Ioannes XXIII. Pontifex Rom. Interrogatus enim aliquando, quid foret à veritate remotius, respondit: Vulgi sententia. Quicquid enim laudat, inquit, vituperio dignum est; quicquid cogitat, vanum; quicquid loquitur, falsum; quod improbat, bonum est; quod approbat, malum; & quicquid extollit, infame. Et sicubi sibi ipsi relictum nullis legum repagulis coerceatur, nullum tunc (vt recte Q. Curtius de rebus gestis Alexandri Magni libro 10. scribit) profundum mare, nullum vastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, vtiq; si noua & breui duratura libertate luxuriat. Hæc enim, teste Liuio, natura multitudinis est: Aut seruit humiliter, aut superbe dominatur; Libertatem, quæ media est, nec spernere modice, nec habere sciunt, & non ferme desunt irarum indulgentes ministri, qui auidos atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem & cædes irritant. Atque hinc etiam non abs re vulgato versu dicitur:

Rustica gens est optima flens, sed pessima gaudens.

Atq; alio quoque, cuius idem omnino est sensus:

Vngentem pungit, pungentem rusticus vngit.

Hæc ita esse certissimum est. Quod si vero cui id dubium est, suo is sane periculo experiatur, per me licet, & facile ipsi, vt opinor, dubitationem illam excutient, &c. Quod si præterea superstitio aliqua

aliqua mẽtes multitudinis ſeditioſæ occupat: tũc demum ea bellua multorũ capitum, multo atrocius furit, neque modum tenere poteſt, exitumve vllum reperit, vbi aut fauere ſemel aut ſeruire inſtituit, hocque prætextu ſibi quiduis licere putat. Quo etiam Q. Curtius reſpexiſſe videtur libro 4. de rebus Alexandri Magni, vbi dicit: Nulla res multitudinem efficacius regit, quam ſuperſtitio: alioquin impotens, ſæua, mutabilis, vbi vana religione capta eſt, melius vatibus quam ducibus paret. Siquidem ſimulata religio inſtar torrentium eſt, qui nullis obicibus retardari queunt, quo minus campos inundent, & aliquandiu noceant. De quibus Lactantius: egregie admodum (adeoque ijs, qui ſuam religionẽ vi defendendam ducunt:) Quid ergo, inquit, ſæuiunt? vt ſtultitiam ſuam dum minuere volunt, augeant? Longe diuerſa ſunt carnificina & pietas: nec poteſt aut veritas cum vi, aut iuſtitia cum crudelitate coniungi. Sed defendenda ſunt, inquiunt, ſuſcepta publica ſacra? O quam honeſta voluntate miſeri errãt! Sentiunt enim nihil eſſe in rebus humanis religione præſtantius. Sed vt in ipſa religione, ſic in defenſionis genere falluntur. Siquidem defendenda religio eſt, non occidendo, ſed moriendo: non ſæuitia, ſed patientia: non ſcelere, ſed fide: illa enim malorum ſunt, hæc bonorum. Et neceſſe eſt bonum in religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis: iam non defendetur illa, ſed polluetur atque violabitur. Nihil enim eſt tam voluntariũ, quam religio, in qua ſi animus ſacrificantis auerſus

sus est, iam sublata, iam nulla est. Illud tamen probe tenendum est, quod & Claudianus monet, illum furorem efferatæ multitudinis, licet interdum terribilem, attamen non diu durare. Nam caret cuentu nimius furor. Improba nunquam spes lætata diu. Temereque illi faciunt, qui populo inuixi & magnas res suscipiunt agendas, & susceptas sibi successuras sperant. Etenim quemadmodum crescente vmbra, vel decrescente, corpus tamen ipsum, cuius illa est vmbra, neq; crescit neq; decrescit: ita nec melior fit quisquã, dum à vulgo laudatur, nec item peior, dum vituperatur. Parum namque præsidij, inquit Cominæus, positum est in promiscua multitudine, nisi contincatur aliqua necessitate & imperio: tametsi tempus incidat, cum populi furor & repentinus impetus valde sit pertimescendus.

ABVNDANTIA demum alimentorum, vt tertium ampliandarum ciuitatum earundemque conseruandarum principale medium, facilem reddit victum. Quid enim antiquius, quid acceptius multitudini, quam si vili cibus potusque paretur. Ob id etiam in vrbibus ac oppidis rerum omnium affluente copia optimatibus cum multitudine adeoque obscuris hominibus nullum est certamen aut discordia, in tanta vitæ dissimilitudine, & tam dispari studiorum ratione atque voluntate. Illi enim imperium & gloriam expetunt: hi dum vitæ commodis abundent, non ita magnum fructum in decore & dignitate ponendum arbitrantur. Atque hæc pro præsenti

Digitized by Google

dicta ſufficiant. Cætera, vt ſupremam tandem operi addam manum, omnia quæ pro amplificanda vrbe adducta ſunt, pro conſeruanda quoque vſurpari poſſunt. Eadem enim rerum (quæcunque tandem illæ ſint) ortus & progreſſus fere ſunt principia.

FINIS LIBRI TERTII
& vltimi.

INDEX

INDEX RERVM AC SENTENTIARVM, IN HOSCE IOANNIS BOTERI TRACTATVS, locupletissimus.

A.

AQVIBVS *male audias, in eos multa conferre, regiũ est. fol. 192.*

Abdala qua ratione Christianorum seditiones, quas metuebat, repressérit 374.

Abissinorum reges qua ratione fratrum parricidia declinent. 320.

Abortus in Republica fieri an sit permissum. 94 534. 535.

Abundantiæ rerum vis maxima ad compescendã multitudinem. 946.

Academiarum aliquot fundatores. 143.

ad Academiæ felicem fundationem, quæ requirantur. 855. 556.

Academias tollere barbarum est. 857. 858. 859.

Academiarum privilegia ad frequentandas eas maxime conducunt. 855.

Academiarum Italarum pessima conditio. 855.

Achæorum rabies cum à Romanis dissociarẽtur. 372.

Aciei quomodo instruenda. 617.

Adathamis Cara strategemata adversus Persas 693.

Adolescentibus matrimonia contrahere, qua ætate sit permissum. 533.

Adoptio principum ubi locũ habeat. 550.

Adrianus amicos etiam non petentes locupletavit. 188.

Adulatio omnino principi fugienda. 196.

Aduccateriæ artis abusus maximus. 135.

Digitized by Google

INDEX RERVM

Aedes portatiles. 511.
Aedificia vbi è sale struãtur? 510.
Aegroti cuiusdam phrenitide correpti mira curatio. 248.
Aegyptiaci reges iustitiæ fuerunt studiosissimi. 71.
Aegyptij reges cur magni Sultani dicti? 266.
Aegyptiorum regum extruẽdis magnificis palatiis vanitas. 360.
Aelij Adriani in egentes liberalitas. 155.
Aemulationes militum excitandæ. 663.
Aeri insculptæ imagines. fol. 521.
Aesopi tragœdi filius luxurios. 430.
Aestimatores qui dicantur. 251.
Aetas iuuenilis grauitati senili subijcienda. 120.
Aetatis ineuntis inscitia, regenda est senum prudẽtia. 122.
Aethiopum reges, qua ratione fratrum in imperio æmulationes præueniant. 320.
Affectibus careat princeps. 198.
Agasonem Alexander Magnus auri sarcina donat. 159.
Agesilai Lacedæmoniorum regis interitus. 179.
Agesilai in deos liberalitas. 192.
Agesilai erga cognatos beneficentia. 155.
Agesilai egregium responsum cur Sparta careret muris. 383.
Agis rex omnes quietanzias in publicum allatas comburi iussit. 92.
Agraria legis promulgatio à Cicerone impedita ...
Agria Vngaria munitio. fol. 383.
Agriensium in propulsandis hostibus alacritas atq; confirmatio. 679. 680.
Agricultura quid. 97.
Agricolarum securitas legib. cauta. 619.
Agriculturæ laus atque commoditates. 499.
Agricolarum querimoniæ de proteruia. 576.
Alacritatis militaris insigne exemplum. 602.
Albertus, Archidux Austriæ vnde Sapiens cognominatus? 271.
Alberti Cranzij, de origine Cingarorum iudicium. 337.
Alberti Magni statua admirabilis. 518.
Alciones siue aues Paradisi Romæ vbi monstrentur. 769.
Alexandri Iudæorum regis sera

Digitized by Google

sera nimis pacificatio. fol. 181.

Alexander Magnus Homeri admirator ac lector fuit studiosissimus. 171. quanto militum numero orientem domuerit? 575. cur cognatos obtruncarit? 318. eius in acie moriēdi promtitudo. 675. in detractores liberalitate vsus est. 443. a nemine praterquam Apelle & Lysippo, pingi ac fingi voluit. 143. vnde Magnus dictus. 265. qua ratione Persas sibi fecerit propensos, 348. ad iram praceps, ad ignoscendum facilis fuit. 199. eius in Asiam proficiscentis magnanimitas 455. erga milites comitas. 160. in Asiam profecturi erga suos liberalitas. 158. ære alieno circumuentos liberauit, 161. quomodo tam breui tempore tot vrbibus potitus fuerit. 730. artium liberalium extitit peritissimus 365. ipsi diuinitus monstrata via. 461.

Alexandri Pherai erga suos diffidentia. 208.

Alexandri Seueri fortitudo, & magnanimitas. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. eiusdem in conferendis beneficiis prudentia 199 in fures animaduersio. 935. in exercēda liberalitate dignotio. 157. beneficentia nomine commendatio. 436. amicos ac bene de se meritos ad petendum etiam inuitauit. 156. Alexandri Seueri erga Quintium Camillum clementia. 443. liberalitas. 161.

Alfonso Calabria duci impotens animi ardor exitio fuit. 221.

Alfonsi in remigem beneficētia. 159. erga exteros liberalitas. 185.

Alfonsus rex, quod oppida terræmotu cōuulsa restaurare noluit, male audit. 161.

Alfonsus I. rex Neapol. cur Magnanimus dictus. 269.

Alfonsus III. cur Magnus cognominatus. 268.

Alfonsi regis Aragonia votū de tēplo Ioui positorio statuendo. 247.

Alfonsi regis Neapolitani profusio. 151. eiusdem de bello contra Turcam suscipiendo simulatio. ibid.

Alfonsi Sicilia regis egregium de liberalitate responsum. 184.

Alfonsus I. rex Castilia Astronomia peritissimus. 271. literatorum fautor egregius.

Digitized by Google

gius. 169. in Virgines Deo sacratas beneficentia. fol. 163.
Alfonsi Arragonēsis eloquentia. 392.
Alfonsi II. regis Neapolitani auaritia. 412.
Alfonsi de Ouidio votum. 204.
Alkairi incolis qua ratione sedittosis nerui incisi? 375.
Ambitionis filia est oppressio ciuitatis. 41.
Ambitionem ab aula sua exterminabit princeps. 197.
Ambrosius Theodosium Imp. ab ira feruore reuocauit. 229.
Amœnitas locorum grata omnibus. 760.
Amor erga principem maximum est fidelitatis fundamentum. 115.
Amor nunquam fecit stipendium. 205.
Amor paucorum est mera regnantis seruitus. 206.
Amor inermis incedit, dormit loricatus. ibid.
Amoris paterni insigne exēplum. 525.
Amatoris cuiusdam stolida lentitas. 608.
Amatorū de amasijs pugna. 608.
Amulius architectus superbiæ pœnas luit. 516.
Amurathes I. Græcos dissidentes facile fudit. 182.
Amurathus ob liberalitatem bene, etiam apud hostes, audit. 189.
Anaxarchus ab Alexandro Magno centum talentis donatur. 158.
Andreæ Gritti in iuuenem moscho redolentem inuectiua. 635.
Anga mons altissimus, quo nomine celebris. 320.
Anglia cur populosa? 757.
Anglia regina qua ratione hostem a suis finibus abegerit? 390.
Anglorum mores & ingenia. 174.
Aniceta Cyrenæus captum ab Æginetis Platonem redemit. 162.
Aniceti Cyrenæi erga Platonem liberalitas. 190.
Animus generosus & violare & tueri potest Remp. 20.
Animi magnitudo quid? 577
Annalium vsus. 652.
Annibal cur ad fratris cladē riserit? 248. occasionum rei gerēdæ obseruator studiosissimus. 241. strategematum fuit artifex. 701. artis & martis peritus fuit 365. eius ad exercitum erigendū oratio. 670. ipsius latum in re, & videbatur, periculosa responsum. 715.

Anti-

Antigonus Pyrrhi ad se caput allatum intueri recusauit. 163 *eiusdem erga Helenum Pyrrhi filium liberalitas.* ibid.
Antigoni regis de amplificãdarum ditionum studiosis iudicium. 25.
Antigoni regis & Demetrij filij confidentia. 467.
Antiochus Vnde Magnus dictus. 265.
Antisthenis responsum, an in bello pauperes intereant. 402.
Antonini Pij erga literatos liberalitas 155. *ipsim in Italia Vrbes quasdam beneficentia.* 160.
Antonius Bassianus Caracalla disciplinæ militaris obseruator rigidissimus. 627.
Antonij Caracalle aduersus fratrem Getãcrudelitas. 31.
Aphthonius carnifices ad se occidendum missos, oratione compescuit. 729.
Apibus hostes auersi Vbi? 689.
Apitij luxus ac prodigalitas. 428.
Apparatus quid? 239.
Aqua cur in ferẽdis oneribus dispares? 837.
Aquarũ Vsus saluberrimus, & maximè necessarius. 831. 832.
Aqua quo profundiores, eò maiora ferunt onera. 833.
Aquarum latitudo ad mercium deportationem potissimum requiritur. 839.
Aquarum quædam est densitas ac raritas. 837.
Aquilonis flatus impetuosissimus. 833.
Aquilonarium inuentum, in tectis adium serere fruges. 510.
Ara maxima Romæ Vbi erecta fuerit? 777. 784.
Aratus Sicyonius Acrocoryntho quomodo potitus? 462. *ipsius animi inconstantia.* 669.
Arcanorum aduersus Aetolos confœderatio. 675.
Archidamiæ fœminæ fortitudo. 597.
Archimedes onustam nauim solus remolitus est. 516. *prius gladium hostilem in ceruice, quam hostem in muris sensit.* 364.
Architæ colũba Volatilis. 518.
Arcus Boarius Romæ Vbi? 776.
Argyraspides qui dicti? 616.
Aristidis apud Athenienses auctoritas. 650. *eius filia è publico elocata.* 186.
Aristocratica administratio populari quomodo concilietur. 42.
Aristodemus qua ratione rebellium Vires fregerit? 355.

INDEX RERVM

Aristotelis sententia, quenā Resp. sint durabiliores. 38.
Arthbertus Longobardorum rex alieno habitu assumto suorum efficialium mores secum exploravit. 132.
Armatura, deficiente materia ex qua, quomodo parari possit. 369.
Armis conuenientibus militem esse instructum conuenit. 610.
Armorum ornatus an militibus sit concedendus? 615.
Arrogantes ijq; potentiores in Republica ad consilia sublimiora non sunt adhibendi. 328.
Ars an natura ad incolarum multitudinem conciliandam plus conferat? 506.
Artium liberalium cognitio, an ad rerum bellicarū administrationem aliquid conferat? 363.
in Artibus liberalibus quatenus princeps versari queat 169.
Artes mechanice quo respectu dicantur sordidæ. 98.
Arte plures victitant, quam alijs prouentibus. 507.
Artifices apud quos maxime vigeant. 864.
Artifices stipendijs allectandi. 547.
Artibus quanta insint dignitas. 521.
Arsenale Venetiorum 409. eius amplitudo. 823.
Artaxerxes quæuis munera lęto suscepit vultu. 195.
Arturus rex Britonum 470. ex hostibus in prælio cecidit. 613.
Asdrubal qua ratione suos reddere animosos attentauerit. 679.
Asiani à Romanis ob vsurarum nimias exactiones defecerunt. 89.
Asiaticis regibus olim vsitata fuerunt parricidia, vti hodie Turcis. 320.
Astutia à prudentia quid differat. 235.
Asylum quid Romanis, & quare id extruxerint? 843.
Athenienses ciues potentiores forte è ciuitate eiecerunt, & cur? 328.
Athenienſium Reipubl. ruina, & quæ eius ruinæ causa. 16. 17.
Attila Leonis I. facundia placatur. 270.
Atilij aduersus milites fugam parantes inuectiua. 671.
Auaritia in senibus cum ætate simul crescit. 146.
Auaritia fœdius sæpe seducit diuitem quam pauperem. 123.
Auaritia quid. 311.
Auaritia principibus solet esse

Digitized by Google

esse exitio. 149.
Auaritiæ detestatio. 146. 414. 415. 416. 417.
Auarorum quot species. 147.
Auarus princeps apud omnes est execrabilis. 412.
Auctoritas principis quomodo confirmetur. 258.
Audaces qui dicantur, 605.
Audaculorum mores. 605. 606.
Audacia vnde existat. 255.
Auentini de Cingarorũ origine iudicium. 338.
Aues vncos vngues habentes non gregatim prædantur. 31.
Auertere hostem & anteuertere differunt. 393.
Augustus de Canobia fœmina triumphauit. 596.
Augustus Imp. cur satellites suos proprias habere ædes prohibuerit. 371.
Augustus Imp regium nomen modeste recusauit. 254.
Augusti Cæsaris de gestis Alexandri Magni iudicium. 25. eius magnanimitas aduersus detractores, 443. in monendo officiales suos officij quenq; sui industria. 133. cur publicis ludis interesse solitus fuerit. 297. non nisi a laudatis laudari sustinuit. 143. in remunerandis militibus sedulus. 647.
Aureliani epistola de auaritia suspicione viris principibus fugienda. 195. 196. ipsius erga populum liberalitas. 157. eius epistola de disciplina militari. 636.
Aurigandi apud Chinenses artificium. 830.
Aurum adulterinum quodnam. 420.
Austeritas quatenus in principe esse debeat. 940.
Austriaca domus vnde ad tanta potentia fastigia adscenderit. 274.
Auxilia inopinata in bellis. 689.

B.

BAiazethes Iudeos a Ferdinando rege electos suscepit. fol. 498.
Balneorum pensilium quis primus auctor. 492.
Basilius Macedo donationes iniustas reuocauit. 145.
Bellerophon equo alato sublimis, præceps excutitur. 201.
Belli gubernatio a Deo petenda. 621.
Bellis qui operam nauare noluerunt, quo⁹ affecti fuerint pœnis. 649.
Belli euentus felices quibus ascribendi? 708.
Bella aduersus subditos gerere principi est exitiosum. 180.

Bellis principem ipsum interesse an expediat. 302. 303.
Bella quid maxime in orbe creat. 930.
Belli execratio. 396. 397 398. 399. 400. 401. 402. 403.
Belli casus varij. 395.
Bellum quid, iuxta Erasmū. 400.
Bello vel prospere cœpti plurimos pœnituit. 395.
in Bellis an subditorū an vero exterorum opera vti cōueniat. 564 565.
Belli princeps in sententia apud se constituta firmiter perstat. 669.
Bellicis laboribus milites mancipandi. 668.
Bellica pœna duplex. 659.
Benedictinorum opera. 500.
Beneficia non vbique palam conferenda. 191.
Beneficentiæ cautiones iuxta Ciceronem. 433.
Bibliotheca Vaticana Romæ vbi? 771.
Bedini de Venetiarum Republica honorifica narratio. 47.
Bombæ darū vsus vnde manarit. 517.
è Bombarda vna triplex iaculatio vno momento. 517.
Bononiensis Academiæ fundator quis? 143.
Boni pastoris est tondere pecus. & responsum Tiberio Imp. datum. 72.
Bonum quid sit? 403.
Bonorum æquatio in Republ. an permittenda. 91. 93.
de Bonis mobilibus an tributa pendere æquum sit? 423.
Borromeus Cardinalis Cōmœdiarum institutor felicissimus. 299.
Borsij Estensis erga peregrinos liberalitas. 191.
Bos funem trahens è puteo ad irrigandos hortos. 519.
Brasilienſium victus ferinus. 751.
Britānorum dissensiones victoriam Romanis aduersus ipsos pepererunt. 408.
Bruti in filium sæuitia. 939.
Busbequij de disciplina & vigilantia Turcarum testimonium. 26.

C.

CÆcorum & claudorum opera qualis esse possit in Rep. fol. 342.
Cæsar ignē conjecit literas aduersum se scriptas. 443.
Cæsares vnde primum? 178.
Cæsaris cum Heluetijs certamen. 465.
Cæsar quos ad virtutem habuerit stimulos? 599. *ad singulos conflictus pacis cōditiones hostibus proposuit* 621. *qua ratione Pompeij equitatum fuderit.* 686.

eius à piratis capti magnanimitas. 459. Vide etiam Iulius Cæsar.
Cain primus oppida extruxit 748.
C. Caligulæ lupanaria. 195. plurimos sibi se hæredem testamento scriberent, coegit. ibid. luxus & prodigalitas. 73. 432.
Caij Sergij luxus. 429.
Callicrates sculptor egregius. 519.
Calliditas à prudentia quid differat? 222.
Caluini dogma Gallis sese inuicē atterendi ansam præbuit. 302.
Cambysis in iudicē dorophagum animaduersio. 129.
Camilli erga Falisco scādor. 58
Camilla fœmina à Virgilio decantata. 595.
Cāpana cur à Turcis passim aboleantur? 374.
Cāpius sceleratus qui Romanis dictus? 818.
Canis Scaligeri aduersus Patauinos strategema. 698.
Canes timidiusculi plus latrant quam mordent. 682.
Canonicus in noua Hispania maximus tribuitur honos. 286.
Capoccius Senensis sculptor excellentissimus. 518.
Captiui bello an redimendi. 660.
Capuani quaratione à seditionibus repressi. 374.
Carolus Magnus religionem Christianam omnib. promouit viribus. 288.
Carolus M. rei literariæ promotor liberalissimus. 143.
Caroli Martelli modestia. 178. pietas atque in bellis felicitas. 282.
Carolus V. quanā porta Romæ deuictis Afris ingressus 793. corporis molestiarum fuit tolerantissimus. 257. cur Sapiēs cognominatus? 271.
Caroli Sapientis erga literatos amor. 168.
Carthago à Romanis cur deleta? 746.
Carthaginenses fenebratoribus peculiaria assignarūt diuersoria. 107.
Carthaginenses omni armatura à Romanis priuati quomodo se gesserint. 369.
Carthaginenses officiorum nundinationes an iure concesserint. 118.
Casimirus I. Polonorum rex cur Magnus cognominatus. 269.
Castellum S. Angeli Romæ unde dictum. 767.
Castilianorum in consignandis suorum facinoribus negligentia. 653.
Catacombæ quæ loca Romæ dicantur. 795

Cathedrarũ superficalis sanctis vsus. 800.
Catilinæ affectæ quales fuerunt? 334.
Catilinæ incessus qualis 452.
Cato quantum de præda hostium ad se transtulerit. 732.
Cato severitati atque constantiæ semper fuit addictus. 243.
Catonis Maioris ad exercitũ erigendum oratio. 671.
Cato Portius cur in defensione ærarij reprehensus fuerit. 114.
Causa iusta militi robur addit. 620.
Causidicorum quorundam fraudes atque impostura. 135. 136.
Cautè cum leonibus venandum. 40.
Cauti qui dicantur. 242. *eorum duplex ratio.* ibid.
Cautio quid? 577.
Centuriæ Romanorum quænam dictæ? 618.
Chalcedonẽsi concilio Nestorij & Eutychetis hæreses damnatæ. 270.
Chartæ apud Indos vsus recreditæ. 520.
China reges a fratricidijs abhorrent. 321.
Chinensium in mendicantes validos animadversio. 502.
Chinenses aurigantur expãsis velis. 830.
Chinæ fertilitas. 881. 882. 883. 884. &c.
Chinensium regis in tribuendis officialiũ salarijs promptitudo. 128.
Chinensium regnum versus orientem situm. 881.
Chingus Tartarorũ rex vnde Magnus cognominatus? 266.
Christi pedum vestigia Romæ vbi monstrentur. 795.
Christiana religio magistratui debitam exhibet obedientiam. 285.
Christiani cur in rebus difficilioribus alacriores sint quam infideles ac ethnici. 283.
Christianis omnibus si potiretur Turca, an liberam ipsis religionẽ sit permissurus. 563.
Christiana religio firmissimis nititur fundamentis. 280.
Christiani quidam proceres quomodo ad inopiam redacti fuerint. 427.
Christiani principes non facile de regimine digladiãtur. 323.
Christianorum principũ dissensiones Turcam promouent. 407.
Christianorum principum con-

concordiæ comparatio. 407.
Christianorum captiuorum vota. 656.
Cicero plebi Romanæ persuasit, vt vltro legem agrariã repudiaret. 730.
Cimonis Atheniensis in accipiendis muneribus moderatio. 196.
Cimonis Atheniensis erga populum fauor. 157.
Cinetas plures vrbes lingua subegit quam Pyrrhus armis. 729.
Cingarorum origo vnde sit, historici variant. 336.
Circẽses ludi Romæ vbi olim fuerint. 792.
Circumspectio quid? 240.
Citadellæ quæ dicantur. 375. 380.
Ciuitates cur nõ amplius augescant. 925.
Ciuitates cur aliæ aliis commerciũ frequentia magis insigniores? 862.
Ciuitates liberæ populosiores iis, quæ principibus subsunt, & cur? 845.
ad Ciuitatis perfectionẽ, quæ maxime requirantur. 744.
Ciuitas quæ dicatur. 743.
Ciuitas ciuitate cur populosior? 826.
Ciuitas ex mediis ciuibus cõstans omnium est optima. 317.
Ciuitate tria hominum genera expellenda. 340.
Ciuitates quæ ratione perditis hominibus expurgẽtur. 632.
Ciues quomodo tractandi. 213.
Ciuium Romanorum olim opes amplissimæ. 915.
in Ciuitatis partibus quæ cõsiderandæ. 38.
Ciuium discordiæ exitiosæ ac modis omnibus sunt declinandæ. 55.
Ciuium numerus in ciuitate quantus esse debeat. 920.
Clamor militaris an etiam horrorem hostibus incutiat? 682.
Clamores bellicos quinã populi maxime vsurpent. 682. 683.
Claudiani Poëtæ carmen de Theodosio Imp. 282.
Cleandri Phrygis ad summas dignitates euecti tristis exitus. 80.
Clementiam quatenus princeps exercere debeat. 133.
Cleopes Aegypti rex propriã filiam prostituit. 429.
Cleopatræ Aegypti reginæ luxus. 431. eiusdem cum M. Antonio adulterium. ib.
Clientelæ vnde primum initium duxerint. 68.
Cloacæ Romanæ immunditia quanti aliquando à cenſo-

censoribus Romanis Vendita? 791.
Clypei cur præstantiores olim quam gladij habiti. 614.
Coliseum Romæ Vbi? 803.
Colonia cur deducantur. 537.
Colonijs an ciuium numerus augeatur? 847.
Colonias Romani cur deduxerint. 929.
Colonia Romanorum ære an fuerint. 847.
Coloniarum deductio Romanis olim Vsitata. 536.
Colonia an munitiones præsent? 384.
Columnæ suauissimum odorē emittētes Romæ Vbi? 799.
Comœdia sacra potius quam profana agenda. 299.
Comœdiarum Vsus frequens non est honorificus. 298.
Comitas grauitate tēperata, egregiū in principe decus. 198.
Commeatu quomodo hostes prohibendi? 393.
Cōmerciorum causa qua? 99.
Commercijs an princeps Vacare debeat. 557.
Commercia Vsurarum nomine non veniunt. 96.
Cōmercia qua ratione Aristoteli dicātur sordida. 96.
Commerciorū distinctio, iuxta Aristotelem. 97. 98.
Commercia hominum Varia. 503. 504. 505. &c.
Commodi ates in bellis non negligenda. 684.
Commutabilis rei Vsus duplex. 99.
Cōmutandi ratio duplex. 98.
Concionatores quales eligendi. 287.
Concionatorib. iusta salaria præberi conuenit. ibid.
Concionatores in bellis necessarij. 622.
Confessio humilis in malefactis melior, quam in bonis superba gloriatio, d. Aug. 299.
Confidentia Cæsaris admiranda. 465.
Confirmatio quid? 577.
Cōsurati nimis anxie ac curiose nō sunt explorādi. 56.
Conestabilis apud Parisienses quis dicatur? 330.
Conradi Imp. erga ducē Misiconem se fugientem candor. 346.
Conscientia senatus in rebus suscipiendis imprimis est consulendus. 274.
Consideratio quid. 237.
Considerati q dicantur. 237.
Cōsilia iuuenilia qualia. 227
Consilia de rebus grauiorib. atq; arcanis cū paucissimis princeps cōmunicabit. 221.
Cōsilia principum quandoq; sunt opinione speciosa, sed eventu Vana. 223.
Consilia ac consultationes qualiter fieri debeant. 222. 223. 224.

Consilia multis subtilitatib. intricata facile pessũ eunt. 222.
Consiliorum iuuenilium elegans comparatio. 232.
Consiliarij officium quodnã. 224. 225. 226. 227.
Consiliarij cuiusdam meritissimi elegãs sermo. 247.
Consiliarij (tametsi non magistratus) principi sint perpetui. 333.
Cõspiratio spõtanea qua? 678
Constantia in aduerso fortunæ flatu, maximã in principe parit admirationem. 259.
Constantia quid? 577.
Constantinus Imp. ex artibus quam ex imperij administratione maluit inclarescere. 144. instructissimas Christianis bibliothecas constituit. 289. Vnde Magnus cognominatus? 267. quo robore Maxentium vicerit. 281. quomodo lepra sanatus fingatur. 799.
Constantinopolin qua ratione Selimus I. Imp. Turcicus populosam reddiderit. 506.
Constãtinopoli cur tertio quoque anno pestis grassetur 886.
Constantinopolin quomodo imperator Turcicus populosam fecerit. 539.
Constantinopolitani imperij euersionis qua causa. 51.
Consulere bene & recte quomodo differant. 225.
Consultationes principum quales esse debeant. 209.
Contemtus quid: 312.
Contentio quid? 577.
Conuiuiorum luxus imminuendus. 294.
Conuiuiorũ quorundam descriptio. 432.
Conuiuiale M. Antonij & Cleopatræ certamen. 432.
Coreliæ finis, in rebus imprudenter gestis exclamatio. 252.
Coronæ ciuiles quibus datæ? 645. murales & vallares quibus? ib.
Corpus vegetum ac sanum maximum ad alacritatẽ habet momentum. 256.
Corporis exercitationibus indulgendum. 641.
Corporis exercitatio ad quid conferat. 256.
Corporis valetudinem quæ conseruent. ibid.
Cornus nimio clamore altonius decidit. 684.
Cottonis Dacarum ducis egregium spectaculũ, quo suos a temerario conflictu cum dissidentibus auocauit. 405.
Crassi in præceptorem ingratitudo. 188.
Crassi multitudine in ciuitate vi unt, cauendum est. 40.

Cræsi superbia exitio ipsi fuit 231.
Crudelitas an luxuria principũ, imperia citius euertant. 14.
Cui fidas, vide. 183.
Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet. 40.
Cunctatio quid? 240.
Cunctatio an celeritas præstet. 241.
Curia vnde dicta. 250.
Curiones, qui & vnde dicantur. 251.
Curiosorum odiosa est conditio. 250.
Currus vbi ventis impellantur. 513.
Cymba portatiles. 512.
Cyrus cur Iudæos ex captiuitate Babylonica liberos dimiserit. 232. humanitate ac liberalitate suos sibi deuinxit. 207.

D.

Dacos cur Aurelianus Imp. citra Danubiũ habitare voluerit. folio 370.
Daniel Cyro victoriam aduersus Cræsum prædixit. 232.
Danorum mores & ingenia. 173.
Danorum cum Scotis pugna. 672.
Dauid rex sacrorum curatorum fuit studiosissimus. 288.
Dauidis Rizÿ cum regina Scotiæ familiaritas. 81. à coniuratis confossus. 83.
Decij duo ex humili loco ad summum honoris culmen euecti. 648.
Deiotari regis in proprios filios immanitas. 320.
Deliberandum diu quod semel statuendum. 181.
Delphi oraculi ambiguum Cræso dedit responsum. 232.
Demetrÿ res gestæ ni flagitijs essent conspurcatæ, cum Alexandri facile possent conferri. 467.
Demosthenes tacendo se multa lucratum esse professus est. 136.
Demosthenis iudicium de ijs, qui amplificandi imperij studio nimio tenentur. 27.
Denarius vnus ex triginta quos Iudas proditor recepit Romæ vbi monstretur? 802.
Deum omnia respiciunt. 852.
cur Deus omnia tellari non omnia ad victum necessaria largitus fuerit. 832.
Deo ridiculo Romæ dicatum templum vbi fuerit? fol. 797.

Despe-

Desperatio fortitudo non est. 606.
Despicientia quid? 577.
Didij Iuliani anaritia. 147.
Dignitas nō pecunia sed virtute emitur. 117.
Diluuium qua ratione declinare olim attentauerint homines. 753.
Dion Syracusanus qua ratione suorum animos erexerit. 712.
Dionysij Syracusani erga suos diffidentia. 208.
Dionysij senioris in filium inuectiua. 13.
Discordia quid? 313.
Discretio quid. 251.
Dissensio Christianorū principum nimis est obstinata. 407.
Dissimulatio quatenus viro principi conueniat. 221.
Diuites an pauperes ad Reip. administrationem promouendi. 122.
Diuites in Repub. sunt velut unguibus armati leones. 40.
Diuitibus in Republica non plus æquo tribuendum. ibidem.
Diuitiæ haud raro Rerump. interitus causantur. 32.
Diuitiæ veræ in quibus rebus consistant. 101.
Doli explex consideratio. 242.
Dolus quatenus prudentiæ comes & quatenus fraudis sit satelles. 242.
Domine quo vadis, Roma quis locus dicatur? 794.
Dominia quomodo hæreditaria facta? 331.
Domus vbi coriis piscium tegantur. 510.
Domus plaustris impositas qui circumferant? 511.
Donaria pro ratione personarum æstimanda. 158.
Donatelli Florentini ad importune mendicantem, responsum. 188.
Dos fœminis olim denegata. 523. 524.
Druidæ Gallis animarū immortalitatem olim primi persuaserunt. 283.
Dux belli peritus quis esse possit etiam absque artium cognitione. 366.
Ducis prudētia militem animosum reddit. 716. 717
Duces sint lata & exporrecta fronte. 711.
in Duce eligendo an scientia rei militaris, an vero amor virtutis spectari debeat? 705.
Ducis alacritas maxime requiritur. 705.
Ducum belli officinum. 711.
Ducum felicitas maximum addit militi robur. folio 708.

Digitized by Google

Ducum cũ militibus mutua, mediante iuramento obstrictio. 675.
Duritia quid. 577.

E.

ECCLEsiastica bona ne quis quovis pretextu muolet. fol. 179.
Ecclesiastica bona non temere violanda. 425.
Ecclesiastica adificia instaurari principis interest 288
Echo admiranda Romæ ubi. 797.
Egdari Britannorum regis animi confidentia. 714.
Educationis cura in sobole necessaria. 524. 528.
Egenorum in Republ. noxa. 335.
Egenis Rempublicã quomodo exonerare princeps queat. 335.
Egentium erga opulentiores odia. 310.
Eleemosyna quibus potissimum conferenda. 186.
Eleemosynarum pia erogatio que. ib.
Eloquentia vires. 392
Eloquentia vis prolixe describitur. 719. 720. 721. 722. 723. &c.
Eloquentiæ studium principi quammaxime est necessarium. 166.
Eloquentiam ducis quæ necessario comitentur. 731.
Emanuel Portugalliæ rex infelix. 425.
Emolumenta publica privatis anteponenda. 735.
Emtione ditio quomodo acquiretur. 546.
Epaminundæ erga filium asperitas. 661. *ipsius adversus Lacedamonios strategema.* 695. *senex lyram pulsauit.* 362.
Ephori apud Athenienses qui 18.
Epicedia decantandi mos ubi primum initium habuerit. 642.
Epidauri suos cum mercatoribus Illyricis contrahere non permiserunt. 107.
Episcopi cuiusdam anarritia egregie compensata. folio 150.
Epulones quinam olim Romanis dicti. 780.
Equabus Cimon Atheniensis sepulcrum statuit. fol. 193.
Equitatus an peditatus præstet? 739.
Equitatus vsus in planitie maximus. 740.
Equitatu ubi magis minusve utendum. 685.
Equites aurati quinam creentur? 646.
Equus Alexandri Magni sum-

Digitized by Google

mo pretio habitus. 193.
Equus Ferdinandi regis quare freno liberatus. 193.
Erasistrati medici peritia. 525.
Euagrij Salaminij confidentia. 466.
Euangeliorum liber cur osculandus principi offeratur. 197.
Euclionis apud Plautũ parsimonia ridicula. 149.
Euentum rei haud expectant qui futura ex antecedentibus causis assequuntur. 35.
Exactores censuum non euisceratores princeps constituat. 72.
Exactionibus subditi non ad modum aggrauandi. 418. 419. 420. 421.
Excellentia quid? 311.
Exercitus imperator qualis esse debeat. 705.
Expeditiones cur quandoque suscipiantur. 632.
Experientia est oculus prudentia. 235.
Experientia prudentiæ est mater. 169. *Vnde existat.* ibid 170.
Exploratores an principem habere conueniat? 129. *& quatenus ijs fides habenda.* ibid. 130.
Exploratoris & Syndici differentia. 129. 130. 131.
Extemporalitas omni studio fugienda. 239.
Exteri grauius censendi quã subditi. 423.
Exterorum opera in bello vti periculosum 566 567. 568.
Extrema in omnibus rebus vitanda. 262.
Ezechiæ regis Iudæ imprudẽs factum. 258.

F.

FAbius Ambustus qua ratione Anxur cepit di potitus. fol. 688.
Fabius Cunctator. 241.
Fabricij erga Pyrrhum candor. 591.
Facetijs quatenus principem indulgere conueniat. 205.
Facinorosi quomodo tractandi. 211.
Facundus comes in via pro vehiculo est. 205.
Faonius omnium ventorũ est placidissimus. 833.
Fauoris & dignitatis discrimen. 58.
Feraio portus quomodo habitatoribus accreuerit. 875.
Ferdinandi Calabriæ ducis animi moderatio. 199. 200.
Ferdinandus Cortesius fautor theologorũ studiosissimus fuit. 286.
Ferdinandus Pescarensium

dux ex historijs peritiam bellicam edidicit. 171.
Ferdinandus III. Vnde Magni cognomentum sortitus fuerit. 268.
Feritas à fortitudine est aliena. 609.
Feroces qui dicantur? 605.
Ferrifodinarum Vtilitates. 507.
Fertilitas soli, an ad conciliãdam incolarum multitudinem sufficiat? 828.
Fidelitas erga principem in quibus rebus consistat. 115
Fidentia quid? 577.
Fides etiam hostibus data, seruanda. 197.
Filij Spurij amore filiali olim non obstricti. 524.
Firmitas quid? 577.
Fiscus principis pecunia sit instructus. 418.
Flandria aquarum commoditatibus maximo gaudet. 836.
Fœdera maximũ ad abigendum hostem habent momentum. 391.
Fœderatorum duo genera. 554. 555.
Fœderum pangendorum qua ratio habenda. 552.
Fœmellis qua ætate contrahere matrimonia licitum sit. 534.
Fœmina an papali sedi aliquando præfuerit? 800.
Fœmina viris effœminatis masculorum naturam induunt. 356.
Fœmina an dici possint fortes? 595.
Fœmineum ingenium ad omnia mala callidum. 701
Fœnus in Republica est instar scelerati latrocinij. 87.
Fœnerator grauius quam fur puniendus. 95.
Fœneratorum distincta à cæteris ciuibus debent esse ædificia. 107.
Fœneratorum pœna, ex sententia Catonis. 87.
Formica ex ebore. 519.
Formulis an Vbique parendum. 110. 111. 112.
Fortes qui Vere dicantur. 576.
Fortes quænam metuant. 589
Fortitudo ciuilis quænam. 609.
Fortitudinis Vera descriptio. 576. 577. 578. &c.
Fortitudo in quibus rebus cõsistat. 576. 577.
Fortitudinis speciem habentia exempla. 605.
Fortitudinis aliquot exempla. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473.
Fortitudinem cum prudentia coniunctam esse conuenit. 166.

Digitized by Google

Fortuna quid. 312.
Fortuna sensuiorū homines, qui inde ad summos honores euehuntur, fortunam habeant suspectam. 78.
Fortuna cæca est. 513.
Fortunæ vis. 460. 461. 462. 463. 464. 465.
Frænum equi Constantini Magni ex duobus pedum Christi clauis confectum, Romæ vbi? 801.
Francia orientalis in puniēdis furibus olim consuetudo quæ? 934.
Franciscus Guicciardinus historicus. 25.
Francisci Patricij elegās admonitio, qua ratione imperium conseruetur. 26.
Fracisus I. vnde Magni cognomentum sortitus fuerit. 269. *studiorum fautor egregius.* 75. *eius in parādis studiosæ iuuentuti obtestamentis studium.* 856. *constans sententia.* 669.
Frænckenthalia vrbs in Palatinatu nouiter extructa. 845.
Fratris nomen vnde? 755.
Fredegunde Gallorum regina aduersus Childebertū strategema. 700.
Friderici Montisferrati Comitis contra Sigismundū Malatestam strategema. 698.
Friderici II. Imp. aduersus Samniatenses strategema. 699.
Friderici III. Imper. votum. 247.
Frons principis qualis esse debeat. 215. 216.
Fruges in ædium tectis vbi nascantur. 510.
Fuga in principe turpis. 183.
Fumo pereat qui fumum vēdere non erubuit, dictum Alexandri. 197.
Fures in Francia orient. qui olim suspenderint. 934.
Furum pœna ex sententia Catonis. 87.

G.

GALBA orationes suas præmeditatas prius protulit. fol. 239.
Galba donationes Neronis quare fecerit irritas. 145. *eius parsimonia improbatur.* 147.
Galeatij Mantuani, vt puellæ iocanti satisfaceret, ieiunitas ridicula. 608.
Galli seipsos inuicem bellis atterunt. 302.
Gallorum mores & ingenia. 173.
Gallia omnium regnorum caput. 887.
Gallia cur populosissima. 525.

Gallia nobilitatis ope ab Anglis sæpe capta. 326.
Gedeonis Israelitæ fortitudo. 677.
Gestus principis quales esse debeant. 216.
Gemma in qua nouem Musæ & Apollo cũ cythara spectabatur. 518.
Gener socerum occidit. 80.
Generositas quid? 577
Geneuatum mores & ingenia. 175.
Genizzarorum. Vide Ianizzarorum.
Gentem minus dere, quam victor in officio non possis retinere, stultum est. 46.
Georgij Castriotæ fortitudo atque alacritas. 575. 711.
Georgij Castriotæ gladium Turcicus Imp. videre expetiuit. 614.
Germanorũ antiquitus præliandi mos. 682.
Germanorum potentia elegans comparatio. 408. ordinum in bellis sunt obseruantes. 619.
Glacies vbi lapidum vicem suppleat. 510.
Gladiatores pugnaces potius quam fortes dicendi. 607.
Gladius Caleburnus regis Arturi. 613
Gladius Durindanus. ib.
Gladiorum vsus in præliis maximus. ibid.
Gorelli Orilia ad Ladislaum oratio de exactionum intermissione. 420.
Gradiui Martis templum Romæ vbi fuerit. 796.
Gradus prætorij Hierosolymitani, per quos Christus sanguinolentus populo est propositus, Romæ vbi mõstrentur. 801.
Græci fœneratores intra vrbem non receperunt. 107.
Græcorum ludi, qui præcipui fuerint. 297.
Grati erga deos esse debemus. 193.
Gratiani ac Theodosij mirifica inter se mutuo amor. 334.
Grauitas vultus etiam hostibus terrori est. 446
Gregorij Nazianzeni dictũ de matris principum moribus. 375.
Gregorius I. vnde Magnus cognominatus. 270.
Guilelmi Normandiæ ducis in instauranda religione diligentia. 276.
Gymnasia erigere maxime honorificum est. 187.

H.

HAij Scoti villicani, fortitudo. fol. 673.
Harpyiæ Rerump. quæ potissimum sint. 87. 88. 89. 90. &c.

Helio-

Heliogabali immensa prodigalitas. 152. *luxus.* 428.
Henrici Angliæ regis domus portatilis artificiosissima. 511.
Henrici I. Imp. de securitate agricolarum & militari disciplina, cautio. 629.
Henricus II. Imperij Vrbes quasdam æstu ad se pertraxit. 541. *eius oberatio.* 424.
Heraclitus Imp. qua ratione Saracenorum & Arabum vires fregerit. 368.
Hercules alterum cornu fluuio Acheloo excussit, quid hac fabula innuatur. fol. 501.
Herculis apud Gallos effigies qualis. 723.
Herculis Victoris templum in quod neq; muscæ neq; canes ingressi feruntur, Romæ vbi fuerit? 777.
Heroes qui Græcis dicti. folio 595.
Herodes vnde Magnus cognominatus? 266.
Heroes à Diis olim procreati crediti fuerunt. 69.
Heroes antiquitus cur deos in suis gentilibus numerarint. 750.
Hetruscorum mores & ingenia. 175.
Hetruscorum clades diuinitus immissa. 464.
Hieronymus Riarius minarum pœnas luit. 222.
Hierusalem Vrbs incolarum numero frequentissima. 849.
Hippia Elei gloriatio. folio 504.
Hispaniæ regni membra ad propulsandum hostem singula satis habent virium. 53.
Hispania cur hodie minus culta. 497.
Hispani nobilitatis ope seruitutem Maurorum excussit. 326.
Hispania cur ab incursionis metu liberata sit. 308
Hispanorum qui in Gallorũ potestatem transierant, pœna. 660.
Hispaniæ Vrbes præcipuæ qu 888.
Historias conscribere gloriosum. 653.
Historiarum cognitio principi perquam necessaria. 170. 171.
Historiographis quid attendendum. 654.
Histriones ab Eucharistiæ cõmunione arcentur. 298.
Histrionibus an aliquid conferendum. 162.
Homeri Ilias nuci inclusa. 519.
Homo animal sociale cur dicatur? 832.

Hominis corpus in lapidem conuersum. 819.
Homines quibus causis moti primum coaluerint. 747
Hominum genus pumaeum rapinis fuit deditissimum. 754.
Hominum numerus vt augeatur, qua requirantur. 531.
Hominum multitudo, etiam multitudinem arguit diuitiarum. 496.
Homines quibus rebus moti primum sese aliorum fidei submiserint. 68.
Hominum tria sunt genera in qualibet Rep. 308.
Hominum numerus cur non vlterius excrescat? 530.
Honeste cœpta non sunt temere deserenda. 260.
Honoris flatu permulti tument. 311.
Honores non ex gratia sed ex merito conferendi. 77.
Honoribus cur pugiles vrbe exegerit. 298.
Horti Romæ quinam iudicentur amœnissimi. 811.
Hospitij iura sancta sunto. 185.
Hospitalitas quatenus militibus debeatur. 631.
Hospitalitas quanã dicatur. 185.
Hostilij astutia, Metio Suffetio ad neutram partem inclinante. 694.
Hostes apertos habere satius est quam dissimulantes amicos. 130.
Hostium vtraq; parte reconciliata neutrales sibi caueant. 406.
Hostis quomodo preueniendus? 385.
Hosti vbi quis viribus est impar, quid agendum. 389. 390.
cum Hoste vbi confligendum. 388.
cum Hoste quatenus transigendum. 394.
Hostibus dissidentibus facilius est aduersus eos victoria. 182.
ad Hostes deferre aliquid quod ipsorum vires augeat, legibus est prohibitum. 540.
Hostium vires periclitanda. 681.
Hostis anteuertendus. 691.
Humanitas magnanimitatis comes est. 454.
Humanitas principis mirifice conciliat subditos. folio 207.
Humanum genus cur non amplius diffundatur. 927.
Humilitas nulla tanta est, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. 647.

Digitized by Google

I.

Iacobi Boissardi de Romanensium humanitate testimonium. fol 763.
Iacobi Caldora erga quos vis facilitas. 215. *fortitudo et iam in media morte.* 588. *grauitas.* 450.
Iani templum Romæ vbi fuerit? 776.
Ianizari rebus grauissimis ab imperatore Turcico adhibentur. 347.
Ianizarorum priuilegia. 664. *quinam Turcis dicantur.* 665. *an sint nerus belli ac victoriarum Turcicarum* 740. *arrogantes potius quam fortes sunt.* 665.
Ierobeam cur aureos conflarit vitulos? 850.
Iesuitarum vehementia in propaganda fide Romana. 351.
Illyricorum commercia damnosa. 107.
Immanitas à fortitudine discernitur. 592.
Imbraimi legati Turcici cõparatio in vires ac potentiam Germanorum. 408.
Impauidus, non fortis, sed insanus est. 577.
Impensis inutilibus abstinendum. 427.
Imperantem alijs, intemperantiæ seruire non conuenit. 215.
Imperator non ex eo quod alijs, sed quod sibi imperat, æstimari debet. 76.
Imperatoriam maiestatem & armis decoratam & legibus armatam esse oportet. 366.
Imperatores ac reges quinam fuerint præ cæteris virtuosissimi. 65.
Imperatorem stantem oportet mori, dictum Vespasiani. 257.
Imperatores, qui luxum Romanorum nimium tollere conati fuerint? 292. 293.
Imperij amplificandi atque aliena ad se pertrahẽdi rationes. 538. 539.
Imperia maxima quibus maxime rebus interciderint? 294.
Imperiorum differentiæ &c. 2. 3. 4.
Imperiorum ortus & interitus causæ. 10.
Imperiorum robur dispersum quomodo cogatur. 49.
Imperium cõtiguum an disiunctum durabilius. 49. 50. 51. 52. 53.
Imperium amplificare an tueri, virum maius. 23.
Imperium vt augeatur, an iustum sit, inferre bellum finitimis. 543.

Imperij amulorum pax & concordia quomodo conseruetur. 324.
Improbi aliquando citius quam improborũ traduces extirpari possunt. 370
Incolarum multitudo etiam terram cultura præparat. 499.
Incommoda minuta non sunt floccipendenda. 314
Incrementum quid? 312
Incuria magistratus quæ? 315.
Incuria negligentia est mater. 248.
India quinq; oppidorum millia continet. 897.
Independentes principes qui? 565.
Indigentia est causa commerciorum. 92.
Infamia quantum malum. 213.
Infidelium pernicacia quomodo impedienda. 376
Infideles, qui fidei Christianæ nomẽ dare recusant, quomodo tractandi. 383.
Ingenij humani inuenta innumera. 508.
Ingenia hominum dissimilia. 505.
Ingenia hominum diuersa vnde? 173.174.
Iniuria quid? 310.
Inopes in Repub. ad res nouas moliendas vbiq; sunt parati. 333.
Inopũ erga ditiores inuidia, ditioribus contra sordes inopes. 91.
Inopum egestati qua ratione in Republ. consulendum. 342.
Insignia quæ vera sint? 652.
Insula Tyberina Romæ vnde olim excreuerit.
Intemperantia maximũ vitium. 290.
Inutilibus structuris princeps abstineat. 300.
Ioannis Iouiani Pontani de Venetorum Rep sermo honorificus. 48.
Ioannis Medices fortitudo. 575.
Ioannis Vegæ, Græcarij regij, in administranda iustitia constantia. 134.
Ioram regis Israelitarum ob publicas calamitates commiseratio. 141.
Ioui positorio templum strui conuenit. 247.
Ira Viri fortis qualis esse debeat. 598.
Iram cobibet princeps. 199.
Iræ ferme ipsi feruido exitiosa est. 229.230.231
Iracundiam impendio cohibet princeps. 221.
Israelitæ cur primitus regem postularint. 314.
Italiæ Respublica quæ hodie maxime floreant. 90.

*Italiæ loca quædam sunt exculti*ſ*sima, quæ anteà fuerunt deserta.* 503.
Italiæ fines. 884.
Italia cur aquarum inundationibus obnoxia. 836.
Italicarum Academiarũ execratio. 855.
Iudæ Maccabæi fortitudo. 678.
Iudæi Christianorum artificia Turcis produnt. 540.
Iudæi Lusitania expulsi. ibid.
Iudex ieiunus tribunal conscendat. 128.
Iudex dorophagus pestis Reipublicæ perniciosissima. 116.
Iudicem extraneum, an indigenam habere conueniat. 125.
Iudices peregrinos curciuitates quædam admittant, 126.
Iudiciũ viri exercitati æquiualet iudicio eruditorum. 224.
Iuliæ Antonij Triumuiri matris egregium factum. 490
Iuliani Apostatæ magnanimitas 471 *ipsius erga suos beneficentia.* 185.
Iulius Cæsar qua ratione vrbes à se denictas robore exuerit. 368. *eius in Iuris ciuilis collectione diligentia.* 138. *imperium Romanum assectans, quales habuerit milites.* 334. *in rebus celeriter conficiendis felicissimus.* 241. *eius in benefaciendo benemeritis promptitudo.* 190. *ipsius triumphus quanis.* 366. *quomodo animosum reddiderit exercitum.* 703. *tam artis quam Martis gloria clarus exstitit.* 365.
Iulius Paulus quando vixerit. 476.
Iuris sententia non protrahenda. 134.
Iuris ciuilis deterrima hodie conditio. 138.
Iuris dilatio quæ mala secum ferat. 134.
Iuris ac legum abusus. folio 136.
Iuris via apud quas gentes breuis sit ac stricta. folio 861.
Iuris processus hodierni qualis. 860.
Ius ciuile qui Cæsares primũ in ordinem redigere studuerint. 138
Ius ciuile an permittat vsuras. 104.
Ius clientelare seu patronatus, quid? 5.
Ius fiduciarium seu feudale. ibid.
Ius sibi vbique constet. 133.
Iusdicentium corruptela. 860.

Iusti-

Iustiniani Imp. erga literatos fauor. 243. suorum ducum virtute felix fuit. 303. ipsius de mendicis constitutio. 339.

Iustitia distributiua quæ? 73.

Iustitiæ administrandæ ratio. 932. 933.

Iustitiæ encomium. 68. 69.

Iustitiæ quomodo iuste administretur. 133. 134.

Iustitiam exercere princeps debet. 69. 70.

Iuuenes an ab administratione Reipubl. excludendi. 120.

Iuuentutis stile obsequium & senectutis illustre imperium natura docet. 121.

L.

Labiorum in homine insignis præstantia. fol. 728.

Lacedæmonij de fuga deliberantes a fœminis retrahũtur. 597. ipsorum erga Philippum Macedonem magnanimitas. 499. superstitio. 278.

Lacedæmonij cuiusdam confidentia. 713.

Lacedæmonij à Tyrtæo Poëta ad inferendum Messenijs bellum confirmati. 730

Lacus Curtius Romæ vbi fuerit. 791.

Ladislai, Caroli III. regis Neap. filij πολυπραγμοσύνη, ipsi infeliciter cessit. 177.

Lanificij emolumenta. 506.

Latrocinia antiquitus non fuerunt contumeliosa. 755.

Lateranorum basilica olim pontificum Romanorum sedes. 798.

Laurentij Vallæ sepulcrũm Romæ vbi. 800.

Lectio assidua & diligens prin. ipi maxime vtilis. 202.

Legati vrbium aut principũ quomodo tractandi. 210.

Legatus aut minister an semper iuxta principis mandatum agere debeat. 110. 111. 112.

Legio quid. 617.

Legiones quadraginta quatuor Augustus Imp. hinc inde aluit. 385.

Leo I. cur Magnus dictus. 270.

Loporariis princeps ne studeat. 501.

Lex multa tolerat, quæ tamẽ nem approbat. 104.

Lex vbi deficit aut dubia est principis sententia standum. 109.

Leges sumtuariæ apud Romanos cur latæ. 292

Leges in Rep. ita ferendæ, & ut populo videantur fauere. 43.
Legum natura cerea. 136.
Liberales artes quomodo primum ad Gallos & Germanos transierint. 76.
Liberales qui imperatores ac reges maxime fuerint. 140.
Liberalitas quatenus in accipiendo versetur. 194.
Liberalitatem solemnibus quibusdam diebus exercere principes sæpius solēt. 160.
Liberalitatis documēta egregia. 184.
Liberaliter etiam aduersus hostes agendum. 192.
Liberalitas læta fronte est exercenda. 189.
Liberalitas maximum in viris principibus decus. 143.
Liberalitas in extremis terris constitutos in sui amorem rapit. 189.
in Liberalitate exercenda, quæ obseruanda. 144. 145.
Liberalitatis palmā princeps sibi a priuato eripi non patietur. 141.
in Liberalitate exercenda quomodo peccetur. 156.
Liberalitas in mutuēdo quo vis statu vis maxima. 139.
Liberalitas vnde dicta. 152.
Liberalis quis vere dicatur, atque in quibus versetur. 153. 154.
Liberorum multitudo rerum inopiam non causatur. 94.
Liberorum venditio vbi vsitata. 930.
Libertatis amor omnibus a natura innatus est. folio 179.
Libri libere multa admonent quæ quis ore attentare nō ausit. 178.
Lingua aliena qua ratione ad aliam gentem transferri possit. 349.
Linguarum cognitio principi perquam necessaria. 214.
Linguæ humanæ donum incomparabile. 726.
Lipsij de imperij tuitione elegans similitudo. 27
Literæ principibus addiscendæ. 202.
Literæ equestrem ordinem ab ignobilitate vindicant, dictum Tilij. 76.
Literatorum vitia non literis sed ipsorum ingenijs ascribenda. 203.
Literati a solo Deo creantur, titulis ac prædiis ab imperatoribus nobilitantur. 156.
Literati rebus perturbatis præferuntur illiteratis. 203.
Lites forenses a rabulis cum cli-

dientium maximo incommodo protrahuntur. 135. 136.
Litigans de sex coronatis impendit coronatos sexaginta. 135.
Liuonia qua ratione Polonie regibus obtigerit. 541.
Locus aliquis vt inhabitetur, quid potissimum cõcurrere debeat? 824.
Lucij fratris Octauij magnanimitas. 489.
L. Commodi pecuniarum auctarium. 151.
L. Luculli cum rege Tigrane pugna. 687. rei militaris peritiam ex scriptis historijs assecutus fuit. 171. dimissus admissus. 463. eius confidentia. 465.
L. Marius ex humili loco electus. 648.
L. Papyrij Cursoris aduersus Samnites strategema. 695.
L. Sicinij Dentati fortitudo ac robur. 602.
L. Sylla alacritas atque in acie moriendi promptitudo. 675.
Lucus Vaticanus. 768.
Ludouici ducis Sabaudie in egenis subleuandis promptitudo. 140.
Ludouici regis Gallie ad filium pia admonitio. folio 199.
Ludouicus Sfortia egregiam fuit infirmitatis dissimulator. 258.
Ludouici IX. in pauperes liberalitas. 140.
Ludouicus XI. literarũ osor. 75. lapsum linguæ sæpius ab amicis deprecatus est. 199.
Ludouici XII. regis Gallie imprudentia. 254.
Ludi sine cede & sanguine peraguntur. 297.
Ludi Romanorum cur aliquandiu intermissi? ibidem.
Ludi publici cur antiquitus instituti? ibid.
Lupanarium quæstus an licitus. 195.
Lusus militibus quinam concessi. 640.
Luxus incommoda. 290.
Luxui qua ratione obuiandum. 294.
Luxuria multorum malorũ lerna. 13.

M.

Machiauelli sententia de sede principis transferenda conuellitur. fol. 306.
Machometus ob auaritiam, quamvis alioqui rebus gestis clarus, male audit. 189.

Mago-

Digitized by Google

Magistratum non ditiorem sed clariorē euasisse oportet. 433.
Magistratus perpetui an cōcedendi. 331
Magistratus quibus committendi, quibus non? 328. 329.
à Magistratus administratione faces populi amouēda. 313
Magistratus caute subditos mescabit. 296.
Magistrat° qua ratione subditos in officio continere possit. 27.
Magistratum vendere minime conuenit. 117.
Magistratuum electio qualis olim fuerit apud Spartanos. 119.
in Magistratuum electione, an pauperum an vera ditiorum suffragia præferēda. 120.
Magistratus emere apud Carthaginenses fuit gloriosum 118.
Magistratum ambire Lycurgus concessit, Aristoteles prohibuit. ibid.
Magnanimi viri commotiones quales esse debeant. 450.
in Magnanimo omnium virtutum ornamenta inesse debent. 487
Magnanimitas in principe, egregium decus. 263.
Magnanimitatis indicia. 457.
Magnanimitatis prolixa descriptio. 436. 437. 438. &c.
Magnus Cham, Tartarorum rex dicitur. 266.
Magnus Nego. Vide Pretejoannis.
Mahometes I. cur Magnus Turca dictus. 266.
Mahumetes II. qua ratione annuos prouentus adauxerit. 422. *historiarum fuit studiosissimus.* 171.
Maionis Apuli ad summos honores euecti exitus miserabilis. 78. 79.
Multa non naturæ at militū roboremunita. 383.
Malum tolerare non est approbare malum. 104.
Mandati regulis an vbique parendum. 110. 111. 112.
Manlij Torquati grauis in filium proprium animaduersio. 111.
Mansueti an etiam fortes possint dici. fol. 578. 579. 580.
Marcelli papæ electio à Iaponense quodam cur tantopere approbata. 120
M. Aemilius ocio militem diffluere non est passus. 639.
M. Antonij triumviri hebetatio. 431.

Marci Aurelij in diuidenda cum sorore, paterna hereditate aquanimitas. 154. liberalitas. 161. ipsius, à subditorum exactionibus abstinentia. 142.
M. Crassi institutum, cum contra Parthos moueret. 468.
M Curij Dentati aquanimitas. 629. præda hostili nunquam inhiauit. 732.
M. Liuius cur Romam a plebe reuocatus. 57.
M. Marcellum milites asperitas. 659 humili quantumuis loco natus Hannibalis impetum repressit. 648.
M. Portius Cato ex humili loco erectus. 648.
M. Scauri prodigalitas. 430.
M. Sergij, tametsi dextram in bello amisisset, alacritas. 676. fortitudo. 603.
Maria Delphini Romani comitas. 765.
Marius qua ratione suis metum exemerit. 681. in exasperando milite peritia. 671.
Mariti paucissimi uxoribus uere dominantur, & cur? 293.
Mari an terra pugnare præstet. 736.
Maris accolarum ingenia. 175.
Maris euentus plerunque fauent lacessentibus. 388.
Martiobarduli milites bellicosissimi. 612.
Massinissa corporis sui custodiam canibus commisit. 207.
Matrimonia contrahentium multitudine sola an multiplicetur genus humanũ. 524.
Matrimonij cõtrahendi ætas & qualitates. 531. 532. 533.
Matrimonia contrahentium immunitates apud ueteres. 523.
Matrimonia inopum quomodo Romani olim sublenarint. 534.
Matthæi Vicecomitis, Magni cognomen unde. 269.
Mauors ueteribus bellum dictus. 395.
Mauorum rex quando eligitur cõsanguineos ac fratres uisu priuat. 322.
Maximiliani I. de adauctione ditionum sententia. 26.
Mechanicorum in urbem Constantinopolim translatio. 506.
Mediolanum urbs unde populosissima extiterit. 853.
Menan, mater fluuiorum. 841.
Mediceorum familia magnis semper uiris claruit. 269.

Digitized by Google

Mendicis ocioſis quidnam largiendum. 340.
Mendicorum habendus delectus. 339.
Mendici non ferendi. 338.
de Mendicis Caroli Magni conſtitutio. ibid.
Mendicantes ualidi omnibus merito ſunt exoſi. 340.
Mercatorum fraudes innumeræ. 105. 106.
Mercimonia inutilia quæ? 106.
Meridionalium populorum mores. 173. 174.
Meta ſudans Romæ ubi, & cur ita dicta? 803.
Metelli Macedonici in rebus gerendis taciturnitas. 220.
aduerſus milites fugientes ſeueritas. 672.
Metus quid? 312.
Mexici urbis magnitudo. 894.
Michaelis Bonaroti aduerſus Raphaelem Sanctium ſibi inuidentem, callidum conſilium. 781.
Michael Comnenus Palæologus unde Magnus cognominatus? 268.
Midæ ſtultum uotum. 101.
Miles à patria abductus euadit animoſior. ...
Milites quibus rebus exercitandi. 640
Miles ab otio euocandus. 639.
Militibus pagos tranſeuntib. quid præſtandum ſit, legibus eſt cautum. 631.
Miles ſomno captus Capitolio præcipitatur. 662.
Militis Romani deſcriptio. 631.
Milites cuius nationis ſint, in bellis attenditur. 619.
Militum Romanorum ordines ac gradus. 663.
Militibus quæ ratione omnis fugiendi præcidatur anſa. 660. 661.
Milites mutuis iuramentis ut ſe inuicem obſtringant non ſunt cogendi. 678.
Miles an in anguſtias deducendus? 670.
Militum terga uertentium pœnæ. 660. 661.
Milites ubi ex deſperatione ſeſe obſtrinxerunt, non facile cum illis eſt conſligendum. 675.
Miles quomodo tractandus, ut ultro uelitationes expetat. 668.
Militem à militia quæ hodie abſterreant. 654.
Militi ad uictum quærēdum inhabili facto, ſalario ſuccurrendum. 657.
Militis boni deſcriptio. 633.
Militum pœnæ & correctiones. 658.
Militum præmia ac ſtipēdia qualia eſſe debeant. 642.

Militi bono quæ obſeruanda. 670.
Militũ diurna itinera qualia. 633.
Milites Itali cum paruo habeantur numero. 619.
Militis mali deſcriptio. 631. 632.
Militis è pectore ſtomachus exutus. 637
Milites, pugnaces non fortes dicuntur. 610.
à Militibus delicia abſint. 634.
Militum præſidiariorum ſub Auguſto Imp. numerus. 385.
Militi gregario artium ſcientia non eſt neceſſaria. 367.
Militum gregariorũ proteruia. 576.
Militum qualis debeat haberi delectus. 574.
Militis uxorem hoſpitis ſtuprantis pœna. 635.
Militis bellicoſi proprium. 573.
Militaris diſciplina ſtrictè ſeruanda. fol. 626. 627. 628. *&c.*
Militaris diſciplina Romanorum uetus qua fuerit? 630.
Minerua unde ueteribus dicta? 855.
Miniſter quatenus domini ſui mandatũ exequi aut rem aliter atque mandata eſt, exequi debeat. 112. 113
Miſſa caſtrenſes unde? 622.
Mithridates Parthorum rex unde Magnus cognominatus fuerit? 266.
Monetarum fraudatores. fol. 106.
Monica, matris Auguſtini templum Romæ ubi? 803.
Mons Auentinus à Romanis cur inauſpicatus habitus. 779.
Mons teſtaceus Romæ ubi, ac de eo uaria opiniones. 779
Mons citatorum Romanus qui dictus? 817.
Montes inhabitantium ingenia. 175.
Morbis confecti eleemoſynis ſublenandi. 187.
Mors uiri fortis qualis eſſe debeat. 587.
Mortuis antiquitus quinam honores delati. 643.
Morum diſſimilitudo in ciuibus maxima conuerſionis Reip. cauſa eſt. 315.
Moſcouiæ urbes quæ? 889.
Moyſes infantulus nauigio papyraceo uectus eſt in hortos Pharaonis. 513.
Mulis à populo Athenienſi publica decreta alimenta. 193.
Mulieris cuiuſdam audax reſpõſum aduerſus regem 70.

Mulio-

Digitized by Google

Muliebris luxus atq; ornatus omnino cohibendus. 293.
Multitudinis furor. 943.
Multitudinis furor omni arte cohibendus. 183.
in Muneribus largiendis quis modus adhibendus? 434.
Munera & verbis quandoq; honestanda 190.
Munitiones quadam maxime celebres. 381.
Munitio cui subueniri non potest, certissima est hostium præda. 383.
Munitiones quæ maxime opportunæ? ib.
Munitiones in quavis regione sunt perquam necessarie. 380.
Munitiones cur à sede principis procul debeant esse remotæ? 381.
Munitiones quibus rebus firmandæ? 382.
Murorum aliquot structura miranda. 898.
Muri ex glaciei fragmentis vbi construantur? 510.
Muratis Imp. Turcici, erga fratres barbaries. 318.
Musica Dorica qua dicatur? 359.
Minis cur principi abstinendum? 222.
Musica an è templis extirpanda? 361.
Musices encomion. 357. 358. 359.
Musica praxis an ætate proiectioribus etiam conueniat? 361.
Musices allatratores quibus rationibus aduersus eam sibilent. 360
Musici cuiusdam ad Philippum Macedonem egregium responsum. 261.
Musicæ molles reddit homines & effœminatos. 356.
Musicam an Aristoteles plane è Rep. exterminari voluerit? ibid.
Mustaffa capitanei Turcici alacritas. 718.
Mutuo dare pecuniam gratis, Christianum est. 494.
Mutuum dantes, nihil inde sperantes, dictum Christi. 96.
Myrmecides sculptor subtilissimus. 519

N.

NAtura animalia non solum vt mater sed etiã vt nutrix producit. 97
Natura an ars ad conciliandam multitudinem plus conferat? 506.
Naues vitiles. 512. *vitreæ.* 513.
Nauis quam apicula pinnis abscondit, opus Myrmecidis. 519.
Nauigãdi genus inauditum in mõtium cacumina. 514.

Nauicule ex virgultis contexte. 513.
Nauigia ex papyro & scirpo. 513.
Naumachia Rome olim vbi. 792.
Neapolitani reges exercendo mercaturas, suos ad inopiam redegerunt. 194.
Negotij expeditio non adeo stricte est præscribenda. 183.
Negotia principis omnia prae se ferant quandam grauitatem. 263.
Negotij expeditio refraganti non est committenda. 182
Neronis prodigalitas. 145. *quomodo in contemtum sese precipitauerit.* 454. *astus in captando fauore populari.* 345. *cur infelicē vitā habuerit exitum.* 198.
Nestoris quam Aiacis similes habere conuenit. 28.
Nestorij & Eutychetis hereses quomodo damnatæ? 270.
Nicia superstitio. 279.
Nicolai V. Pontif. Max. vitia quomodo obsoleuerint. 189.
Nihil motum ex antiquo probabile est, Liuij dictum. 253.
Nilus ferendis oneribus non est admodum commodus. 837.
Nisa urbs ab Alexandro M. expugnata. 676.
Nobilitas quid? 64.
Nobilitatem nō opinione sed nātura contineri demonstratur. 62. 63. 64.
Nobilitas sitne in bonis numeranda. 60. 61. 62. 63.
Nobilium virtus tyrannis suspecta. 565.
Nobilitatis insignia vnde primum orta? 649.
Nobilitatis ope Gallia ab Anglis vindicata. 326.
Nobilitatem habere in astragalis quid? 651.
Nobilium multitudo inuictū regni arguit robur. 326.
Nobilis cuiusdā animi magnitudo ensem pro instrumento feudali ostēdentis. 326.
Non omnis fert omnia tellus, & quare? 99.
Non pedes, sed caput imperant, dictum Seueri Imp. 637.
Notariatus artis abusus. 136.
Nouationes non ex abrupto attentandæ. 255.
Nouationes pleraq; sunt odiosæ. 254.
Numus quare inuentus. 100.
Nummos qui admiratur, miser est. ibid.
Nuptijs amicitia principum constatur. 548.

Obe-

O.

OBedientia munus qui implere cupit, quid potissimum proponere sibi debeat. fol. 114.
Obedientia Vera quæ? ibid.
Obeliscus Vaticanus Romæ Vbi? 772. eius in alium locum translatio. ib.
Obeliscus literis hieroglyphicis illustris Romæ Vbi? 816.
Occasiones minime negligendæ. 182.
Ocium militibus præcidendum. 638.
Ocium principis tam sine negotio quam absque segnitia sit. 204.
Ocia in Republ. non ferenda. 341.
Ocioſi homines certis laboribus sunt mancipandi. ibid.
Occidentalium populorum mores & ingenia. 175.
Odium est Vmbra metus. 312.
Odoardus Angliæ rex Visione quadam ab exactionibus absterritus. 72.
Odor lucri bonus è re qualibet, dictum Vespasiani Imp. 791.
Officialium electio qualiter fieri debeat. 115.
Officialis Vnde oriundus esse debeat? 127.
Officialium munus. 109.
Officiales ad legũ præscripta alligandi. 128.
Officialium eligendorum nomina publice olim proclamari solita. 116.
Officialium mores atque ingenium quomodo princeps expiscari queat. 119.
Officiorum emtores, particulatim mensurata maximo pretio distrahunt. 117.
Officiorum distributio non pecunia sed Virtute æstimanda. 116
Officiorum nundinatio perniciosissima. ibid.
Officiorum nundinatio olim Romæ fuit capitale. 118.
Officiorum distributio apud Chinenses qualis? ibid.
Officiis dignioribus personæ digniores præficiendæ. 262.
Offula oblatrãtibus canibus obijcienda. 192.
Opilius Macrinus auarus simul fuit & prodigus. fol. 157.
Opima spolia quænam Romanis dicta? 647.
Oppida quis primus extruxerit. 748.
Opulentiorum mores & ingenia. 309.

Oratio Dominica denariolo inscripta. 519.
Oratio magnanimi qualis esse debeat. 451.
Oratio monstrosa monstrosæ mentis indicium est. 246.
Oratio principis qualis esse debeat. 218.
Oratores præmeditate ad dicendum accedere debent. 239.
Orbis noui Vrbes præcipuæ quæ? 892.
Ordinis D. Ioannis equites. 656.
Ordinis D Stephani equites. ibid.
Orientalium regionum fertilitas. 881.
Orientalium populorum mores & ingenia. 175.
Orientalis imperij euersio Vnde? 568.
Otto I. cur Magnus cognominatus? 268.
Otto III. miraculum mundi dictus. 271. ipsius erga literatos fauor. 144.
ex Ottomannica familia oriundi quotquot libet Vxores ducunt. 324.
Ouidij patria ab Alphonso maxime habita. 204
Ouidij domus Romæ Vbi? 775.
Ouum & alimentum & incrementum pulli præbet. 98.

P.

PAgi Vnde dicti? 755.
Pagos cur Seruius rex cõstruxerit. 754.
Palatia regum ac principum admiranda. 903.
Palatium Cæsianum Romæ Vbi? 769.
Palatij Pontificum Romæ structura. 770.
Palermi Vrbis amplitudo. 890.
Palladiũ Romæ Vbi olim fuerit. 790.
Pallantis Claudij Cæsaris liberti supercilios a superbia. 84.
Panquarotarum expilationes. 106.
Pantheum templum Romæ Vnde ita dictum? 804.
Paquin Vrbis amplitudo. 891
Parasitorum mores atq; ingenium. 85.
Parci qui asari proprie dicãtur. 147.
Parsorum prætextus. 148.
Parisiorum Vrbis descriptio. 887. 888.
Parisiorum curia & Parlamentum quodnam? 329.
Parsimonia an regibus ac principibus conueniat? 147.
Parsimonia Euclionis Plautini ridicula. 149.

Parsi-

Parſimonia ſordida quæ. 148
Paſquini ſtatua, ad quam ſcommata & epigrammata famoſa ſolent affigi, Romæ & ubi? 781.
Paſſerinus. Mantuæ Præſul, minarum pœnas luit. 221.
Paſſionis Chriſti myſteria in unguibus delineata. 518.
Patientia quid? 577.
Patrocinium quid? 5.
Patrem quis laudabit, niſi filij infelices, Trœzenij dictum. 652.
P. Aemylius exploratores noctu cur exarmatos miſerit. 672. *ipſius egregia gloriatio.* 732.
Pauperes magnifici quinam dicantur. 416.
Pauperum ſtirps, magnus theſaurus, Tyberij II. dictũ. 161.
Paupertatis commendatio. 628. 629.
Paupertati honeſtæ omnis aditus ad magiſtratum non eſt intercludendus. 122.
Paupertas concionatorum, auctoritatem ipſorũ apud plebem quammaxime minuit. 288.
Pax & concordia inter eiusdem imperij æmulos quomodo conſeruetur. 32.
Pax iniqua potior eſt bello felici. 395.
Pax cum finitimis, quoad fieri poteſt, colenda. 179.
Pacis commendatio. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403.
Pecuniæ pondere nunquam defatigatur manus. 41.
Pecuniam ad ũſuram ſumere an principi liceat? fol. 424.
Pecunia hoſtis quandoque abigendus. 394.
Pecuniæ creditæ, hypothecatis pagis. 548.
Pecuniã ſæpius mutari Reipublicæ maximè pernicioſum. 101.
Pecunia deficiente, cõmerciæ quoq; deficiunt. ib.
Pecuniarum partus monſtroſus. 102.
Pecuniarum uſus quare introductus. 100.
Peditatus in planitie equitatui eſt inferior. 741.
Peditatus ubi magis minusve ſtendum. 685.
Pedanij centurionis Romani alacritas. 602.
Peregrini humaniter excipiendi. 211. 212.
Perfidia cuilibet bono inuiſa. 489.
Pericles eloquentia inſignis. 167.
in Periculoſis tentandum eſt cum periculo, dictum Hippocratis. 316.

Perillus ab Alexandro Magno 50. talentis donatur. 158.
Perſa vltimus Macedonum rex à Paulo Aemilio captus. 149.
Perſæ cur vrbes ſuas diu tueri nequeant? 380.
Perſia virtute nobilitatis ab hoſtibus ſæpius vindicata eſt. 326.
Perſpicaces qui dicantur. 239.240.
Pertinax Auguſtus ſordidas exercuit mercaturas. 194. eius nimia parſimonia. 148.
Peſcenninus Niger diſciplinæ militaris obſeruator acerrimus. 626.
Peſtis ſæuitia Florentiæ graſſata. 863.
S. Petri in carcere, Romæ quis locus dicatur? 786.
Petrus Baſildunus ob ſtudiũ locupletandi ærarij reprehenſus. 114.
Petrus Landouuichius ſtrangulatus. 78.
Petri Maffæi in deſcribendis Portugalenſium rebus geſtis diligentia. 653.
Phalanx quid? 617.
Phalanges, an vero legiones præſtent? 618.
Philippus Formoſus, iuſtitiæ ſtudioſiſſimus. 71.
Philippi regis Macedonum in debellandis finitimis prudentia. 177. cum Muſico quodam de re Muſices diſceptatio. 261.
Philippi Mariæ erga peregrinos ac hoſpites liberalitas. 191. erga Alfonſum benignitas. 192.
Philopœmenis Megapolitani tametſi ſagitta perfoſſi fortitudo. 677
Phocionis Athenienſis ad mortem tracti, animoſitas. 491.
Pictura excellentia. 521.
Pietas tutiſſimum eſt principibus propugnaculum. 273.
Pilati domus Romæ vbi fuerit? 774.
Piraticam exercere primæuis homines nõ exiſtimarunt criminoſum. 755.
Pyrrhus Epiri rex in acquirendis rebus felix, in conſeruandis infelix. 25. à Lacedæmoniorum mœnibus virtute fœminarum repulſus. 598. primus hoſtium muros conſcendit. 676.
Piſa vrbs quare populoſa. 757.
Piſcium coriis vbi domus tecta. 510.
Pij Rudolphi, Cardinalis Carpenſis comitas. 764.
Plato exterarum gentium dele-

delitias intra Vrbem apportari prohibuit. 107.
Platonis constitutio de mendicis. 340.
Plaustra domorum vice vbi? 511.
Plebs bellua est multorũ capitum. 943.
Plebem aliquando licet propositis immunitatibus ac priuilegiis inescare. 42.
Plebem vincere quam in officio retinere, longe facilius. 26.
Plebs rebus secundis insolescit. 16. quomodo compescatur. ibid.
Poetarum de hominum mutua consociatione figmenta. 748.
Poetæ omnes vera scripserũt. 585.
Poetæ heroici siue Lyrici, qui potissimi fuerint. fol. 171.
Polonorum mores & ingenia. 173.
Pompa sacra annua cur ex Vaticano non in Lateranum, sed in S. Clementis templum Romæ ducãtur? 800.
Pompeij Magni erga scholas amor. 857. vnde Magnus cognominatus? 265. ipsius magnanimitas. 460.
Pomponij Attici in Ciceronẽ & Brutum beneficentia. 159. in suos beneficentia. 184.
Pontificum Romanorum ossa vbi recondita? 799.
Pontifices Romani, quinam virtute maxime claruerint. 65.
Pons vno è saxo ad pedes octoginta. 516.
Pons Aelius. 768.
Pontis Euphratis formices quot? 516.
Pontis in Dresda super Albim dimensio. ibid.
Pons Miluius Romæ vbi? 815.
Pontis supra Tamasim fluuium magnitudo. 516.
Pontis super Muldauiam apud Pragam longitudo. ibid.
Pontis Sublicij reliquiæ Romæ vbi? 773.
Pontes incredibilis longitudinis in Sinarum regione. 515.
Populi felix error est qui ad bonum ducit. 44.
Populi oppressio bellis gliscentibus. 402.
Populi victualium inopia vt plurimum exacerbantur. 296.
de Populorum moribus vnde faciendum sit iudicium. 172.
Populorum frequentia ad qd conducat? 494. 495.

Populus Romanus erga deos ubique fuit gratus. folio 192.
Populus Romanus quare invictus fuerit habitus. 232.
Populi Romani æstus adversus Annibalem. 248.
Pori regis ab Alexandro M. capti magnanimitas. fol. 468.
Porta tergemina Romæ unde sic dicta? 779.
Porta Vaticana Romæ quæ? 767.
Portugalensium regni excidium unde? 292.
Portuum maritimorũ usus. 833.
Potentia nomine quid intelligatur. 409.
Potentia maris an terræ præstantior? 736.
Prædonum ac sicariorum cõsilia qualia. 225.
In Præfectorum electione quæ considerandæ? 119. 120.
Præfectorum munus. 109.
Prælijs typographicis quot chartæ singulis diebus imprimantur. 528.
Præsentem in rebus quibus vis ostendat vultum princeps. 200.
Præstantissimorum hominũ consuetudine delectabitur princeps. 209.
Præstare plus quam promissum est quam principi cõcilsat auctoritatem. 258.
Prete Ioannis apud suos auctoritas. 174.
Primicerius Parisiensibus quis dicatur? 330.
Princeps aliorum iudicijs nõ nimis sit adstrictus. 260.
Principis corpus quoad fieri potest, sit vegetum ac sanum. 257.
Principis in administranda iustitia studium. 133. 134
Princeps in sermone constans esto. 259.
Princeps impotentiam suam dissimulabit. 258.
Princeps cum theologis conversari non indecorum sibi iudicet. 286.
Principis clientelam suscipere est periculosum. 5.
Princeps imperio maximus, exemplo maior est. 74.
Principis et virtutes sitæ vitia subditi æmulantur. 73.
Princeps de officialium suorũ moribus atq; ingenijs sedulo inquirat 119.
Princeps census suos temere ne profundat. 72.
Principes quinam Magni & Sapientis cognomen, & unde, sortiti fuerint. 264. 265. &c.
Princeps à rerum nouarum molitione abstineat. folio 253.

Princeps quatenus in rebus rebus mechanicis versari debeat. 166.
Principem alterius clientelæ seſe subjicere an expediat. 404.
Princeps divinis præceptionibus imbutus esto. 273.
Principem ipsum an cõflictibus interesse expediat? 30.
Principum libidines cur citius quam tyrannis, imperia exuertant. 14.
Princeps qua principis sunt, tractet. 261.
Principibus quanam persona potißimum suspecta sint. 318.
Princeps gliscente publica calamitate, commiserationis suæ argumenta edere debet. 141.
Principis est vigilare, ut cæteri dormiant. 367.
Principis institutio elegans. 440. 441.
Principes boni & ministrorum suorũ exactiones nimias haud raro infamantur. 114.
Principum opes è fortunis subditorum dependent. 89
Princeps talis sit qualis haberi cupit. 264.
Princeps ab externis hostibus qua ratione seſe tueri queat. 837.
Princeps nouus, si ministros omnes muneribus abdicat minus consulto agit. folio 254.
Principes ab alienis oculis atque auribus pendere non conuenit. 132.
Princeps surdaster aliquando sit necesse est. ibid.
Princeps qua ratione subditorum amorem maxime conciliet. 141.
Princeps cum viris eruditis conuersari studebit. folio 167.
Princeps late imperans, animum angustum habere non debet. 148.
Principum iura in ciuitates, quæ ipsorum tutelæ subsunt. 4. 5.
Princeps benemeritos ac dignos, honoribus afficiet. 77.
Princeps nõ sit πολυπράγμων 177.
Princeps optimus optime faciendo cives suos recte facere docet. 74.
Principi quæ in gubernatione maxime attendenda. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. &c.
Princeps virtute præstans esto. 60.
Princeps à nimiis subditorũ grauaminibus sibi temperabit. 71.

Prin-

Principis cura in officialium electione qua esse debeat. 115.
Priuati hominis potentia atque auctoritas principi merito suspecta est. 328.
Priuilegiorum quorundam concessio subditorum obedientiam mirifice cõciliat. 42.
Priuilegiorum vel minima spes ad frequentiam hominum conciliandam maximum habet momentum. 862.
Priuilegia studiosis omnino sunt concedenda. 855.
Priuilegia turpitudinis in Academiis tollenda. ib.
Probi Augusti erga tribunos ac milites beneficentia. 156.
Probi Imp. fortitudo. 603. eius sententia de improborum feracitate. 370.
Prodigi an dici possint reges ac principes? 150.
Prodigalium vitia. 152.
Profunditas aquarũ ad deportationem omnino requiritur. 839.
Promachus homo bibacissimus ab Alexandro Magno aurea donatur corona. 429.
Promethei fabula. 720.
Promissis standum. 259.
Prosperi rerum successus viro prudenti debent esse suspecti. 32.
Prosperi Gonsalui in rebus aduersis alacritas. 718.
Prospicientia quid? 238.
Prospicientiæ à consideratione differentia. 239.
Prouidi qui dicantur. 238.
Proxenetarum & aliorum mercatorũ fraudes variæ. 105. 106.
Prudentia quid? 222.
Prudentiæ peculiaria quædã documenta. 176.
Prudentia administræ ac comites quænam. 237.
Prudentia cum fortitudine debet esse coniuncta. 165.
Prudentia habitus exercitatione comparatur. 236.
Prudentia principi oculorum vice est. 164
Prudentis viri officium generatim quodnam? 252.
Publij Crassi in architectum quendam seuera nimis animaduersio. 111.
Puella Romana & Italica quare olim Sabinam Poppæam in gestu ac vestitu imitata. 74
Pulex catenula aurea illigatus. 519.
Pyramis C. Cestij Septemviri Romæ vbi? 780.

Q.

Digitized by Google

Quadriga quam muſca alis intexit, opus Myrmecidis. 519.
Quem quisq; amat, ſaluum eſſe optat. 115.
Quem quisq; odit, periſſe expetit. ibid.
Quietantiarum abolitio Reipublicæ perniciosiſſima, & cur? 92.
Quintus Fabius vnde Maximus dictus? 265. *eius aduerſus Samnites ſtrategema.* 696.
Quinſas vrbis amplitudo. 890.

R.

Raphael Sanctius pictorum facile princeps. 781. *à Bonaroto callide deuictus.* ibid.
Rebellium vires quatione Ariſtodemus tyrannus fregerit. 355.
Rebellium animi quomodo frangendi. 354.
Rebellium vires quomodo frangendi. 368.
Rebellium cõuenticula quomodo impediantur. 372.
Rectoris & Domini differentia. 21.
Reditus principum. 421.
Reditus extraordinarij qui dicantur. 426.
Regiones quædam improborum quaſi natura ſunt feraces. 370.
Regnandi cupiditas vera pietatis & iuris neſcia eſt. 31.
Regna mũdi celebriora quæ? 887. 888.
Regnum nullum ſine domeſtica cade eſſe ſolet, vel barbara eſt. 31.
Regni ampliandi ratio quæ? 550.
Religionis vis maxima in cõciliandâ incolarum multitudine. 849.
Religionis vis. 276.
Religio noua quatione introducatur. 350.
Religionis ſimulata vis apud plebem. 944.
Religionis apud diuerſas gentes diuerſitas vnde? 174.
Remoria Romæ vbi? 778.
Res alienas quærere & ſuas pati per ignauiam amitti, ſtultum eſt. 27.
Reſpublica potentiores cur minus durabiles? 31.
Reſpublica mediæ omnium maxime ſunt durabiles. 38.
Reſpublica quæ impendio excreſcere ſtudet, certiſſimũ ſui minatur exitium. 45.
Reſpublica quæ Ariſtoteli dicatur. 38.
Reipubl. inſtauratores quam conſeruatores cur in maiore

iore ſint admiratione? 28.

Reip. adminiſtranda &c in quinq; myſteriis conſiſtit iuxta Ariſtotelem. 41.

Reipub. regenda adeoq; functionum in ea, elegantiſſimus apud Socratem apologus. 123.

Rempubl. timeis princeps purgare debet. 87.

in Rempublicam periculoſa eſt peregrinorum admiſſio 125.

Rerump. conuerſiones &c unde? 11.

Rerump. formæ quæ durabiliores. 29.

Rerump peſtes antiquiſſimæ, iuxta Platonem, opes & inopia. 91.

Rex indoctus aſino coronato ſimilimus, dictum Alfonſi I. 169.

Rege nouo miniſtris nouis, lex quoque noua oboritur. 254.

Regum Portugalēſium commercia. 559.

Regibus fallere minime conuenit. 151.

Regis Voluntas pro lege habetur. 109.

Regum Aegyptiorum commercia. 559

Reges iuſtitiæ miniſtri &c dicerentur, fuit olim maximè honorificum. 70.

in Rege eligendo auctoritas an ſuor præualeat? 57.

Regem ſatellitio ſtipatum eſſe conuenit. 108.

Reguli cuiusdam Mauritani ad milites ſuos ſermo. 682.

Ricij in oppugnatione Albi &c ſtrategema. 697.

Roberti Galliæ regis in pauperes liberalitas. 140.

Roberti Sanſeuerinij magnanimitas. 446.

Roboraria aliæq; huius generis delicia declinandæ. 501.

Rodolphi comitis Habſpurgenſis erga ſacerdotem reuerentia. 275.

Rolandi ducis fortiſſimi gladius Durindanus &c unde dictus? 613.

Romæ urbis quomodo in tantum excreuerit. 758.

Romæ quando maxime floruerit. 39.

Romæ cur hodie quam olim non populoſior. 926.

Romæ omnia &c venalia, dictū antiquum, etiamnum &c verum. 116.

Romæ cur hominum multitudine amplius non excreſcat? 530.

Romanorum quis fuerit fortiſſimus? 603.

Romanæ urbis qualis hodie eſt, exactiſſima deſcriptio. 767. 768. 769. 770. &c.

Digitized by Google

Romani Pontificis electio vbi fieri soleat. 770.
Romanorum cum à Gallis capitolium obsideretur, strategemæ. 697.
Romanorum in milites tergæ vertentes seueritas. folio 660.
Romanorum de Carthagine exscindenda fraus. 746.
Romani qua ratione iuuentutem ad virtutes accenderint. 643.
Romani facile dominio maris potiti. 737.
Romanorum qualia fœdera. 552. 553.
Romani cur non amplius hodie, vti antehac, in exhibendis artificiosis statuis sese promtos exhibeant. 822.
Romanorum superstitio. 277.
Romanorum comitas. 762. 763.
Romanæ Reip. excidium vnde? 290. 291. 292.
Romanorũ ludi qui fuerint præcipui? 297.
Romanorum tam aduersis quàm prosperis rebus constantia admirabilis. folio 259.
Romanæ vrbis olim splendor. 910. 911.
Romani qua in re milites suos exercuerint? 640.
Romanorum disciplina militaris olim qua. 630.
Romani magistratus omnes olim fuerunt annui. folio 331.
Romani sæpius nouas tabulas plebi concesserunt & cur? 92.
Romanorum Rempubl. quid labefactauerit. 34. 35. 36. 37.
Romani olim omnes cataphracti in aciem descenderunt. 611.
Romanæ Reipubl. labefactatio vnde? 19.
Romani populorum multitudine fuerunt vbique celebres. 495.
Romani qua ratione aliorũ ditiones ad se pertraxerint 538. 539.
Romani imperij excidium vnde? 567.
Romanorum gloria quando degenerauerit? 628.
Romulus qua ratione exteros ad se allexerit. 843. *quomodo suis de vxoribus prospexerit. ibid. ipsius cum Sabinis fœdus.* 759.
Rostra Romanorum quæ dicta. 643. 787.
Rustici cuiusdam aduersus Vespasianum Imp. libera oratio. 414.
Rusticorũ damna quæ à militibus patiuntur. 632.

Sabau-

S.

S Abaudiæ comitis ad cancellarium imperatoris, literas feudales poscentem egregium responsum. fol. 326.
Sabina Poppæa Neronis sortitum. 74.
Sabinorum gens potentiam Romanam mirifice adauxit. 759.
Sabinarum fœminarum fortitudo. 596.
Sacerdotum & monialium coniugijs an augeatur hominum multitudo. 531.
Sagacitas à prudentia quid differat. 235.
è Sale ubi struantur ædes? 510.
Salaria officialibus omnibusq; qui publicis fungunturmuneribus, prompte persolui conuenit. 128.
Salomon rex paternos thesauros non undiquaq; probe contulit. 413.
Salomonis nimia in structuras ædificiorum impensa. 73.
Salutis templum unde Romæ constitutum fuerit. 187.
Sanctij Nanatrorum regis ad milites oratio. 733.
Sanctum Sanctorum Romæ ubi? 801. & quæ ibi reseruentur. ib.
Sapientia præclara documenta. 201.
Saracenorum mores. 174.
Sardanapali thesaurus fol. 412.
Satellitium regibus omnino necessarium. 108.
Saulis Iudæorum regis fortitudo. 677.
Saxones à Carolo Magno cur alio deducti? 370.
Scanderbegus. Vide Georgius Castriotus. 614.
Scholarum adminicula in introducenda religione. 350.
Scytissus rex Marocci & Fessæ und factus. 174.
Scipio non de adauctione sed de conseruatione Reipubl. Deos precatus est. 25. artibus humanioribus simul ac bellorum usu fuit peritissimus. 365. eius erga fratrem Fabium in diuidenda hæreditate integritas. 155. quo nomine à Seneca tantopere commendetur. 397. erga exploratores humanitas. 715. temperantia. 198. eius filia è publico elocata. 186. beneficentiæ nomine cõmendatio. 435. 436. alacritas. 600. mira continentia 59. ubiq; cautus atque perspicax fuit. 242.

Digitized by Google

Scipio Nasica frequentiores Comœdias dissuasit. 298.
cur Carthaginem delere noluerit? 314.
Sclopi longiores præstant brevioribus. 612.
Scortationum execratio. 535.
Scoti cuiusdam rustici fortitudo. 673.
Scotorũ mores & ingenia. 174
Scythæ victores præter gloriã nihil concupiscunt. 733.
Secundæ res sunt velut nostri speculum. 201.
Seditionum interdum quæ commodæ? 315.
Seditiones regni Ottomãnici continuæ. 322.
Seditiones unde excitentur. 309.
Seditionum pericula quaratione euitentur. 369.
Seditio quatenus interdum toleranda. 315.316.
Seditionibus quaratione obuiãdum. 372.373.374. &c.
Seditionis causa tredecim iuxta Aristotelem. 310.
Seditionem cito parit legum morumq; mutatio. 125.
Seditionibus mature obuiandum. 8. *& quomodo.* 9.
Seditionum nerui in Republ. quomodo incidendi. 307.
Seditionum nerui mature sunt incidendi. 55.
Seianus prætoriarum cohortium dux omnes cohortes in unum coegit, sed eventu minus felici. 371.
Selenci alacritas. 710.
Seleuci in filium amor incredibilis. 525.
Seleucus in extructione urbium, præterquam Alexandro Magno, nemini cedit. 752.
Seleuci regis erga socerum asperitas. 163.
Selymus I. Alexandri M. & Iulij Cæsaris res gestas sedulo perlustrauit. 171. *atq; in linguam Turcicã transferri curauit.* ibid.
Selimes Imp. Turcicus proprio filio vitæ insidias clãstruit. 319.
Semiramidis reginæ vanitas. 300.
Senatum inituri priuatas simultates deponant. 247.
Senna, Gallia fluuio nullus in toto orbe, ferendis oneribus respondet. 837.
Sententiarum matura diffinitio atq; executio oprandaquidem sed vix sperandæ. 138.
Septizonium Romæ ubi? 792
Septentrionalium mores. 173
Serici commoditates. 507.
Serpentibus hostes abacti 690
Seruitus & paritio quid differant. 21.
Sexti Pompeij magnanimitas. 489.

Sigismundi Augusti in scurram quendam liberalitas. 162. ipsius erga literatos liberalitas. 156.
Silentium inter duos tutissimum. 221.
Silicus Italicus Virgilij sepulcrum quotidie inuisit. 193.
Simonidis Poetæ à Themistocle petitio. 449.
Simulare aut dissimulare aliquid quatenus sit licitũ. 248.
Senenses quomodo captiuos suos tractent. 561.
Sinattarum filij artes paternas tractare cogũtur. 864
Singuli quod præstare non possunt, coniunctis præstãt. 31.
Sinistra ignorare debet, quid dextra ipsa dederit. 191.
Smaragdi ducis obtruncatio. 735.
Sociorum auxiliis non vsque quaq; fidendum. 566. 567.
Socrates in senectute suaMusicen didicit. 362.
Solimanni ad PhilippumValerium, capta Rhodo, oratio. 733.
Solimanni, Turcarum Imp. erga filios proprios immanitas. 319.
Solonis error in instituenda Atheniensium Rep. 16.
Sophismatis ac strategematis populum aliquando decipere licet. 42.
Sparta cur careat muris? 383.
Spartanarum fœminarum prudentia 597.
Spartanorum in magistratuum electione cura. 119.
Spartanorum in milites fugitiuos asperitas. 659.
Spartanorum Resp. vnde decrementum ceperit, 33.
Speculatores an in Rep. ferendi. 129. 130. 131.
Spelunca Caci Romæ vbi fuerit. 778.
Stantie di Christiani, Romæ locus quinã dicatur. 795.
Statua hominis quam Albertus Magnus confixit, articulata verba pronunciauit. 518.
Statuæ integræ cur Romæ nõ facile inueniantur? 821.
Steriles regiones inhabitantium ingenia. 375.
Strategematum non nisi in bello vsus. 692.
Strategematis quinã admirabiles extiterint. 692. 693.
Studiolo di Vergilio Romæ vbi? 788.
Subditi ad arma assuefaciẽdi 570. atque exercitandi. 571. 572.
Subditi vel à militibus & à magistratibus exactionib⁹ diuexati facile seditiones concitant. 418.

Digitized by Google

Subditi exactionibus nimiis non aggrauandi. 142.
Subditos noscere princeps studebit. 213.
Subditi humana ratione an cõsilio diuino coercẽdi? 850
Subditi qua ratione in obsequio retinendi. 295. 296
Subditorum peior est conditio qui ꝟsuris quam qui grauaminibus diuexantur. 88
Subditorum distinctio. 7.
Subditi principum mores ꝟt plurimũ imitantur. 74. 75
Subditorum ingenia quomodo princeps explorare possit. 172.
Subditi nuper acquisiti qua ratione in obsequio continendi? 344. 345. 346.
Subditi tributa magistratibus non denegabunt. 422.
Suecorum mores & ingenia. 173.
Superbis Deus resistit. 197.
Superborum fastus descriptio 309.
Superbiæ comites dedecus sunt & detrimentum. 83.
Superbia pleraq; Respublica pessundantur. 32.
Superbiæ pedissequæ sunt dedecus & detrimentum. 231
Syagri Lacedæmoniorum legati erga Gelonem magnanimitas. 449.
Superciliosi in senatu non ferendi. 246.

T.

TABVlarum nouarum concessio pernicioſissima. 92.
Tamerlanis sauitia multos sedibus suis excedere coegit. 756. *ipsum ad Baiezetem oratio* 733. *in militari disciplina strenuus.* 637. *à rebus gestis Magnº dictus.* 267.
Taciturnitas egregium ꝟiri principis decus. 219. 220.
Tanaſis fluuius ponte insignis. 516.
Tarquinius Priscus quomodo Latinos conciliarit. fol. 348.
Tartarorum principis in capti hostis caluaria sarcasmus. 27.
Taurea Cãpani audacia in timiditatem transiit. 605.
Taxilis Indiæ Dynaſtæ erga Alexandrum magnanimitas. 469.
Tela militaria qualia esse debeant. 612.
Temperantia in principe egregia ꝟirtus. 198.
Temperãtia egregia in principe ꝟirtus. 289.
Templum Fortunæ ꝟirilis Romæ ꝟbi? 775.
Temporis in rebus gerendis quammaxime habenda ratio. 243.
Tenacium pratextus. 148.

Terra ſancta ex ſepulcro Chriſti adueꝛta, Romæ vbi? 800
Terra qualibet per culturam alienarũ naſcentium reddantur fertiles. 501
Terra imperantes facile maris dominio potiũtur. 737
Terreſtres copiæ quo maiores, eo aditinera ſunt tardiores. 739.
Thebani quantum vis homines nauci, Spartanis victores extiterunt. 33.
Themiſtoclis aſtutia Græciæ profuit. 693. quod lyram recuſaret, habitus eſt indoctior. 363. iuſti iudicis exemplar. 449. eius magnanimitas. 448. 449.
Theodoſij Imp. pietas. 282. vnde magnus cognominatus? 267.
Theologorum auctoritatem princeps omnibus modis tuebitur. 287.
Theologorum cõuerſatio admodum honorifica eſt. 286
Theopompi Spartanorum regis comitas. 24.
Thermarum ruinæ Romæ vbi? 778.
Theſauros colligere principẽ, an conueniat. 411.
Theſauris potientes, eosdem vtplurimũ male perdunt. 413.
Theſauri colligendi quis modus eſſe debeat? 420.
Theſaurus omnino principi neceſſarius. 418. 419.
Theſeus primus Athenienſes diſperſos coegit. 748.
Theſtæ Dionyſij ſororis confidentia. 490.
Thraces qui vere ſint? 606.
Tiberij Imp. theſaurus. 413.
Tiberij II. erga egenos liberalitas. 161.
Tiberius Imp. tyrannidem, antiquorum titulis palliauit. 254.
Tigranis Armeniæ regis filius ob auaritiam regno priuatur. 150.
Tilij dictum de principũ vitæ probè inſtituenda. 74.
Timidiores in militijs domũ relegandi. 574. 575
Timoleontis apud Syracuſanos auctoritas. 650.
T. Q. Flaminius qua oratione hoſtium animos flexerit. 542. eius apud Græcos laus 187.
Titus re & verbis egenos ſublenauit. 140.
Titi Veſpaſiani in iuuenem odoramẽtis perfuſum inuectiua. 635.
Togæ quam bello, præclariora ſæpe germinantur. 27.
Totila Gothorum rex de minis augendi imperij ſtudio ſententia. 25.
Tragœdiarum quam comœdiarum vſus probatur. 298.

Tre-

Trazeniis oracula quid responsum? 533.
Transyluanorum mores & ingenia. 173.
Tribunalia summa & ubiq; fere priuata commoda redolent. 861.
Tributorum exactoribus immoderata licentia non est concedenda. 71.
Tributa magistratibus debentur. 422.
Tributa undecunq; colligere an decorum sit. 195.
Triremes uitreæ. 513.
Tristem à sermone principis discedere oportet neminẽ, dictum Titi. 198.
Tuert quæsita difficilius quã acquirere. ...
Turcarum in prælium euntium ululatus. 682.
Turcæ militaris disciplinæ obseruantissimi. 634.
Turcarum aduersus Christianos victoriarum quæ causa. 740.
Turcæ quare Christianis tot prælijs sint superiores. 685.
Turca semel occupata firmiter retinet. 26.
Turcici iudices in uno tanquam uestigio insistentes, super lite sententiam proferunt. 861.
Turcici Imper. de concordia Christianorum principũ concinnum apologus. 407.
Turcicum regnum intestinis seditionibus interiturum speratur. 322.
Turcæ imperij æmulos omnes trucidant. 318.
Turcicorum imperatorum filiis nihil est miserius. 319.
Turcicus imperator, quaratione aduersus Christianos tot prælijs victor existat? 407.
Turcæ qua ratione tot urbibus ac ditionibus potiatur? 389.
Turcicus Imper. qua ratione rebelliones præueniat. 368.
Turcæ quomodo captiuos, aut sponte sese dedentes tractent. 561.562.563.
Turcici Imp. filio, intra biennium nati filij quinquaginta. 324.
Turcici imperatoris robur in quibus consistat? 565.
Turcici Impp. quotquot libet uxores ducunt. 324.
Turcici imperatoris in inferendis bellis prudentia. 179.180.
Tymoclia, matrona Thebana animosissima. 491.
Typographiæ inuentio. 520.
Tyrannorum iussa plerunq; sunt summæ iniuriæ. 115.
Tyrannorum consilia qualia. 825.
Tyranni, seditionis ense tollis expedit, & cur? 316.

V.

*V*Adentem ad virtutes viatico quilibet inuabit. 187.
Valerius eloquentia sua plebem Romanam cõpescuit. 730
Valerij Flacci fortitudo atq; alacritas. 602
Vasalli & subsidium & exitium dominis suis ferre possunt. 325
Vellera unde dicta? 790
Venetiani qua ratione à Turcis hactenus tuti fuerint? 395
Venetiani bombardas primi usurparunt. 517
Venetorum senatores senatũ ingressuri priuatas inimicitias ad D. Marcum deponunt. 247
Venetiani qua ratione Remp. egenis exhauserint. 336
Venetiarum urbem qui primum extruxerint. 758
Venetorũ armamentarium. 410
Venetianorum clades quãdo maxima & unde fuerit. 46
Venetorum prudentia, ubi ab hostibus oppugnantur. 177
Venetiarum urbs cur seditionum procellis minus concutiatur? 875
Venetiani ducem ac militem peregrinum asciscunt, & cur? 46
Venetiarum Reip. commendatio. 47.48
Veneris immoderata incommoda. 256
Ventorum distincti flatus 833
Ventis expositorum ingenia. 175.
de Vergilio, Romanorum fabulæ. 788
Versatilitas quid? 243
Versatiles qui dicantur. 243. 244
Versatilis à versuto quid differat. 244 245.
Versutia quid? 244
Versutorum mores atq; ingenia. ibid.
Vespasiani Imp. in cohibẽdis præfectis diligentia. 128
Vespasianus ex urinis sectigalia collegit. 194
Vespasiani Imper. auaritia. 414
Veste templum ubi olim Romæ fuerit? 775
Vestitus principis qualis esse debeat. 217
in Vexillorum atq; ordinum obseruatione, summa victoriarum sita est. 618
Via Appia reliquiæ Romæ ubi? 793
Via marmore excisa ubi? 509
Via sacra Romæ ubi olim fuerit? 788
Vibij Acci fortitudo. 601
Vicinis dissidẽtibus princeps sibi caueat. 405

Victo-

Victoria quibus in rebus consistat. 709
Victus acquirendi ratio varia. 97
Vicus sceleratus Roma vbi? 808.
Villicani cuiusdam fortitudo 672.
Vindicta studium deponendum. 442. 443
Violenta hominum, vt simul habitent, coactio, minus durat. 825
Viri intelligētes fortes quibus rebus ad honorum culmina perueniant? 854
Virtutes quanam potissimū in principe requirnatur, iuxta Diotimum. 273
Virtute maxime præditi qui ex imperatoribus ac regibus extiterint. 65
Virtutis iter omnib. patet. 61
Virtutes quanam principem maxime amicabilem suis reddant. 66. 67
Vita medica, misera, laboriosa. 256
Vitellij Imp. interitus truculentus. 779 *eius conuiuiū luxuriosum.* 432
Viui vbi statuarum erectione honorentur. 644
Vlpianus quādo vixerit. 476
Vlpij Traiani fortitudo, & magnanimitas. 472
Vlysses versipellis, at Cato constans vbiq; fuit. 243
Vnon rex Parthorum cur regno pulsus? 254
Vox principis qualis esse debeat. 219
Vox magnanimi qualis esse debeat. 450
Vrbes inhabitantium multitudine amplianda ratio. 760
Vrbium Europæ quænam vrbes populosissima. 762
Vrbem habitabilem quidnā faciat? 506
Vrbs qua ratione populosa reddatur. 522
Vrinatoris cuiusdam supra humanā fidem sub aquis mora. 700
Vrsi comitis Nolani in puellas elocandas liberalitas. 186
Vsura quid? 96
Vsura nomine quid proprie intelligatur. ibid.
Vsura lege diuina sunt prohibitæ. ibid.
Vsurarum non modo radices sed etiā fibras omnes amputari Resp. interest. ib.
Vsurarum leges diuersæ. fol. 95
Vsura Hebræis morsus dicitur. 99
Vsuras qui maxime execrati, atq; in eas animaduerterint. 89
Vsura toleratur, non approbatur. 95.

Digitized by Google

Vsurarij ac fœneratores in Rep. maximæ pestis. 86.87
Vsuram an sit licita. 103.104. *de Vsurariis vide plura in Vocabulis: commercia, fœneratores, mercatores, Proxenetæ &c.*
Villas ad conciliandam incolarum multitudinem maxime confert. 824.
Vulgus qua ratione coercea-tur. 296.
Vxores plures apud quos ducere sit licitum. 529

W.

WEstphalos qua ratione Carolus Magnus à rebellione copescuerit. 372.

X.

XEnodochium siue hospitale S. Spiritus Romæ vbi. 772.802.
Xerxes luxuriarum inuentores præmijs donauit. 429.

Z.

ZEnobia fœmina fortissima. 596.597.
Zeuxes pictor picturas suas are æstimari noluit. 508.
Zingari à Ferdinando, Hispania exacti. 336.
Zizimi fratris Baiazetis de Christianorum decursionibus iudicium. 298.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google